

Fig: 2.





Acta eruditorum Lipsiensia, anno 1682 à 1776







ACTA ERUDITORUM

ANNO M DC LXXXIX

publicata,

ac

SERENISSIMO FRATRUM PARI

DN. JOHANNI GEORGIO IV

Electoratus Saxonici Hæredi,

&

DN. FRIDÉRICO AUGUSTO,

Ducibus Saxoniæ &c. &c. &c.

DICATA.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Potentissimi Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ.

Proſtant apud J. GROSSIUM & J. F. GLEDITSCHIUM.

Typis CHRISTOPHORI GÜNTHERI.

Anno M,DC LXXXIX.

SERENISSIMIS PRINCIPIBUS AC DOMINIS

DN. JOHANNI GEORGIO IV

Electoratus Saxonici Hæredi,

&

DN. FRIDERICO AUGUSTO,

Ducibus Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, nec non Angriæ & VVestphaliæ, Landgraviis Thuringiæ, Marchionibus Misniæ, Superioris item & Inferioris Lusatiæ, Comitibus Principalibus Hennebergicis, Comitibus Marcæ, Ravensbergæ & Barbiæ, Dynastis in Ravenstein &c.

DOMINIS NOSTRIS CLEMENTISSIMIS.



Ujus Operis priora Volumina consecrare Vobis, SERENISSIMI PRINCIPES, olim non dubitavimus: ejus Octavum Tomum dum Excelsissimis Nominibus Vestris inscriptum imus, temeritatis fortasse alicujus, aut intempestivi minimum propositi notam incurrere possemus. Eratis, CLEMENTISSIMI DOMINI, cum adornare hæc Eruditorum Acta primum instituissemus, ea ætate, quam in litterarum studiis consumere Principes etiam juventutis minime indecorum ducunt; futurumque nos credebamus, ut hoc novorum librorum inventorumque Recensu indoles Vestra ad excolendas litteras ingenuas, a quibus cæteroquin minime abhorrebat, magis atque magis incitaretur. Neque spe concepta nos excidimus. Juventam enim omnem non ingenii minus, quod felicissimum ac plane divinum Vobis obtigit, quam corporis honestissimis exercitationibus exegistis; neque postquam virili ætati propius admoti peregrinationes obire, ac exteras perlustrare regiones sategistis, alienum a litteris animum ostendistis unquam. Verum ex quo tempore nonnisi Martem spirare, & justa bellandi cupiditate ardere velut cœpistis, subtimendi habere causam Musæ nostræ, nec sine trepidatione quadam adrepere Vobis, visæ sunt. Tametsi enim excelsus quisque animus nunquam non

ad

ad arma tractanda & rem omnem in uſu militari poſitam cognoſcendam, pronus deprehenditur : fervor tamen iſte, bellicæq; rei ſtudium, quorum illuſtria documenta hoc ipſo anno Orbi præbuiſtis, inuſitata prorſus erant, & fortaſſe ſine exemplo. Nam POTENTISSIMUM *quidem* PARENTEM VESTRUM, DOMINUM NOSTRUM CLEMENTISSIMUM, *in campum Martium denuo prodíturum, ex facili conjiciebamus. Quemadmodum enim, cum vergente anno ſuperiore Germaniam noſtram, defenſoribus tum fere vacuam, ſolaque innocentia ſua & induciarum fide ſecuram, Galli præter omnem expectationem invaſiſſent,* HEROS *ille* SAXONICUS *ſuperbo hoſti primus vim ac robur exercitus ſui oppoſuerat, hoſtiliumque armorum curſum inhibuerat, ampliſſimis Imperii provinciis ac civitatibus præſentiſſimo, quod imminebat, periculo ereptis: ita & hoc præſenti, in depellendo longius a finibus Imperii truculento hoſte, & Moguntia cumprimis, ubi arcem & horreum belli conſtituerat, iſtius faucibus eripienda, ſuas etiam partes cum admiratione omnium, & gloria ſua immortali, geſſit explevitque. Aſt de Vobis,* CELSISSIMI PRINCIPES, *nihil obſtare videbatur, quominus alia expectaremus omnia. Nam Tu,* SERENISSIME ELECTORATUS HÆRES, *Potentiſſimi Parentis vice in gubernandis hiſce provinciis, quod facere ſumma cum dexteritate ac prudentiá cœperas,*

fun-

functurus porro, ac desideratissimi PATRIS PATRIÆ absentia anxios subditos, gratiosissima præsentia Tua solaturus videbaris. Te vero, SERENISSIME FRIDERICE AUGUSTE, cum eo ipso tempore, post peragratam felici itinere Galliam, Hispaniam, Lusitaniam, peregrinationi per Italiam incumberes, quotusquisq; credidisset ex illo Orbis Paradiso, cujus mediam vix partem perlustraveras, derepente rediturum in Germaniam, Italiæque delicias cum vita castrensi, aspera illa, rigida & permolesta, commutaturum? Prævaluit nihilominus apud Utrumq; Vestrum, DOMINI CLEMENTISSIMI, armorum studium, ut insuper habitis omnibus, quæ morari Vos aut retinere potuissent, honestissimæ militiam auspicandi occasioni, cujus tyrocinia sub Paterno ductu ac disciplina posuisse non minori gloriæ quam fructui Vobis futurum esse videbatur, deesse nolueritis. Quod desiderium Vestrum cum tandem PARENS Optimus habuisset ratum, næ & pietatis suæ erga AUGUSTISSIMUM CAESAREM, & amoris erga Sacrum Imperium, omni Posteritati admirandum monumentum erexit, quando eodem tempore pro salute publica, & Caput suum sacrosanctum, & Serenissimæ Domus pignora ac munimenta, Filios dilectissimos, & instructissimum denique exercitum, periculo haud levi, quod metuendum utique ab hoste erat, non per insidias minus agere quam aperto Marte grassari sueto, nullus dubitavit

expo-

exponere. Vestra vero illa, SERENISSIMI PRINCIPES, *ad hauriendam rei militaris ex ipso usu scientiam propensio, vigorque ille, quem in expugnatis Moguntiæ mœnibus præsenti ubique ac intrepido animo omnibus approbastis, in eam facile mentem adducere nos poterat, ut consenuisse quodammodo & exstinctum in Vobis esse affectum singularem vereremur, quo Musas humaniores prosequi consueveratis; quodque nunc devotissimo cultu offerimus chartaceum munusculum, si non rejectum, at frigide quadantenus exceptum iri. Sed quicquid id timoris vani est, facessat procul. Servari enim a Vobis*, DOMINI BENIGNISSIMI, *litteris ingenuis, earumque cultoribus benevolentiam pristinam illibatam, argumentis adeo illustribus habemus cognitum, ut nullus superfit de eo dubitandi locus. Neque ignorari a Vobis potest, quantum emolumenti ad illos etiam, qui arma non gregarii militis in modum, sed cum imperio tractant, ex cultura optimarum artium redundet.* Alexandrum *certe* Magnum, *at quantum Heroem! nunquam non in expeditionibus bellicis Iliadem* Homeri *habuisse nostis comitem; quam* τῆς πολεμικῆς ἀρετῆς ἐφόδιον, *hoc est, militaris virtutis viaticum dicere is non temere solebat.* Xenophontis *etiam de Institutione Cyri libros in ipsis castris, inter classica & sonitus tubarum, legisse meministis* Scipionem, *ad imaginem optimi Principis, qualis in illis proponitur,*

se to-

se totum componentem. Neque hoc ipso Actorum *fortean Volumine nulla plane continentur, quæ militaribus etiam viris esse queant usui. Itaque pari, qua olim, ut animorum devotione, ita & fiducia, hunc quoque Actorum Eruditi Orbis Tomum CELSISSIMIS SERENITATIBUS VESTRIS dicamus, manuq; humillima offerimus; Divinum Numen venerati, ut Germaniæ nostræ interna quies ac aurea tranquillitas inconcussa semper constet, POTENTISSIMOque PARENTI Vestro, DOMINO nostro INDULGENTISSIMO, ditionibus, quæ nuper ad Eum summo liquidissimoque apud omnes, extra studia partium positos, jure devolutæ sunt, pacate frui; adeoque tantorum in Imperatorem ac Imperium meritorum vel hunc qualemcunque fructum consequi liceat; adversus quoscunq; vero externos hostes felicissimis porro utamur armorum successibus, ut una semper victoria instrumentum sit alterius, Sacrumque hoc Imperium decus suum pristinum omni ex parte recuperet & constantissime tueatur.*

Dabamus Calendis Decembr.
A. 1689.

SERENISSIMARUM CELSITUDINUM
VESTRARUM

subjectissimi

ACTORUM COLLECTORES.

N. I.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii Anni M DC LXXXIX.

HELENÆ LUCRETIÆ CORNELIÆ PISCOPIÆ, Virginis pietate & eruditione admirabilis, Ordini D. Benedicti privatis votis adscriptæ, OPERA, quæ quidem haberi potuerunt.

Parmæ, typis Hippolyti Rosati, A. 1688, in 8.

INter doctissimas seculi hujus fœminas referri meruit Virgo illustrissima *Helena Lucretia Cornelia Piscopia*, Johannis Baptistæ Cornelii, Divi Marci Procuratoris apud Venetos, filia. Hujus Opera tam Latina, quam Italica editurus D. Benedictus Bacchinus, Monachus Casinas clarissimus, vitam Helenæ tanquam eximium antepagmentum præmittere illis voluit. Equidem vitam ejusdem Italico idiomate conscriptã superiore A. 1687 jam ediderat Vir Doctissimus *Maximilianus Deza*, Congregationis Sanctissimæ Matris Dei alumnus. Bacchinus autem, cum dignã omnino censeret hanc vitam, quæ lingua ubiq; gentium nota celebraretur, Latine eandẽ reddidit, ita quidem, ut ea, quæ fusius memoraverat Deza, in compendiũ redegerit, & quæ minus tacta ab illo fuerant, suis commode locis inseruerit. Gens, e qua Helena oriunda est, (placet enim compendium Bacchini adhuc magis compendifacere,) est Corneliorum apud Venetos, quæ originem debere creditur Corneliis florente olim Roma & ipsis florentissimis, inprimis C. Cornelio, qui Patavii Cæsaris de Pompejo victoriam per aves prædixerat. Ea sede in Venetiis recens conditis semel fixa, & opibus, & potentia, & fama immane quantum effloruit, e qua & fuit Cornelia Catharina Marci *filia*, cujus beneficio olim regnum Cypri Reipublicæ Venetæ acces-

 sit.

sit. Gens eadem Piscopia dicta a feudo Piscopiæ, quod habuit. Est autem Piscopia, quæ & Episcopia scribitur, Telos insula, ut hodie audit, quæ in Carpathio mari non longe a Rhodo sita est. Nata est Helena Cornelia Piscopia A. 1646. d. 5 Junii, styli novi, Parentibus illustrissimis Johanne Baptista jam dicto, & Johanna, Procuratoria dignitate apud Venetos conspicuis, usque adhuc superstitibus. In ipsa tenera ætate non indolis tantum divinæ, sed & virtutum scintillas de se emisit, pietatis inprimis Christiana fide dignæ, & mentis ab omni mundo muliebri abhorrentis. Nacta præceptorē *Johannem Baptistā Fabris*, felicissimæ memoriæ mox edidit specimina, suasuque ideo ejusdem Fabris septennis literarum studio a parentibus fuit consecrata; & in Grammatica quidem Latina instituta est a *Johanne Valesio*, D. Marci Canonico, & D. *Bartolotto*; in Græca vero a *Fabris* jam dicto, & post fata hujus ab Abbate *Aloysio Gradenico*, natione Græco, & publicæ Venetiarum bibliothecæ Præfecto; nec defuerunt ei postdeinceps magistri linguæ Hebraicæ, Græcæ item vulgaris, ut & Hispanicæ, & Gallicæ atque Arabicæ. Addidicit etiam has brevi temporis spatio, nec scribere tantum tot idiomata, sed loqui etiam expromte potuit; quibus & studium Calligraphiæ plane singulare addidit. Amavit tamen linguam inprimis Græcam, quod nec ipsa diffiteri in præfatione quadam potuit. Vacabat autem non linguis tantum atque artibus, sed & pietati cum maxime; & quoniam inter pias meditationes scitissimi juvenis Aloysii Gonzagæ vitam evolvens legerat, illum die Conceptionis B. Virginis perpetuæ castitatis voto se adstrinxisse, & ipsa eodem recurrente die eodem voto, anno ætatis XI necdum completo, se adstrinxit, confessariumque elegit *Carolum Franciscum Bosellum*, a quo in Mathematicis linguisque non minus, quam in studiis pietatis fuit formata. Ad altiora ut progrederetur, Theologiæ studio præmisit conjunxitque Philosophicum, ducemque in hoc nacta est *Carolum Rinaldinum*, Patritium Anconitanum & Philosophiæ Magistrum, qui tres Mathematum artis analyticæ partes edidit; in illo vero D. *Hippolytum Marchetum Camertem* Oratorii presbyterum, atque ut excellenti plane erat ingenio, ita in utroq; studio ad stuporem usque profecit. Profectuum philosophicorum vel illud luculento indicio est, quod tanquam virgo exemplo plane novo,

certe

certe raro, laurea Magisteriali redimita a philosophis Patavinis fuerit. Castitatis voto licet adstricta, ad splendidum tamen tori ac nuptiarum consortium a parentibus evocabatur, cumque votum semel factum obstare diceret, dispensatio a Pontifice R. per Breve, ut vocant, impetrabatur. Helena autem in has angustias redacta, in consilium accito D. *Cornelio Codanino* Veneto, Benedictini ordinis, & Casinensis Congregationis &c. Benedictinis Sanctimonialibus privato voto solenniter se adscribi fecit, & *Scholasticæ* nomen monasticum Lucretiæ addidit, regulasque deinceps ordinis sui, quantum seculi species pateretur, observavit. Quia vero non linguas tantum 7 callebat, sed & Philosophiæ ac Theologiæ, imo & Musicæ, Mathematices & Astronomiæ erat gnarissima, a patre ad Doctoratum Philosophicum solenniter assumendum incitabatur. Ea renuebat quidem primitus, & votum suum denuo prætexebat; obedientiam tamen urgenti patri ut ne denegaret, Patavii in Basilica Matricis Ecclesiæ Patavinæ, cum ex cathedra eam in rem extructa (nam publicæ scholarum ædes tantæ multitudini spectatorum, quæ undique confluxerat, capiundæ erant impares) textum e Philosopho aliquem disertissime exposuisset, VII Kal. Julii, artium liberalium & Philosophiæ Magistra ac Doctrix quam solennissime, & rarissimo plane exemplo renunciata est. Recepta quoque deinceps est in ordinem Academicorum quorundam, quales in omnibus Italiæ nobilioribus oppidis clarent, Intronatorum puta Senensium, Dodonæorum & Pacificorum apud Venetos, apud quos & non semel sermones habuit, Recuperatorum Patavinorum atque aliorum. Celeberrimum sic nomen & monstrum quoddam sine vitio facta, magni æstimata est a summis Principibus, ab Imperatore videlicet Leopoldo, & Carolo V Lotharingiæ Duce, imo & literis salutata ab Innocentio XI, R.P. & Johanne III Poloniæ Rege, magnisq; Principibus aliis, visitatione etiam in ædibus suis honorata a tribus Cardinalibus, Landgravio Hassiæ, Bullionio & Estreensi. Studiis autem intentissima cum fuisset semper, sonticum nacta corpus confictari cum morbo non uno necesse habuit; & quidem jam cum febri scorbutica, jam cum purpurea, jam cum corporis malis aliis, jam cum tabe lenta; quibus cum pestilens tandem bubo supervenisset, qui plane incurabilis erat, d. 26 Julii A. 1684, cum annos in his ter-

ris 38 exegisset, defecit. Corpus exanime Casinensium Monachorum habitu fuit indutum, interula videlicet lanea, & nigro desuper cucullo. Scapulis epomis doctoralis imposita, caputq; duplici corona redimitum, altera ex liliis in virginitatis servatæ indicium, altera e lauris, ut laureæ magisterialis argumentum esset. Funus elatum est quatuor Philosophiæ magistrorum præclariorum humeris, & cadaver in templo D. Justinæ tota Italia celeberrimo tumulatum est, habita a nobili viro Campolongho de Campolonghis laudatione funebri. Tumulo tale inscriptum est epigramma, cujus autor D. Jo. Hieronymus Textoris, Monachus & Theologus Patavinus esse creditur:

D. O. M.
HELENÆ LVCRETIÆ CORNELIÆ
PISCOPIÆ
JO. BAPTISTÆ D. M. PROCVRATORIS
FILIÆ
QVÆ MORIBVS ET DOCTRINA
SVPRA SEXVM, ET LAVREA
AD MEMORIAM POSTERITATIS INSIGNIS,
PRIVATIS VOTIS, CORAM CORNE-
LIO CODANINO
ABBATE S. GEORGII MAJORIS EMISSIS,
S. BENEDICTI INSTITVTVM
AB INEVNTE ÆTATE COMPLEXA,
ET RELIGIOSE PROSEQVVTA,
IN MONACHORVM CONDITORIVM,
VT VIVENS OPTAVERAT, POST
ACERBA FATA
ADMISSA EST. MONACHI H. M. P. P.
ANNO D. 1684.

Plura adhuc addidit Bacchinus de moribus ejus ac vita monastica, nec non de ejus extremis, quibus evocatus ab ea D. Petrus Paulus Caldenus Ravennas, Scholasticarum antehac Professor, nunc totius Ordinis Comprocurator, in Monasterio Parmensi Theologus, adfuerit.

Sed ad opuscula tandem ipsa hujus Helenæ post vitam ejus ex Bacchino compendifactam, deveniendum est. Hæc inter primum obtinent

obtinent locum *Academici Discursus* seu problemata aliquot in conventibus Academicis Italico sermone ab ea resoluta. Sequuntur Inscriptiones aliquot Latinæ, seu Magnorum Virorum elogia ab eadem scripta, quorum I. est D. Cæsaris Cardinalis de Estrees; II Innocentii XI, P. M. III Invictissimi Rom. Imp. Leopoldi I; IV Johannis III, Poloniæ Regis; V Caroli Lotharingiæ Ducis; VI Sylvestri Valerii, D. Marci Procuratoris, & Patavini Archilycei Moderatoris, tanquam Academiæ Recuperatorum Patroni. Tertiam hujus libri partem constituunt Helenæ ac illustrium Virorum epistolæ Italicæ ac Latinæ. Ad Helenam hic scriptæ reperiuntur epistola Latina Innocentii XI R. P. & Italica Johannis III Regis Poloniæ, & quatuor *Italicæ* & una Latina Cardinalis Bullionii, nec non una Italica *Sebastiani* Foscarini, duæ Latinæ Ludovici Espinæi Sanlucii, *duæ item* Caroli Catonis Curtii, & una Joh. Baptistæ Beccii Abba*tis* Casinensis; Helenæ autem ipsius duæ ad patrem Joh. Baptistam Cornelium Piscopium, una ad D. Antonium Guilielmum de Este, una ad Joh. Baptistam Beccium Abbatem Casinensem, eæque omnes Latinæ. Epistolis hisce annexus est tractatus mysticus, seu Colloquium Christi nostri Redemtoris cum anima devota. Hic compositus fuerat a D. Johanne Laspergio Carthusiano in lingua latina; & postea in Hispanicum idioma translatus a F. Andrea Capiglia, Monacho de Certosa. Sed Helena devotissimis hujus libri meditationibus capta, eundem Italico sermone reddidit, & Johanni Paulo Olivæ, Societatis Jesu Generali dedicavit, qui & Helenam hanc magni æstimavit, ut ex epistolis ejus publici juris factis sat abunde elucescit.

THE COUNCIL OF TRENT EXAMIN'D and disprov'd by Catholick Tradition.

id est:

CONCILIUM TRIDENTINUM, AD TRAditionem Catholicam examinatum ac reprobatum; opera & studio *Eduardi Stillingfleet.*

Londini, impensis Henrici Mortlock, 1688, in 4.

ΣΥγκατάβάσει erga Pontificios utuntur Proteſtantes, cum fidei Chriſtianæ dogmata ad Traditionis Catholicæ trutinam expendi patiuntur. Dum enim illi, deficientibus probationibus ex Scriptura ſacra petitis, ad Traditionem, tanquam ad ſacram anchoram confugiunt, hi ut iſtam quoque illis extorqueant, merito nituntur.

Præſtitit id, poſt alios innumeros, clariſſimus eccleſiæ Anglicanæ Theologus EDUARDUS STILLINGFLEET. Conſtituit autem celeberrimus Vir oſtendere, partim, quod non detur Traditio catholica circa potiora controverſiarum antipapæarum capita, prout ea in *Concilio Tridentino* deciſa ſunt, partim, quibus gradibus quave occaſione dogmata illa aut ritus, de quibus controverſamur, in eccleſiam irrepſerint. Hac fini tria præmittit Poſtulata: (1) Traditionem *catholicam* eſſe, quæ a ſanioribus eccleſiæ membris univerſaliter recepta ſit. (2) Traditionis authoritatem a ſola certitudine deductionis materiarum fidei *ab ipſo ſeculo Apoſtolico* petendam eſſe. (3) Theologos Catholicæ Eccleſiæ non potuiſſe non exploratum habere, quid *ipſorum ævo* Traditionis catholicæ nomine venerit.

Seligit dein controverſias *ſex*, ſuaque illas methodo dirimit, ac omnium primo aggreditur Decretum Tridentinum, TRADITIONES ESSE NORMAM FIDEI, ÆQUALEM SCRIPTURIS SACRIS. Hoc ex traditione catholica haudquaquam hauſtum eſſe, *Stillingfleetus* probat, tum ex eo, quod *Bertanus* Fanenſis & *Naclantus* Claudiæ Foſſæ epiſcopi, in ipſa Synodo Tridentina huic Collegarum opinioni (teſte *Pallavicino* H. C. T. l. 6. c. 14. n. 3. 4.) acriter contradixerint, id quod facere veriti fuiſſent, ſi eam in rem catholicam haberi traditionem ſuſpicati fuiſſent; tum ex quindecim Romanenſium *Theologorum*, concilio antiquiorum, teſtimoniis, itemque octo locis *Corporis Canonici*, quibus Scripturam unicam fidei regulam eſſe aſſeritur; porro ex veteribus Latinæ Eccleſiæ *Officiis*, ubi Miniſter conſecrandus ſpondet, docturum ſeſe ad Scripturæ Sacræ ductum, de Traditionibus nec interrogatus nec ſtipulatus quicquam; e *Patribus* denique, ſigillatim *Vincentio Lirinenſi* & *Baſilio Cæſareenſi*, quos, utut magnifice de Traditione loquantur, hanc tamen pro regula fidei a Scriptura Sacra diſtincta venditare nunquam

auſos

auſos fuiſſe, demonſtrat Noſter. Dogmatis deinde hujus ortum hoc modo exponit: In Concilio *Nicano II* a. 787 cultus imaginum religioſus adſtruendus erat. Hoc quia ex Scripturis fieri non poterat, ex Traditionibus fiebat, hunc in finem proterve confictis. Reſcindebant equidem Eccleſiæ occidentales, in Synodo cumprimis Francofurtana, conciliabuli illius acta: mox tamen tum iconolatria, tum probandi eam methodus, in Occidente quoque frequentatæ fuere. Hactenus vero *Facienda* tantum traditione ſtatuminabantur. At cum *Lateranenſe concilium IV.* a. 1215 varia *Credenda ἄγραφα*, & in his transſubſtantiationem, Chriſtiano orbi obtruſiſſet, ac inter cæteros Theologos *Johannem Duns Scotum* ea propugnare oporteret, ad traditiones ille *ἀγράφες* recurrendum, earumque beneficio dogmata, quæ *implicite* in Scripturis latere dicebantur, eruenda ac *explicite* tradenda eſſe, ratus fuit. Verum enim vero paucos habuit ſequaces, antequam Concilii *Conſtantienſis* Patribus idem *σοφὸν φάρμακον* placitis ſuis adhibere viſum fuiſſet, a. 1414. His enim magiſtris edocti Tridentini, ſesquiſeculo poſt decrevere, *Traditiones & Scripturam Sacram pari pietatis affectu recipiendas eſſe.*

Progreditur deinceps Auctor ad *CANONEM SCRIPTURÆ V. T.* quem *Tobia*, *Judith*, *Sapientia Salomonis*, *Eccleſiaſtico*, *Maccabaicis*, *Barucho* auctiorem reddidere Tridentini; & fruſtra pro iis ad Traditionem provocatum iri, pronuntiat. Talis enim ſi extitiſſet, *Bertanus*, *Seripandus*, *Madruccius* haut quaquam canonem Judaicum retinendum eſſe, in ipſo Concilio ſtatuiſſent. Sed tantum abeſt, ut traditio hanc in rem catholica extiterit, ut potius perpetua univerſi Orientis traditio, totque teſtimonia quamplurimorum Occidentalium *Innocentio I.* & *Gelaſio* Papis contradicentium, argumento in contrarium eſſe queant. Quinque autem gradibus (juxta Stillingfleeti calculum.) ad canonizationem Apocryphorum itum fuit. (1) Patres ea allegarunt & laudarunt, quamvis ad credendorum normam ea nullatenus adhiberent. (2) Mos in eccleſiis nonnullis invaluit, publice ea, non ut canonica, ſed ut pia utiliaq; ſcripta prælegendi. Quoniam vero a. 352 Concilio Laodiceno cautũ fuerat, ne alii, præter canonicos, libri prælegerentur, Carthaginenſes Patres collegerunt a. 397, libros illos controverſos pertinere ad canonem,

canonem, eo quod prælegi suevissent. Rem tamen nondum determinarunt, sed ulteriori examini *Bonifacii* aliorumque episcoporum transmarinorum subjecere. (3) Distingui cœpere ab Apocryphis, quo nomine tunc quandoque libri hæretici aut supposititii veniebant. (4) *Gelasius* una cum LXX. episcopis ea recepit in Canonem. Pauci tamen ex Italis, Hispanis, Gallis, Germanis, Anglis decreto Romanæ ecclesiæ assurrexere, *Hieronymi*que authoritas potior iis habita authoritate papali. (5) *Eugenius IV* Canonis partem illa esse, *Armenios* in *Instructione* sua iterum docuit. Nihilominus *Antoninus* Florentinus Archiepiscopus, itemque Cardinales doctissimi *Ximenes* & *Cajetanus*, & quotquot concilii *Constantiensis* decreta religiose observabant, ad Judaicum modo V. T. canonem fidei capita exigenda esse sentiebant. Tridentinos ergo manere debebat gloria, absolute tandem ac ἀναμφιρρήτως decernendi, *res fidei æque bene ex recens-canonizatis illis, quam γνησίως-canonicis V. T. libris probari posse.*

Tertio de *LIBERO USU SCRIPTURÆ IN LINGUA VERNACULA* prohibito in concilio Tridentino agitur, evinciturque, interdictum illud catholicæ traditioni nullatenus superstrui. Si enim hæc unquam in ecclesia extitisset, Biblia nunquam in Latinam linguam (quamdiu vernacula erat,) aut quasvis alias vernaculas linguas conversa, & a quolibet Christiano impune & pro lubitu lectitata fuisse. Hoc autem factum esse, *argumento per inductionem* omnium orbis Christiani partium, probat Author. Narrat deinde, ut Latina lingua sensim toto passim Romano orbe vernacula esse desierit, utque Germani & Anglo-Saxones *Biblia* & *liturgiam*, Franci *Homilias Latinas* in vernaculam suam transfuderint, ipsisque Slavis, ne Bulgarorum exemplo, morositatis Papalis pertæsi, Græcæ Ecclesiæ accederent, *Biblia vernacula* facile indulserit Romanus Pontifex. Ast paulo post ad Bibliorum prohibitionem propius accessum fuit, cum *Gregorius VII* Bohemorum Regi usum *divinorum officiorum* in lingua Slavica concedere nollet, & Latina officia, ceu submissionis sedi Romanæ debitæ signum, abrogari, severe vetaret. Tandem, cum *Innocentii III* auspiciis, in concilio *Lateranensi IV* Inquisitio hæreticæ pravitatis esset instituta, Hispani Gallique Inquisitores mox Laicis universis, (quibus hactenus, modo opinio-

nibus

nibus ecclesiæ fidem suam submitterent, Innocentii indultu, usu *divinorum officiorum* in lingua vernacula libere frui licuerat,) lectione Bibliorum V. T. in quacunque lingua interdixere, solius *Psalterii, Breviarii, Horarumque* usu, sed in Latina tantum lingua, permisso. Ita patet, quibus gradibus ad prohibitionem S. Codicis processerit Romana ecclesia, utque traditione catholica hac in parte tueri sese nequeat.

Quarto de *MERITO BONORUM OPERUM* disquiritur. Tridentini statuunt, hominem bonis operibus *vere* (h. e. ex condigno) mereri gratiam divinam & salutem æternam. Longe aliter Theologi veteres Latini, quos magno numero allegat Stillingfleetus, simulque ostendit, ut sola Scholasticorum ingenia hæc de Merito B. O. ex congruo aut condigno controversia exercuerit, nec tanti habita olim fuerit, ut in Concilio aliquo ventilaretur: donec tandem *Patres* Tridentini opinati sint, Thomæ Aquinatis sententiæ sub anathematis pœna esse subscribendum. Liquet hinc, & hunc articulum catholicæ traditionis tibicine destitui.

Quinto NUMERUS SACRAMENTORUM vere ac proprie talium SEPTENARIUS, Tridenti determinatus, sub examen revocatur. Traditionem igitur pro Pontificiorum opinione universalem nullam haberi, ostensurus Author, longam texit historiam litigiorum, quæ Theologis Latinæ Ecclesiæ & Canonistis inter se invicem, itemque Græcis & Latinis, quoad institutionem, materiam, formam, effectum, numerum denique Sacramentorum intercesserint. Arbitratur autem, Septenarium illum, præcise definitum, primitus abs *Hugone a Sancto Victore*, (qui Sec. XII paulo ante *Petrum Lombardum* vixit,) inventum esse. Eaque propter confert sententias antiquiorum, *Ruperti Tuitiensis*, *Fulberti Carnotensis*, *Walafridi Strabonis*, *Rabani Mauri*, *Paschasii Radberti*, *Isidori Hispalensis*, *S. Ambrosii*, *Cyrilli Hierosolymitani*, qui cum ex professo Sacramenta recensent, non nisi duo triave nominant; unde colligere facile est, septem Sacramenta universis illis ne fando quidem audita. Provocat etiam ad testimonia *Chrysostomi*, *Cyrilli Alexandrini*, *Leonis Magni*, *Aur. Augustini*, qui Sacramenta N. T. *aqua & sanguine* ex Christi latere fluentibus signari ajunt; at duo illa signa non possunt non nisi duo signare sacramenta, Baptismum nem-

pe *aqua*, & cœnam corporis & *sanguinis* Domini. Ad septenarium autem illum hac occasione perventum esse, Stillingfleetus judicat: Primo observatum fuit, septenarium in sacrificiis & purificationibus Leviticis frequentissime reperiri, nec nullam analogiam inter ceremonias illas Leviticas & Sacramenta gratiam homini conferentia dari; congruum ergo esse visum fuit, ut & numero utcunque convenirent. Neglectum porro fuit discrimen inter Sacramenta proprie sic dicta, & inter ritus mysticos, imitandorum Apostolorum gratia in ecclesia servatos, quales sunt *Impositio manuum* in Ordinatione & Confirmatione, quodque non ultra secula dono miraculorum clara in usu esse debebat, *chrisma*, a Jacobo Apostolo, non ad expiationem reliquiarum peccati, sed ad ægri corporis curam commendatum. Denique Sacerdotes suæ existimationi, quin & commodo suo melius prospectum iri putarunt, si & extrema unctio & matrimonium inter sacramenta referrentur, singula vero sacramenta sacerdote ministro indigere, plebecula persuasum haberet.

Ultimo loco AURICULARIS CONFESSIO in controversiam venit. Cumque Tridentini pro ea allegent partim universalem consensum ecclesiæ, partim dictum *Joh. XX, 22 23*; Stillingfleetus ex non unius Doctoris Pontificii verbis monstrat, quanta inter præstantissimos Romanæ Ecclesiæ Theologos, ante Concilium Tridentinum defunctos, tum quoad confessionis ipsius auricularis institutionem ac necessitatem, tum quoad scopum dicti Johannei, sententiarum divortia fuerint. Sub finem libri multus est in historia confessionis auricularis, cujus summa huc redit: Antiquitus ii, qui post baptismum publice & cum scandalo infirmorum peccaverant, per disciplinam ecclesiasticam adacti fuerunt ad publicam pœnitentiam, quæ *exomologesis* (Latine confessionem dixeris) appellari suevit, estque ab Auriculari Pontificiorum (quoad *causam impulsivam*, *modum* ac *obligationem*,) longe alia. Inventa namque fuit ad calumnias Gentilium (quibus ecclesia Christiana homicidarum & adulterorum colluvies audiebat,) ipso facto refellendas: nec toties, quoties vellent, sed semel duntaxat post baptismum, facinorosis indulta; nec ob singula peccata mortalia, sed ob publica tantum scandala imperata est; unde Veteres, quamvis semel iterumque lapsos ad exomologesin hincque dependentem communionem ec-
clesiæ

clesiæ non admiserint, eos tamen a spe æternæ salutis, (si privatim & serio pœnitentiam egissent, extra communionem externam ecclesiæ constituti,) nequaquam excluserunt. Interim privatorum delictorum sibi consciis hoc consilii dari solebat, ut, si vellent, sacerdotem in illorum conscientiam admitterent, quo eo melius verbi divini medicinam ulceribus istis occultis applicare nosset. Erant tamen, qui nec publice profiteri erubescebant clam a se perpetrata; non quasi sine publica exomologesi remissionem a DEo obtinere desperassent, verum ut eo certiores essent de seria sua pœnitentia, cui nec eatenus humiliari grave esset. In privatim confitentium gratiam constitutus erat *Pœnitentiarius.* Sed hoc officii genus Constantinopoli ab Episcopo Nectario, circa seculi IV finem, sublatum fuit, cum Pœnitentiarius ea, quæ sub confessionis sigillo ei revelaverat matrona aliqua, evulgasset, id quod pluribus recenset, (adjecta ἐπικρίσει haud iniqua,) *Socrates Scholasticus* H. E. l. 5. c. 19. Quo facto quemlibet oportuit semetipsum probare; sique dignum se credidit, mysteriorum divinorum particeps fieri potuit. Abrogata ergo confessione privata, publica exomologesis aliquantisper adhuc, in Oriente æque ac Occidente, usitata fuit, quod (cum a multis in dubium vocetur) Stillingfleetus probat ex D. *Chrysostomo*, Nectarii successore. *Homilia* enim *82. in Matthæum* Ministris inculcat, ut notorios publicosque peccatores, nisi seriam eamque publicam pœnitentiam egissent, a communione S. Cœnæ arceant, aut si id facere vereantur, rem ad se deferant: vitam se potius amissurum, quam ut notorie indignus ad communionem admittatur, permissurum. Et in ejusdem *Liturgia* adhuc formula extat, qua Pœnitentes olim ante Eucharistiæ consecrationem templo excesse jubebantur. Abiit tandem & exomologesis publica in desuetudinem, eo quod delicatulis Christianis nimium gravis ac erubescenda videretur. *Johannes Jejunator* Episcopus Constantinopolitanus cumprimis, seculo VI author fuit gravi conscientia laborantibus, ut confessione auriculari mentem exonerarent. Idem in Occidente factum esse, inde patet, quod seculo IX variis Conciliis de collapsa exomologesi publica integritati pristinæ restituenda, sedulo consultatum fuit, licet frustra. Interim privata illa confessio ut utilis tantum commendabatur, non ut absolute ad salutem vel participa-

tionem S. Cœnæ necessaria exigebatur; quod tandem a Lateranensibus ac dehinc Tridentinis patribus factum est. Cum autem post alios *Jacobus Boileau* in *Historia Confess. Auricularis* (ad Acta a. 1684 p. 172 relata) *c. 29. p. 387.* regerat, *doctos piosque viros fovisse varias falsas de confessione opiniones, quæ demum post decisionem concilii hæreticæ & perniciosæ evaserint*, Decanus Londinensis avide hoc arripit, & ex hac *Decani Senonensis* confessione hoc saltem elicit, non dari constantem, perpetuam, universalem traditionem circa confessionem auricularem; id quod ipsi hoc libello ostendendum fuerat.

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM Libri XVI ad Familiares, ut vulgo vocantur: ex recensione Jo. Georgii Grævii, cum ejusdem animadversionibus.

Amstelodami, apud Henr. Wetstenium, 1689, in 12.

QUas ante aliquot annos augustiorem in habitum compositas, variisque doctorum virorum annotationibus & integris Manutii commentariis instructas, curante doctissimo *Grævio*, conspeximus Ciceronis ad Familiares epistolas; contractiori forma, non minus tamen nitido typo excusas, jam haud ineruditus Bibliopola Batavus dedit. Nempe ut manibus eorum, qui Ciceronis scripta assidue ferunt, aptior redderetur liber, in quo præter verba & dictionem, queis Tullius cæteros omnes Latinos Scriptores longo post se intervallo relinquit, plurimum inest & ad publicas res & privatas judicii ac prudentiæ. Is ergo ut tersior extaret, post innumeras editiones, emendatissimam ex melioribus codicibus tam impressis quam manu descriptis adornatam suam, quam anno 1676 cum Commentationibus evulgarat, denuo recensuit, cui meliorum Auctorum cultus ac nitor hodie debetur, amplissimus Grævius, minorique forma excudendam castigatissimam bibliopolæ tradidit: subjectis ad calcem operis Annotationibus suis, ex ampliori illa editione depromtis, passim tamen auctioribus, quibus loci obscuri explanantur, vitiosi autem emendantur, Latinique sermonis proprietas & elegantia aut illustratur aut vindicatur. Eundem in modum efformatæ *ad Atticum* epistolæ ut has, quas *ad Familiares* vulgo vocare solent

ſolent, ſequantur, ſed & omnia Ciceronis opera pari cura adornata tandem prodeant, tamque emendata conſpiciantur, rei literariæ bono, & eorum qui Ciceronem unice in deliciis habent, commodo, a celeberrimo Editore exquiſitiſſimis precibus flagitamus.

CORNELIUS NEPOS DE VITA EXCELLENtium Imperatorum. Novis Commentariis, Indicibus & Tabulis Chronologicis ac Geographicis illuſtravit Chriſtophorus Cellarius.

Lipſiæ, apud Gleditſchium, 1689, in 12.

CUm Editor clariſſimus animadvertiſſet, Q. Curtium Rufum, novis Commentariis & Geographicis Tabulis a ſe illuſtratum, & a nobis ſuperioris anni menſe Januario pag. 13. recenſitum, non diſplicuiſſe elegantioris doctrinæ ſtudioſis; pari cura *Cornelium Nepotem*, alterum ſcholis accommodatiſſimum ſcriptorem, aggreſſus fuit, ut hunc quoque ad uſum ſcholaſticum magis magisque præpararet. Methodo uſus eſt eadem, qua in Curtio, ut abſciſſis ferme aut parce adhibitis, quæ alius ſtudii ætatisque ſunt, Philoſophiæ obſervationibus, primum nova argumenta ſingulorum Ducum daret, deinde puram Latinitatem explicaret, tum Hiſtoriam perſpicuam magis faceret, eamque cumprimis Geographiæ lumine illuſtraret. Hæc enim præcipua putat capita eſſe, ad quæ reſpiciendum ei ſit, qui veterem hiſtoriarum ſcriptorem ſcholaſticæ juventuti explanabit. Ut ergo Geographiæ rationem, quam vulgo, majorem haberet, quatuor tabulas ære expreſſas addidit, & univerſalem quidem omnium regionum, quæ a Luſitania ad Maſſagetas ſunt, & ab Scythis ad Getuliæ fines; eo usque enim Nepotis hiſtoria progreditur: & tres minorum partium, Græciæ, Italiæ, & Aſiæ citerioris, quod in his regionibus præcipue hiſtoria Cornelii Nepotis verſata eſt. Præmiſit brevem Chronologiam per Olympiadas; & judicia clarorum virorum, Savaronis, Voſſii, & Andreæ Schotti, quibus planiſſime expoſita continentur, quæ de ſcriptoris hujus tum ætate, tum vero nomine ac aliis ejusdem libris diſputari ſolent. Adjecit Fragmenta ab eodem Schotto collecta, quæ ipſa quoque notis

suis, ubi opus esse videbatur, clariora reddidit. Indicibus separavit res & historias a Latinitate, quæ plerique in scriptore hoc miscuerunt; ut distincte utraque cognosci, & in usum meliorem converti possint.

NICOLAI GRIMBERGH MED. DOCT. OBSERVATIONES Medicæ, quæ cum magna industria per aliquot annos ab eo collectæ & conscriptæ sunt.

Amstelodami, apud Jansonios Waesbergios, A. 1689, in 12.

LIber tibi hic L. B. exhibetur mole quidem parvus, ut pote quatuor folia non excedens, Observationibus tamen centum & quadraginta novem turgidus. Affectu quippe morbido, individuum aliquod determinatæ ætatis torquente, denominato, haud operose in causas inquiritur, sed remedia statim, præsentem quæ tulerunt opem, enarrantur. Sicut namque sanitatem a diæta exacta, ventriculum cibo & potu varii generis haud gravante, diuturnam reddi præfatio edocet; ita vix Autor iis videtur repugnaturus, qui primum morborum tantum non omnium ortum in ventriculo quærunt. Ast quo methodus in observationibus adhibita plenius innotescat, judiciumque de iisdem a L. B. interponi queat, Observationes saltem quatuor, internorum duorum affectuum æque ac externorum totidem medelam tradentes, huc transcribere juvabit. Scilicet Obs. 37. in viro 39. annorum vehementem dolorem podagricum remediis adscriptis sistit sedatum: R. Aqu. flor. sambuc. ℥j. Sal. card. bened. fænicul. ana gr. XV. Tinctur. anodyni ʒj. Antimon. diaphor. gr. XIIX. M. F. Sudoriferum semel assumendum. Externe R. Pingued. Lupi ℥iij. Spir. sal. armoniac. tartari camphorat. ana ʒiij. Sp. Corn. Cerv. ʒij. Opii ℈ß. M. F. Linimentum quotidie usurpandū post pediluvium insequens: R. Sulphur. comm. Nitr. puriss. ana ℥ij. pulverisat. superaffunde Aqu. lumbric. terrestr. ℔iij. Coqu. per hor. sem. Obs. 40 in fæmina præclara 37 annorum cancrum ulceratum cum materia putrida, circa totam ulcerationem fluente, ita refert extirpatum; primo ordinavit: R. Essent. vulnerar. hypericonis ʒij. Solut. Myrrh. Aloes ana ʒj. in Spirit. Vin. solut. ℥ij.

Mercur.

Mercur. præcipit. ℈ß. M. F. Essentia quotidie usurpanda. R. Empl. de Ceruss. ℥ij. R. Rob. Juniper. ℥ß. Sal. Corn. Cerv. gr. xij. Tinct. bezoart. ʒß. M. F. Diaphoreticum una vice adhibendum; deinde sequens: R. Pulpor. prun. ʒj. Resin. Scammon. gr. iij. Mercur. dulc. gr. xv. M. F. Bolus. Sic Observ. 50 virum 56 annorum pernione in pedibus cum ulcerationibus laborantem perhibet sanatum: R. Aqu. rosar. opt. ℥iij. Tinct. Vitriol. Mart. ℥iß. Essent. myrrh. vulner. ana ℥ij. Ol. carv. cumin. ana ℥ß. M. F. Aqua quotidie usurpanda. R. Empl. sapon. ʒij. Malax. cum ol. tartar. fœtid. succin. ana ʒß. Obs. 66 in viro 34 annorum Choleram cum convulsione ejusmodi Mixtura mitigatam recenset: R. Essent. rosar. ʒij. Essent. succin. castoreat. ʒj. Aqu. fœnicul. ℥iv. M. detur cochleatim; externe convulsionum ergo: R. Pingued. Lup. recent. ℥ij. Ol. irin. verm. terrestr. ana ʒß. pulv. Castor. ʒß. M. F. *Linimentum.*

SERVATII GALLÆI DISSERTATIONES DE SIbyllis earumque Oraculis, cum figuris æneis.

Amstelod. apud Henricum & Viduam Theodori Boom, 1688, in 4.

INter Scriptores, qui egregias super Sibyllis commentationes cum erudito Orbe communicarunt, referri certe meretur clarissimus Gallæus. Is enim singulari prorsus studio in materiam istam inquisivit, & quæ ad illius pleniorem notitiam ullo modo facere videntur, in præsenti, quod exhibemus, opere, diligentissime recensuit. In cujus I. Cap. postquam generaliter de Sibyllarum nomine, existentia, virginitate, numero multa notatu digna in medium attulisset, in sequentibus decem capitibus speciatim de decem a Lactantio ex Varrone citatis Sibyllis, & quidem in II. de Persica, III. Libyssa, IV. Delphica, V. Cumæa, VI. Erythræa, VII. Samia, VIII. Cumana, IX. Hellespontica, X. Phrygia, XI. Tiburtina agere instituit: in cap. XII de quibusdam aliis Sibyllis, scilicet Epirotica, Europæa, Agrippina, Ægyptia; item Noachi uxore, Regina Sabæ, Johanna D'Arc Virgine Aurelianensi, Hildegarde, Elisabetha Schonaugiensi, Magdalena de la Cruz, Sancta Angela, Brigitta, Catharina Senensi, Muliere Peruviana, inter Sibyllas falso relatis, differit

differit. *Cap. XIII.* in oraculis, & diverſis modis quibus Deus hominibus ſe olim revelavit, exponendis occupatur, demonſtratque quod diabolus, tanquam Dei ſimius, eadem imitari conatus fuerit. *Cap. XIV.* diverſi generis honores Sibyllis a Gentilibus olim delatos exponit. In ſequentibus aliquot capitibus teſtimonia, quibus Sibyllarum autoritatem ſartam tectamq; cupit Craſſetus, impugnat, & quidem in *Cap. XV.* ad Juſtini Martyris, *Cap. XVI* Lactantii, *Cap. XVII.* Conſtantini Magni loca reſpondet, oſtendendo, oracula Sibyllina, quæ nunc habemus, eſſe ſuppoſititia nec a paganis Sibyllis profecta. *Cap. XVIII.* poſtquam obſervaſſet, famam de Rege aliquo venturo totum quidem peragraſſe orbem, ſed a paganis de Jeſu Chriſto non fuiſſe intellectã, nec inter oracula antiquarum Sibyllarum olim exſtitiſſe ejusmodi prophetiam, ſed Gentiles a Judæis, illosque a Prophetis eandem accepiſſe; ex profeſſo docere ſuscipit, in Ecloga quarta a Virgilio conſcripta nihil de Meſſia Rege ex Judæis naſcituro reperiri, verum quicquid in illa continetur, ſuperſtitionem & profanam gentilitatem redolere. *Cap. XIX.* S. Auguſtini & Hieronymi, *Cap. XX.* autem Apollodori & Pauſaniæ teſtimonia ſub examen revocat, iis ad conciliandam Sibyllinis oraculis fidem nullum ineſſe pondus evincens. *Cap. XXI.* in autorem oraculorum Sibyllinorum, & quo tempore illa fuerint reddita, inquirit, expoſitisque aliorum ſententiis, judicat, *non ſimul uno eodemque tempore ab uno ſcriptore profecta fuiſſe hæc Sibyllina carmina, nec eo ordine in octo libros congeſta fuiſſe conſpecta, ſed ſucceſſu temporu, his illis quædam tanquam Sibyllina addentibus, fuiſſe a quodam collecta, & in illum ordinem, quo illa nunc ſuperſunt, congeſta.* *Cap. XXII. XXIII. & XXIV.* ſolide probat, Sibyllas non fuiſſe divinitus inſpiratas. *Cap. XXV* ad Johannis Craſſeti, Jeſuitæ, objectiones contra D. Johannis Marckii ſcriptum de Sibyllis propoſitas reſpondet. *Cap. ultimo* de Deo Hercule Maguſano & de Dea Nehalennia in littore Maris Zelandici effoſſis tractat, perhibens Herculem Maguſanum non eundem cum Thebano, ſed hoc antiquiorem, eumque Phœnicium ſive Tyrium fuiſſe, qui Moſi a nonnullis coævus judicatur. Maguſanum hunc Phœnicium Punico vocabulo a navigatione appellari; in Chaldæa enim lingua, cui Phœnicum ſimilis eſt, גוז *gus* idem ſignificare ac *ſecare*, *abſcindere*, & hinc

accipi

accipi pro *transire, transfretare* scilicet flumina, mare, unde מגיץ *megisan* transvehentes & מגיזא *megisa* navem trajectoriam, scapham, item vadum, transitum notet. Magusanum igitur Herculem transfretatorem, qui e Phœnicia Colonias ad fretum Gaditanum & ulterius (si non ipse, ipsius saltim posteri, id fecerint) produxerit: eundē sub nomine Victoris & Portumni a Romanis fuisse cultū: Deam Nehalenniam a vocabulo sive Hebræo sive Phœnicio נהל *Nabal* quod *leniter & commode duxit*, significat, derivari, eo quod commode & leniter naves & merces ducere credita, vel ut hoc præstaret, invocata fuerit. Sub finem, ne quid in hoc elegantissimo opere desiderari queat, quadruplex index locorum Scripturæ Sacræ, autorum, rerum & verborum, & denique ipsarum dissertationum exhibetur.

LES OEUVRES POSTHUMES DE Mr. Claude. Tom. II & III. i. e.

Operum posthumorum Joh. Claudii Tomus II & III.

Amstelodami, apud Petrum Savouret, 1688, in 8.

INdicato jam superioris anni mense Novembri pag. 582 Operum horum Tomo I^mo, ob maximi momenti, quem tractant, Christianæ doctrinæ articulum de *Christo*, aliqualem II^di & III^tii quoq; conspectum subjungere, ab instituto nostro alienum non erit. *Quinque* vero præcipue capita consideranda proponuntur. I. Adventus Christi *Principium*. II. *Dispositiones* seu *Præparationes*, quæ eundem præcesserunt. III. *Persona Christi & Natura*. IV. *Officia*. V. *Duplex Status*. Quæstione, *an Christus, etiamsi Adam non peccasset, in mundum venturus fuisset?* & Scholasticorum decisione affirmativa insuper habita, Auctor *Principium supernaturale* adventus Christi in libero Dei *arbitrio* constituit, per Psal. 40, 9; non exclusis tamen aliis rationibus, a sapientia, potentia, bonitate &c. petitis, quæ Deum ad missionem filii permoverint. Quæstionem autem, an Deus non alio medio, quam *morte* filii sui, homines salvare potuerit, inutilis curiositatis esse ait, adeoque sufficere, quod Deus aliud medium actu non adhibuerit, sed sola morte Filii fœdus

(Tom. II. Lib. I. pag. 8. 16. 25.)

cum hominibus denuo ſtabilire voluerit, cum ſatisfactionis pretium non niſi ab infinitæ dignitatis perſona exolvi potuerit. Sed
pag. 27, & *amori* hic locum eſſe, *Joh.3,15*; & quidem ab amore *benevolentiæ*
31. miſſionem Chriſti, *beneficentiæ* electionem noſtram ad fidem & converſionem, *complacentiæ* juſtificationem noſtram actualem & ſalutem dependere, nec hunc ordinem confundendum eſſe, vel invertendum.
37. Primam itaque gratiam, quæ Chriſtum miſit, eſſe *univerſalem*, quæ non reſtringatur ad certum numerum perſonarum particularium, ſed indifferenter extendatur ad quoscunque, qui crediderint, ut tamen nemo a fide excludatur; at nihilominus *particularem*, quæ non univerſaliter ad omnia hominum genera ſe extendat, credentium aut non credentium, ſed præciſe ad ordinem credentium determinetur.

Lib. II. *Diſpoſitiones* ſeu *Præparationes* antegreſſæ ad ſex Articulos reducuntur. Primus Diſpoſitiones ex generali providentia Dei oriundas & omnibus hominibus communes continet, de quibus in Tractatu de *Juſtificatione* actum fuerit. II^dus^ Oracula ſeu Prædictiones Propheticas. III^us^ Typos. IV^tus^ Rigorem & ſeveritatem Fœderis legalis cum Iſraelitis initi. V^tus^ Cerimonias Moſaicas. VI^tus^ Diſpenſationem Spiritus œconomiam legalem concomitantis. *Oracula*, ſecundum Sacræ Scripturæ ſeriem, ex Pentateucho, Hiobo, Pſalmis, Cantico & Prophetis, XC enumerantur, obſervationibus lectionis haud pœnitendæ ſubinde additis. Ita in vaticinio Gen. 3.
pag. 53. verba: *ponam inimicitias inter te & mulierem*, principaliter dæmo-
64. nem reſpicientia, de naturali illa hominum antipathia erga ſerpentes explicari non debere. Indignum enim Deo fuiſſe, rem adeo levem in ſententia poſt graviſſimum crimen pronunciata tam graviter exprimere. Maledictionem vero, de *inceſſu ſuper pectus*, & *comeſtione terræ*, prolatam, cujus ſerpens naturalis proprie capax non erat, inſtar maledictionis a Chriſto ficui indictæ, typicam eſſe, & in ipſum dæmonem, qui horror & execratio naturæ factus in impuritatibus, ſpurcitie, opprobrio & doloribus inceſſurus ſit, cadere.
64.—90. Imprimis in prædictionis *Abrahamo* factæ enucleatione multus eſt
140. Claudius. Ad *Pſ.* 40, 6 obſervat, id quod in fonte habetur, *aurem mihi perforaſti*, LXX optime reddidiſſe σῶμα κατηρτίσω μοι; ſicut enim *auris perforatio* apud Hebræos perpetuæ ſervitutis ſignum erat,
ita

ita Gentiles mancipia sua σώματα vocasse: ideoque etiam Deum filio suo corpus per incarnationem dedisse, ut servus ipsius fieret. conf. Es. 49, 3. 5. Paulum vero ad Hebr. 10, 5. (in quem locum *Mestrezatii* maxime *Sermones* commendat) Versionem Græcam secutum fuisse, quod & usu obtinuerit inter Judæos, & a vero sensu Ebraico nullatenus discedat, quin eundem feliciter suppleat. *Es.* 7, 15. voces pag. 169.
mali & *boni* non de rebus sed personis accipit, ideoque rejectionem 179.
mali exponit per rejectionem maximæ Judæorum partis ob incredulitatem ad excidium condemnatæ, & electionem boni per servationem ἐκλογῆς credentium Judæorum (Rom. XI, 7) ad vitam æternam. Hanc enim bonorum malorumq; distinctionem realem Immanuelis opus esse, patet ex Matth. III, 11. 12. Rom. II, 4. 5. 6. IX, 27. 28. 29.

Ab Oraculis ad *Typos* Autor progreditur, quæstionibusq; ge- 259.
neralibus, an ex *institutione divina*, & non potius *natura ipsarum rerum*, conformitatem inter has & Christum producente, extiterint? an fideles V. T. & quomodo eos cognorint? an & hodie ex nostro usu? an opera creationis Christum ejusque mysteria præfiguraverint? item regulis de justo typorum usu præmissis, speciatim ad ductum Scripturæ juxta triplicem Oeconomiam Dei in *natura*, *lege* & *gratia* eos persequitur.

Rigorem seu severitatem *Fœderis legalis* dum considerat, antiqui Ministerii, sub quo Israelitæ vixerunt, IV partes, 1. legem moralem. 2. Cerimonialem. 3. Judiciariam. 4. salutarem misericor- 288.
diæ divinæ per Messiam manifestationem, exponit, & deinde concludit, quam indignum Deo & hominibus, nisi ad aliud respectum habuisset, Fœdus illud futurum fuisset. Docet, *Cerimonias* legales ho- 298.
mines ad Evangeliũ duxisse per viam 1. *figuræ* & signi, res spirituales ab oeconomia *gratiæ* expectandas repræsentantis. 2. *ratiocinii*, cultum Deo gratum in istis consistere non posse, ideoq; alium cultũ solidiorem requiri. 3. *desiderii* liberationis ab intolerabili tot cerimoniarum jugo, idque ad recipiendum Evangelium insignem dispositionem procurasse; & hinc, quia Israelitæ usus hujus, quem Ministerium legale eos docere poterat, ob naturalem cæcitatem in- 303.
capaces erant, Deum legem suam, ut efficax esset, certa mensura Spiritus sui, quem Paulus *Spiritum servitutis* Rom. 8, 15 appellet, comitatum

tatum fuisse: ubi simul fusius ostenditur, 1. ex quo principio processerit, 2. quos effectus produxerit, 3. cur ita appelletur, & quomodo a Spiritu adoptionis differat.

Lib. III. pag. 313. Contemplationem *Personæ* Christi VI Quæstionibus includit. 1. quid sit persona? 2. an Christus ante incarnationem persona vere subsistens fuerit? 3. an sit persona vere divina? 4. annon incarnatio duas personas in Christo constituerit? 5. annon incarnatio aliam personam, ab ea, quæ antea existebat, differentem produxerit? 6. an adorationis, quam Christo exhibemus, objectum formale sit præcise persona ejus, an persona sub officio Mediatoris? *Naturarum* consideratio IV Sectionibus absolvitur, quarum 1. quamlibet naturam in se, 2. in momento unionis, 3. post unionem, 4. usus ex doctrina incarnationis eruendos exhibet.

Lib. IV. 374. De triplici Christi *Officio* acturus Auctor de officio *Mediatoris* quædam in genere præfatur. Et quidem 1. *Nomina* 17, quibus Scriptura hoc officium exprimit, recenset. 2. quo *sensu* terminus *Mediatoris* in applicatione ad Christum sumendus sit. Asseruntur tres diversæ Fœderis Dei cum hominibus species, *Naturæ* scilicet, *Legis* & *Gratiæ*. In priori *amorem naturalem*, quo Deus in creaturam suam ferebatur, ad illam in communionem recipiendam suffecisse; Fœderis legalis Mediatorem fuisse *Mosen*, verius pro simplici interprete seu internuncio habendum, quam pro mediatore, quem

412. titulum Christus unice mereatur. 3 *Actus mediationis* diversos enumerat, inter quos dum de illo actu agit, quo Christus sibi fideles unit unione spirituali & mystica, hanc veram esse dicit; alias, si solum in assumtione naturæ humanæ per incarnationem consisteret, infideles æq; ac fideles cum ipso unitos fore, quod dici non possit.

414. Taxat Pontificios, quod unionem substantialem & corporalem invenerint, qua corpus Christi corpori nostro per veram & immediatam positionem substantiæ suæ physicæ super nostram, se uniat. Consistere potius communionem nostram cum Christo in *mutua repræsentatione* & in *vita spirituali*, cujus communicationem ab ipso, tan-

443. quam a fonte adipiscimur. 4. *Necessitatem Mediatoris*, tam ex par-

452. te Dei, quam nostri. 5. *Qualitates ejus* necessarias. 6. *Christi in offici-*

468. *um Mediatoris introductionem*, quæ in momento incarnationis facta fuerit, expendit. Hinc tria *officia* Christi, tam in *genere*, & quomodo

modo triplici malo humano *ignorantiæ*, *maledictionis*, & *servitutis peccati*, tribus gradibus ad plenitudinem salutis nostræ necessariis, *acquisitioni*, *revelationi*, & *applicationi*, tribus virtutibus Christianis *fidei*, *charitati*, & *spei*, & tribus principalibus virtutibus divinis, *Amori*, *Sapientiæ* & *Potentiæ* respondeant; quam *singula* in *specie*, accurato scrutinio ad ductum Scripturæ subjiciuntur; ita tamen, ut Tomus secundus in *prophetici* officii descriptione desinat, Tomo vero sequente *tertio* ad Sacerdotale & Regium munus accessus fiat.

Sacerdotale vero illud Mediatoris officium I. in se, II. ratione Actuum, & III. Effectuum consideratur. Quoad I. partem iterum 1. ejus Necessitas. 2. Excellentia 3. Typi, & 4. unitas. Ubi de constitutione Christi in hoc officio Auctor agit, dubium tollit, quomodo Hebr. 5, 5. in verbis Ps. 2, 7, de officio Regio potius intelligendis, Sacerdotium fundetur; autumatque, fundamentum assertionis Paulinæ in voce *Filii* latere, quæ triplici officio respondeat. Ut *filium* enim Christum secretorum voluntatis paternæ participem, adeoque *Prophetam*, Matth. 3, 17; ut *filium*, esse hæredem Patris, Ps. 2, 8, & hinc Regem; denique ut *filium*, esse principium *adoptionis*, quam ut *Sacerdos* nobis conciliaverit. II^am partem actus Sacerdotii, *Sacrificium* videlicet, *Intercessio* & *Benedictio* absolvunt. Circa *Sacrificium* duo potissimum notanda, *Expiatio* nempe & *Impetratio*. *Expiationis* consideratio Quæstionibus: an *Justitiæ divinæ pro peccatis creaturarum suarum necessario satisfieri oportuerit? an non Pœnitentia loco satisfactionis suffecerit? an possibile fuerit, ut Deus satisfactionem hanc non ex ipsa Peccatorum, sed Christi, vadis eorum manu reciperet?* &, *an in effectu secundum Scripturam verum sit, Christum pro nobis satisfecisse?* includitur. Necessitate puniendi peccata ex essentiali sanctitate Dei demonstrata, opinio hæretica id negantium pluribus diluitur, octo conditionum (quas legitima aliqua Satisfactio vicaria habere debet) explicatione, & applicatione ad Christum subjuncta. Sunt vero conditiones istæ sequentes: (1) ut peccatum puniatur. (2) ut supremus Magistratus in satisfactionem consentiat. (3) ut satisfacturus sponte ac lubens eam præstet. (4) ut idem sui sit juris. (5) ut nec hujus, nec alius criminis reus sit. (6) ut peccatores, quorum loco satisfit, illuc consentiant. (7) ut ma-

[Marginal notes: Tom. III. — pag. 8. — 43. — 46. — 60. — 90. — 105.]

ut major Dei gloria ex satisfactione vicaria, quam punitione pecca-
toris expectari possit. (8) ut inde nil damni, multum potius com-
modum, in Rempublicam redundet. *Impetratio* ad *gloriam ater-*
nam, & quæ eam præcedunt, *beneficia gratiæ* respicit, seu quid Chri-
stus nobis *promeruerit*; ubi & Christum exaltationem suam œco-
pag. 115. nomicam sibi meruisse, contra *Calvinum* & *Dallæum* asseritur. Porro
Actum *Intercessionis* præcise Christum Sacerdotem constituere *se-*
cundum ordinem Melchisedeci, eique unice competere, exclusis sub-
120. alternis, quos in *Sanctis* Pontificii sibi fingunt, Intercessoribus, li-
127. cet intercessionis eorundem efficaciam in merito Christi collocare
videri velint. In *Benedictione* vero Christi *quadruplicis*, cujus in
Scriptura mentio fiat, benedictionis, votivæ, acclamativæ, pater-
næ, & officii ratione impertitæ, perfectiones eminenter concurrere.
Sequitur contemplatio Actuum Sacerdotii ratione *extensionis* suæ
130. 1. ad *omnia secula*, cum Pater sacrificium mortis filii sui jam ab orbe
condito ceu actualiter præstitum respexerit. 2. *omnia loca*. 3. *omnia*
133. *peccata*, excepto *peccato in Spiritum Sanctum*, pro quo Christus mortu-
us haud fuerit, ob fixam & proæreticam mortis Christi, pro vere sa-
tisfactoria agnitæ, rejectionem; quo pacto ipsa mors Christi pars læ-
sa fiat, ultionem a justitia divina exposcens; adeoq; non simul λύτρον
esse possit. Circa *Universalitatis* & *Particularitatis* negotium ita
136. procedit Auctor, ut *Arminianis* ad illam, diverso tamen modo, in-
clinantibus refutatis, plurium inter Orthodoxos suos, quos vo-
143. cat, mortem Christi ad solos *electos* referentium opinionem, ut
multis inconvenientibus, (quæ distinctio inter *sufficientiam* & *desti-*
nationem, inter *universalitatem omnium hominum & omnium electo-*
rum, inter *singula generum* & *genera singulorum* non tollat,) obno-
154. xiam & rigorosam, quibusdam Propositionibus temperare sata-
gat. I. quando dicatur, Christum pro quibusdam mortuum esse,
significationem vocabuli PRO accurate attendi debere, ut *vel* hoc
velit: Christum revera *loco ipsorum* mortuum esse; *vel* simpliciter,
mortem Christi ex parte Dei & Christi ipsius illis proponi, cum man-
dato ut acceptent, & declaratione sincera & seria, eam iis, qui ac-
ceptaverint, proficuam fore. *Priorem* significationem magis pro-
priam & naturalem, *posteriorem* abusivam quidem, ordinario tamen
satis loquendi usu receptam esse. Melioris illustrationis ergo sup-
ponit

ponit *duas urbes*, quæ uni eidemque Regi subjectæ obsequii jugum excusserint. Regem *alteram* harum ita relinquere, ut plane gratiam ipsi facere nolit. Ad *alteram* mittere præcones, omnibus illis, qui armis positis ad clementiam Regis recursuri fuerit, criminis abolitionem proposituros. Hic *tria* hominum genera concipienda. *Primos* Rex justitiæ rigori committit. *Secundum* genus eos, qui oblatam gratiam actualiter arripiunt; *Tertium* eos, qui eam actualiter rejiciunt, complectitur. *Primis* nullo sensu gratia tribui potest; *Secundis* vero in propria significatione termini PRO, tanquam res quæ ad ipsos pertinet, cujusve possessionem jam obtinuerunt. *Tertii* in duplici *tempore* considerandi, aut *post*, aut *ante* actualem gratiæ oblatæ rejectionem. Respectu *prioris* temporis gratia, qua per rejectionem, quæ eos plane excludit, indignos se reddiderunt, ad eos non pertinet. Ratione *posterioris* temporis, gratia ipsis competit in sensu vocis PRO non proprio sed abusivo; h. e. quod Rex gratiam offerat, cum sincera intentione, ut ea acceptata fruantur. Aliud exemplum cum eadem applicatione subnectitur a divite quodam petitum, qui duplici genere captivorum, *Gentilium* & *Christianorum* sibi oblato, *illis* insuper habitis, inter *hos* iis, qui compedibus abjectis servitute egressuri essent, insigne lytron destinaverit. Hinc pag. 157.
in II. Propositione, per *urbem* rebellem & justitiæ traditam *Dæmones*; per *alterius* urbis incolas gratiam Principis actualiter amplexos, *Fideles*; per omnes ejus incolas ante distinctionem, qui gratiam arripiant vel rejiciant, consideratos, *omnes homines* in genere intelligit, ut *increduli* in *finali* incredulitate persistentes partem incolarum *post* rejectionem gratiæ consideratam constituant; & deinde concludit: Christum pro *Dæmonibus* nullo sensu; pro *Fidelibus* in sensu vocis *Pro* perfecto; pro *omnibus* hominibus ante incredulitatem finalem in sensu vocis *Pro* imperfecto; pro infidelibus in *finali* incredulitate consideratis nullo modo mortuum esse; diversis locis Scripturæ pro qualibet Propositionis parte confirmanda adductis, explicatis, & conciliatis. III. Missio Christi in mundum, ante- 181.
quam in ordine decretorum divinorum consideretur, ceu anterior distinctione hominum in electos & reprobatos a Deo factâ, aliud *objectum materiale* habere non potest, quam homines *peccatores* quoscunque, nec consequenter aliud principium, quam misericor-

diam

diam omnibus communem, nec aliud *objectum formale*, quam *fideles* quoscunque, absque speciali ullius annotatione, ut salvetur aut a
pag. 193. salute excludatur. IV. Missione Filii a Deo pro omnibus in ipsum credituris decreta, nec sapientiæ ejus, nec dignitati conveniens fuisset, hic subsistere, quia naturalis perversitas omnibus hominibus per se insita, illos omnes æque ad incredulitatem egisset. *Fidem* ergo, & per hanc meritum & satisfactionem Christi his aut illis in individuo dare constituit, cæteris in naturali conditione sua relictis.
196. V. Intentio Dei, cum filium mitteret, fuit 1. eum constituere Vadem & Mediatorem per sanguinē crucis pro omnibus in ipsum credituris 2. proponere ipsum indifferenter omnibus hominibus, eosq; omnibus modis invitare ad fidem, imprimis per spem inveniendi in Christo peccatorū remissionem & salutem; quæ duæ intentiones Deum ut legislatorem respiciunt. Facto vero decreto Electionis, qua toleret tales, ut fideles essent, particulariter selegit, 3. intentio ejus ceu œconomi fuit, ut filius horum talium determinate Vas & Mediator
198. foret, & pro illis, non autem pro aliis, moreretur. VI. Sic & Filii triplex intentio fuit 1. mori pro omnibus in se credituris, absque particulari determinatione. 2. ut mors ejus omnibus, citra ullius exclusionem proponeretur. 3. cum tales & tales videret, qui vi Electionis infallibiliter fideles esse deberent, mori pro illis nominatim
199. & non pro aliis. VII Licet Scriptura ipsa propositione conditionata utatur, *si credis, salvaberis*, cum tamen in materia decretorum divinorum opinioni *Arminianorum* & *Jesuitarum* prima fronte favere videatur, propositio hypothetica in categoricam, utpote magis naturalem ita reducenda: *Deus misit filium pro credentibus; mors Christi omnibus credentibus imputabitur* &c. Sic & *Intercessio* & *Benedictio*, cum actualem cum Christo communionem non nisi per fidem, quæ Electorum tantum est, obtinendam supponant, non nisi ad fideles & electos extendenda erit.

Effectus Sacerdotii Christi, qui III Partem materiæ hujus confi-
201. ciunt, glorificationē *Patris*, exaltationē *Filii*, & *Spiritus Sancti* ingressum in œconomiam suam, porro *illos*, pro quibus se immolavit, & de-
209. niq; reliquas *creaturas* omnes respiciunt. Effectus ratione eorū, pro quibus Christus mortuus est, vel *communes* sunt, ut promulgatio exterior Evangelii, & vocatio hominum ad fidem, vel *particulares*:

qui

qui vel *infideles* attinent, ut condemnatio, inexcusabilitas, & mors æterna, & quidem *per accidens*, quia in intentione Dei & Christi non fuerunt; (ubi in materiam *reprobationis negativa* in præteritione seu non-electione, & *positiva*, in voluntate determinata condemnandi consistentis, excurritur, cum explicatione loci Rom. IX. 17. de induratione Pharaonis:) vel *fideles*, quales sunt ele- pag. 224.
ctio æterna, vocatio interior ceu decreti electionis executio, justificatio & sanctificatio. Quomodo vero reliquæ *creaturæ* de effectibus mortis Christi participent, ex Rom. 8, 19. 22. & Col. 1, 20. de- 226.
monstratur.

Officium *Regium Christi* consideratur I. in se. II. respectu ad 229.
ipsam personam Christi ceu Mediatoris nostri habito. In I. Parte tractantur 1. Regni veritas. 2. necessitas. 3. natura. 4. finis. 5. extensio. 6. leges. 7. jura. 8. arma seu potentia. 9. hostes. 10. duratio. In II. Parte tria tempora observanda proponuntur; 1. quo jus ad 247.
Regnum accepit. 2. quo præludia quædam pleni exercitii præmisit. 3. quo solenniter inauguratus fuit. Subjunguntur typi, *David* præsertim & *Salomo*, ut & fructus ex doctrina hac propullulantes.

Duplex tandem Status Christi in disquisitionem venit, dua- Lib. V.
bus itidem partibus constantem, de utroque statu in *genere*, & unoquoque in *specie* agentibus. *Prior* circa Quæstiones versatur, 1. qui- pag. 255.
bus terminis Scriptura utrumque Statum exprimat? 2. in quo consistant? 3. quæ utriusq; necessitas? 4. annon humiliatio Christo indigna fuerit? 5. an humiliatio gloriam Christi prorsus extinxerit? 6. an ei exaltatio plus gloriæ, quam antea habuit, attulerit? 7. de cujusque Status duratione. 8. an, ut Christo conformes reddamur, per hos status & nos transire oporteat? *Posterior* 1. circa conceptionem & nativitatem Christi. 2. priores vitæ annos ante baptismum. 3. annos Ministerii. 4. Mortem. 5. Resurrectionem. 6. Ascensionem. 7. Adventum secundum & œconomiæ clausulam occupatur. Pauca inde excerpemus, ne lectoris patientia abutamur. Notum est, Inter- 268.
pretes non unos verba Ps. 110. *de torrente in via bibet*, de statu exinanitionis explicare; hic vero ostenditur, non deesse, qui ad plenam victoriam ex hostibus reportandam ea referant, metaphora a duce exercitus petita, qui sitim ex persecutione hostium contractam aliquot guttis ex obvio torrente haustis sedans, hostes ulterius fugare

D pergat.

pag.346. pergat. Circa *Incarnationem* diversas movet Quæstiones; cur
Christus non immediate instar Adami a Deo creatus fuerit? cur Spi-
ritum Sanctum in conceptione intervenire oportuerit? cur in ute-
ro virginis concipi voluerit? an ibi iisdem, quibus alii infantes, in-
firmitatibus expositus fuerit? quod affirmat, uti & veram & natu-
353. ralem nativitatem, refutatis Pontificiis, absque apertura matricis
& per penetrationem dimensionum eam contigisse asserentibus,
cum alias virgo mansisse dici non possit; sed respondet, aper-
turam matricis per varia accidentia, & per morbum fieri posse,
salva virginitate, quæ in non habito commercio, cum viro con-
363. sistat. Fugam in Ægyptum a Christo susceptam esse triplicem
ob caussam arbitratur, nimirum ut, quatenus Judæorum Messias est,
in eo, ceu capite, typum potissimorum fatorum, quæ universa na-
tio habuit, reperire liceret; dein ut, quatenus Redemptor totius
generis humani est, in ingressu ejus in Ægyptum (typum iræ ac ma-
ledictionis divinæ) & mox secuto egressu in Canaan, passio & exal-
tatio tanquam in speculo repræsentarentur; denique ut, quatenus est
typus, cui conformes Christiani fieri debent, in eo adumbraretur,
quomodo nos Pater transtulerit ex regno tenebrarum in regnũ gra-
tiæ, Coloss. I, 13. Verba, *Nazarenus vocabitur*, (quæ ex Prophetis
allegat Matthæus cap. II. v. ult.) non ῥητῶς quidem in Prophe-
tis extare asserit, extare tamen κατὰ διάνοιαν, dum Esaiæ LIII, 3.
Psalm. XXII, 7. LXIX, 20. prædicitur, Messiam variis scom-
365. matibus proscissum iri, id quod contigit, cum *Nazarenus* ludi-
brii caussa vocaretur tum Judæis, tum Pilato, (*Joh. XIX, 19.*) qua-
si diceres humuncionem nullius momenti inutileque terræ pondus.
Æque enim male Nazaretha oriundi audiebant Judæis (vide *Joh. I,
46.*) ac Cretenses Græcis, proverbiali nempe scommate κακὰ θηρία
545. & γαστέρες ἀργαὶ vocari soliti; Conf. *Tit. I, 12.* Ut igitur contu-
meliosissimum illud *Nazareni* nomen dari posset Servatori, Nazare-
thæ educari debuit. Sic non absque veri specie Claudius, qui de
cætero Lectorem ad *Dubia Evangelica* Spanhemii remittit. *Resur-
rectionem primam*, Apoc. XX, 4. 5. prædictam, moraliter explican-
dam contendit, non per conversionem a peccatis, sed per justum
æstimium martyrum Evangelii caussa mortem & injurias varias per-
pessorum, in mentibus hominum iterum quasi resuscitandum, cum
hactenus, antequam Christus Anti-Christum Spiritu oris sui confecis-
set, ob-

ſet, oblivione ſepultum fuiſſet. Ad dubium contra reſurrectionem carnis ab Anthropophagis peti ſolitum reſpondet, Deum non ex univerſa illa ſubſtantia, quæ ex alimentis ſucceſſive cum corpore humano coaluit, corpus reſurgentis formaturum; ſed tantum modo inde ſelecturum, quantum ad juſtam menſuram corporis ſufficiet. Cæteram ſubſtantiæ partem non reſuſcitatum iri. Et ad hanc poſterius memoratam pertinere ſubſtantiam, quam Anthropophagi ex devoratis humanis carnibus nacti fuerint. pag. 579.

HISTOIRE DU DIVORCE DE HENRY VIII Roy d'Angleterre, & de Catherine d'Arragon, &c.

id eſt:

Hiſtoria de divortio Henrici VIII Angliæ Regis & Catharinæ Arragoniæ. Acceſſit Defenſio Sanderi & Refutatio Hiſtoriæ D. Burneti de Reformatione Anglicana, cum copia documentorum.

Pariſiis, apud J. Boudot &c. 1688, in 8. Tomi III.

VIr celeberrimus D. Burnetus, in *Critica Varillaſii* anno 1687 in Actis noſtris p. 65 relata, mentionem facit colloquii, quod in bibliotheca regia Lutetiæ cum Abbate quodam, docto & candido habuerit, & quomodo ad dubia quædam, circa ſententiam Theologorum Pariſienſium de divortio Anglicano ipſi ſatisfecerit, Abbas vero communicationem documentorum comiter obtulerit. Idem fere refert Autor horum tractatuum, qui in dedicatione & in privilegio regio *Joachimus Grandis* (Le Grand) vocatur, nullo tamen nec Abbatis, nec alio titulo adjecto. Sed non agnoſcit, ſibi a Burneto ſatisfactum, neq; alia conditione documentorum copiam a ſe oblatam eſſe ſcribit, quam ſi Burnetus hiſtoriam ſuam revidere & corrigere vellet. Cum vero poſt triennii fere decurſum nihil tale, ſed potius e contrario comperiſſet, quod a Burneto veluti ſponſor hiſtoriæ ſuæ allegetur, & ſiniſtra de colloquio illo judicia ſpargantur, crediſſe ſe ait permiſſum ſibi, imo incumbere, ut documenta quæ Burneto oppoſuerit, publici juris faceret, & veritatis ſtudio iſta, quæ legimus, pro Sandero & contra Burnetum ſcriberet. Laudes Tom. I. pag. 11.

pag. 2. ab hoc sibi attributas modeste accipit, nec sine usura rependit, magnam in Burneto ingenii vivacitatem, eximiam eloquentiam & indefessam industriam non uno loco prædicans. Fatetur præterea,
3. neminem reperiri potuisse, qui rerum seriem tam apte connectere, adversariorum defectus probabilius producere, suarum vero partium speciosius occultare aut defendere novisset. Reprehendit autem
Tom. I. eundem, quod omni hoc artificio ad malæ causæ patrocinium abusus sit, magnamque illi non modo rerum extra Angliam, sed & intra
P. 3. 4. 5. eam gestarum ignorantiam, tum iniqua judicia malamque fidem,
30. & factionis Regi legitimo oppositæ studium imputat. Ab hac,
Tom. II. ex qua Parlamentum anno 1680 conflatum esse censet, elo-
Part. I. gium illud impetrasse eum scribit, quod historiæ suæ præfixerit. Du-
pag. 34. bitari non potest, habiturum esse D. Burnetum, quæ gravissimis
51. 52. 60. inculpationibus opponat: hæ enim non ad memoriæ lapsus
251. 254. aut errores in factis, quorum nemo immunis est, aut contra-
Part. II. dictiones, in quas incauti haud raro incidimus, pertinent, sed
pag. 174. conscientiam & famam haud leviter tangunt. Neque nos in his
187. 189. recensendis tempus cum fastidio lectorum consumemus. Sum-
190. 191. matim indicamus, tres hujus scripti partes esse. *Prima* (quæ *Tomo I.* exhibetur) luculentam historiæ de divortio Henrici VIII. cum Catharina Arragonia descriptionem continet. In *secunda* (sive Tomi II. parte I.) *Sanderi*, cui Burnetus CXXIII errores objecerat, apologia suscipitur, præmissa relatione de vita ejus. In *tertia* (quæ Tomi II. altera pars est) ex Burneti duobus prioribus libris CXXV puncta extrahuntur & refutantur. Succedunt *Tomo III.* Documenta, quibus pars I. potissimum confirmatur. Adjuncta tamen est Tomo I. versio Gallica longæ epistolæ *Cardinalis Poli* ad *Cranmerum Archiepiscopum Cantuariensem*, de qua infra aliquid dicemus. Judicari ex his potest, in quot capitibus par hoc Scriptorum, non male compositum, inter se dissentiant & certent. Nec levi industria in conferendis, quæ uterque produxit, documentis opus est ei, qui vel absolvere *Sanderum*, vel *Burnetum* condemnare velit. Discrepant non in rebus & factis tantum plurimis, sed & in judicio de omnibus fere personis, de quibus tractant; id quod ex iis, quæ de *Volsejo*, *Cranmero*, *Cromwello*, *Gardinero*, & de Regibus ipsis narrant & statuunt, facile intelligitur. Singulari studio *Grandis* famam *Campegii*

pegii Cardinalis vindicat, & pro calumniis habet, quæ illi a Burneto exprobrantur, inprimis quod filium nothum Londinum secum adduxerit. Allegatur enim *Sigonius* in historia vitæ Campegii, qua probatur, hunc antequam sacros ordines susciperet, maritum & quinque liberorum legitimum parentem fuisse. Multa dissensus materia utrique ex diversitate religionis, quam profitentur, nata est. Gallus enim, etsi controversiarum tractationem a se removeat, nullam tamen facile occasionem disputandi adversus reformationem, & tuendi quæ Romanæ Ecclesiæ a Protestantibus objici solent, omisit. Distinguit quidem ex Gallicæ Theologiæ (ut hodie maxime viget) placitis, Ecclesiam & Curiam Romanam, & dictum Christi, *regnum meum non est de hoc mundo*, urget; agnoscit etiam *tribunalia inquisitionis* mere Ecclesiastica non esse, neque eo nomine Protestantibus succenset, quod Pontificiæ potestatis extensionem in jura Regum & Principum non ferant; sed eosdem ab hæresi non absolvit, quod *autoritatem infallibilem*, *unitatem & visibilitatem Ecclesiæ* non admittant, tum quod *Sacrificium Missaticum*, *transsubstantiationem*, *successionem ministerii*, *necessitatem missionum*, *meritum operum*, *preces pro mortuis*, *venerationem reliquiarum*, & *cultum imaginum* negent & rejiciant. Sed hæc, quæ ille pro præcipuis errorũ capitibus traducit, &, quod omisit, purgatorium, Protestantes ita considerant, ut illorum omnium, & si quæ sunt similia, assertione absque omni salutis dispendio carere se posse confidant. De conjugio Clericorum fatetur Autor, quod non nisi jure positivo prohibitum sit: contendit tamen, prohibitionem illam primis Ecclesiæ institutis deberi. Capitales hæreticorum pœnas acriter defendit, consentientibus (ut cum aliis statuit,) Calvino & sequacibus, & ad Constantini Magni tempus initium illius rigoris refert. Lutherum ex sectæ suæ instituto data occasione insectatur, neque tamen laudem improbati divortii Anglicani illi invidet, quam etiam a Cochleo reportasse eum notat in libro, quem allegat, contra *Richardum Morisonum* Anglum: sed sine causa miratur vir doctus, quod Cochlei tractatus ille Lipsiæ A. 1538 a Principibus Saxonicis imprimi permissus fuerit, cum Caroli V. hostes essent. Nam neque ante bellum Smalcaldicum, quod octo post annos secutum est, Principes, quos innuit, hostes Imperatoris dici possunt, cui adversus Tur-

Tom. II. Part. II. pag. 36. & seqq.

Tom. II. Part. I. pag. 252.

Tom. II. Part. II. pag. 11. ibid. pag. 21. & seqq.

Tom. II. Part. I. pag. 167.

cas & Gallos intermedio illo tempore militarunt: nec Lipsia illis; sed viventi adhuc Georgio Duci subdita tum erat, adversæ factionis facile principi, & acerrimo Papismi defensori. In quæstione vero primaria, an dispensatio Pontificia locum habeat adversus leges de gradibus in conjugio cavendis, quæ in Levitico leguntur, affirmativam utique contra Henricum VIII. tuetur, & secum consentire maximam Theologorum & Canonistarum partem non dubitat; responsa vero pro Henrico producta non unius accusat defectus. Fundamentum inter alia a *Carolo Molinæo* in Notis ad Consil. Decii 629. p. 602. indicatum affert, quod *de toto Veteri Testamento nihil jure divino remanserit, præter Decalogum.*

Tom. II. Part. I. pag. 81.

Jam pauca de *Tomo III.* In hunc Autor plurima documenta conjecit, quibus paginæ plusquam 600. complentur. Maximam partem occupant epistolæ *Johannis Bellaji*, Episcopi *Bajonensis* & postea *Parisiensis*, ex quibus multa non solum de negotio illo Anglicano, sed & de aulis Regum memoratu digna disci possunt. Dialectus quidem horridior est, nec cum hodierno nitore linguæ Gallicæ comparari potest, habet tamen masculi & nativi candoris gratiam. Non minus merebitur de publico Autor, si ut promittit, aliud volumen epistolarum a Regibus & Magnatibus illo tempore scriptarum producturus est. Ad documenta etiam pertinet, quæ Tomo I. annexa est versio Gallica epistolæ Cardinalis *Poli*, cujus supra meminimus: optandum tamen esset, Latinam edi, ut scripta est. Continet enim præter ea, quæ Cranmero exprobrantur, ad vocationem & mores ejus pertinentia, gravem & uberrimã defensionem articuli de præsentia reali in Sacramento, cui etiam magna pars Protestantium posset subscribere; nec illubenter legentur, quæ pro facundia sua, illustris Scriptor pro asserenda transsubstantiatione & adoratione hostiæ commentatus est, vulgata illa quidem maxima ex parte, sed speciose elaborata. Præsupponit imprimis, adorationem primitivæ Ecclesiæ instituto deberi, ideoque idololatriæ minime suspectam esse, neque Deum permissurum fuisse, Ecclesiam tot seculis in crimine illo relinqui. Urget maxime fidem, & philosophicæ ratiocinationis, cujus Cranmerum accusat, suppressionem, ex qua opinio illa de sensu figurato nata sit; eoque tandem provehitur, ut dicat, mysterium illud, quod Paulus dicit gentilibus & Ju-

Tom. III. pag. ult.

Tom. I. pag. 327.

& Judæis ſtultitiam videri, non eſſe incarnationem aut paſſionem Chriſti, ſed occultationem corporis & ſanguinis ejus in ſpeciebus panis & vini, ſive transſubſtantiationem. Quod fidem documentorum, quæ producuntur, attinet, laudanda eſt diligentia Autoris, quod accurate indicet, ubi quæq; extent; nec absq; re eſt, quod in præloquio monet, magnam eſſe inter exempla, & quæ vocamus originalia, differentiam. Illa non ſine mendis deſcripta & compilata in Bibliotheca regia legi poſſe, ſed eum qui decipi nolit, authentica conſulere debere, quæ in plurima Volumina diſperſa reperiantur. Tom. I. Multa etiam notis ſive *ciphris*, quas vocant, exarata eſſe, ex qui- pag. 24. bus intelligi aut corrigi poſſint, quæ aperte ſcripta ſunt. Neglexiſſe hoc notat illos, qui ad MSS. in Bibliotheca & ſpeciatim *ad epiſtolam Bellaji* provocent; quod haud dubie ad Varillaſium pertinet, cujus allegationes marginales citat. Eundem vero expreſſe nominat, Ibid. & cum Burneto fato quodam concurrere exiſtimat; utrum- pag. 4. 5. que tamen & immodeſti certaminis, & neglectæ veritatis inſimulat, ac tertium aliquem cenſorem minatur, qui utriusq; famam imminuturus ſit. Iſta in præloquio leguntur, & levia ſunt præ illis, quæ Tomo II. adverſus ſcriptores Gallos pronuntiantur, qui hodie, ut ait, hiſtorias componunt, ut tractatus metaphyſicos, & ideas fin- Tom. II. gunt, ex quibus haud veriora eliciant judicia. Tolerari potuiſſe, ſi Part. II. profanas ſolum hiſtorias in fabulas heroicas (*Romans*) corrupiſſent, pag. 23. ſed jam cum ſummo ſeculi & nationis Gallicæ dedecore etiam Eccleſiaſticas perverti, & ſcribi quæ æternis tenebris digna eſſent. In hac occaſione hiſtoriæ de Wiclefo erumpit, novamque de iſto & Huſſo a ſe promittit. Ne vero obſcurum ſit, in Varillaſium iſtas cenſuras ferri, alibi hiſtoriam de Ludovico XII allegat, in cujus præ- d. l. p. 49. fatione Autor (Varillaſius utique) *celebre MSS. incomparabilis Saladini commendat.* Id eum legiſſe ſcribit, quemadmodum illa, quæ ex Bibliotheca regia allegaverit, id eſt, non legiſſe. Nullam enim extare Hiſtoriam Saladini MSS. ſed in Bibliotheca, (quæ nominatur) *Villarmontii* Chronicon quoddam veteri lingua Picardica ſcriptum oſtendi, quod ab initio mundi cœptum, in tempore Saladini finiatur, & de hoc paulo plura quam de aliis rebus narret. Hæc ſi ita ſunt, ſpe quam nos & lectores, ex indicio Varillaſii nuper in Actis anni 1687. pag. 663. relato, de raro illo MSS. concepimus, facile, ut appa-

ret,

ret, fruſtrabimur. Alia non pauca ex Tomis hiſce obſervari poſſunt, non vulgaris diligentiæ & eruditionis. Inter alia egregie de *Eraſmo Roterodamo* judicat Autor, ita tamen, ut optet quædam ab eo ſcripta non eſſe, v. g. *Encomium Moriæ*, & Dialogos qui inſcribuntur,
Tom. II. *Naufragium*, *Funus*, *Miles*, *Carthuſianus*, & alios a Theologis Pariſi-
Part. II. enſibus improbatos. Ad Chronologiæ etiam rectitudinem perti-
pag. 21. net obſervatio controverſiæ, de anno diverſimode in curia Pontificia numerari ſolito: notat enim, in *Brevibus* ſive reſcriptis & epiſtolis annum a *Cal. Januarii*; in *Bullis* vero ſive diplomatibus *Calendis Martii* computari conſueviſſe. Sed iſta & plura alia legentium ſtudio relinquenda ſunt.

DES ENFANS DEVENUS CELEBRES PAR leurs Etudes ou par leurs écrits. i. e.

DE PUERIS, QUI STUDIIS SCRIPTISVE INclaruerunt, Tractatus hiſtoricus *Adriani Bailletti.*

Pariſiis, apud Antonium Dezallier, 1688, 12. maj.

VAriam ſuam lectionem atque acre judicium erudito orbi dudum comprobavit clariſſimus *ADRIANUS BAILLET*, viri illuſtris *Chriſtiani Franciſci de Lamoignon*, Regis Galliæ Advocati Generalis bibliothecarius, dum A. 1685. & 1686. volumina octo *Judiciorum Eruditorum de ſcriptis primariis Autorum* edidit, a nobis *A. 1686. p. 251. ſeqq.* & *A. 1687. p. 573. ſeqq.* recenſita.

Promiſerat plura. Dum autem in iis perpoliendis occupatur, anxiæ admiratorum ſuorum expectationi diutius deeſſe noluit, ideoque in lucem ab Antonio Dezallerio edi paſſus eſt hanc *Puerorum* (aut, ſi mavis, *Adoleſcentium*), *qui* ante *vigeſimum* ætatis annum finitum, *famam eruditionis ſibi conciliarunt, hiſtoriam.*

Epiſtolæ in modum conſcripta eſt. Debebat enim *dedicatoria* eſſe, libro *de Anonymis aut Pſeudepigraphis Auctoribus*, quem ad prælum parat Bailletus, præfigenda. Inſcribitur idcirco *PUERO* clari non minus ſanguinis, quam indolis optimæ, *Chriſtiani Franciſci de Lamoignon* modo laudati *Filio*. Quo nomine proprio is appelletur, nobis non conſtat, cum, (quod factum nollemus,) reticuerit id Bailletus

letus

letus; genealogia autem Lamoniana, quam *Blanchartus* in *Historia Præsidum Parlamenti* habet, antequam ille natus esset, contexta fuerit. Non obscure tamen hoc passim libello innuitur, Papyrium illum *Lamonianum*, qui *Bailleti* ductu tanta in bonarum literarum studiis stadia tantilla ætate confecit, *annum decimum tertium* hoc ipso, quo scribimus, tempore vix excessisse. De illius ingenio judicare licebit, si, quam de marmore quodam tulit, sententiam, ex Bailleti relatione, his Eruditorum Actis inseramus. Repererat illud apud Gruterum *Inscript.* p. 332. n. 33. & Vossium, *Institut. Poetic.* lib. 1. c. 10. §. 14. p. 44. hoc exemplo:

L. VALERIO. L. F. PVDENTI.
HIC. CVM. ESSET. ANNORVM. XIII.
ROMAE. CERTAMINE. JOVIS.
CAPITOLINI. LVSTRO. SEXTO. CLARITATE.
INGENII. CORONATVS. EST. INTER. POETAS.
LATINOS. OMNIBVS. SENTENTIIS. JVDICVM.
HVIC. PLEBES. VNIVERSA. HISCONIENSIVM.
STATVAM. AERE. COLLATO. DECREVIT.
CVRAT. R. P.

Pudentis nulla, extra hunc lapidem, mentio extare dicitur, ne quidem apud eos, qui ex professo poetarum catalogos congessere. Annorum is XIII. fuit *lustro* (sive agone Capitolino quinquennali) *sexto*, h. e. (Lamonio censente,) anno Fl. Domitiani Imp. quinto ineunte, A. V. C. 839. Christi 86. Domitiano Cæs. & Corn. Dolabella CoSS. Sic enim de *Domitiano* Suetonius: *Instituit & quinquennale certamen Capitolino Jovi triplex, musicum, equestre, gymnicum.* Equidem jam Servii Tullii Romanorum Regis ævo septem fere retro seculis ludi Capitolini in usu esse cœperant. At nondum poetis ac citharœdis partes illic ac brabea erant, quod demum factum tempore Neronis, (qui & ipse carmina pangebat fidibusque canebat,) A. V. C. 813. Christi 60. Nerone IVtum, Corn. Cosso Lentulo CoSS. Hoc ab anno si numerare inceperis, Domitiani ludis *Lustri VI.* titulum negare haudquaquam poteris. Addit huic alumni sui conjecturæ conjecturam aliam Bailletus, inter Pudentis nempe antagonistas fuisse *Annæum Statium*, poetam inter classicos non postremum. Is enim (tum *in poemate ad uxorem Claudiam*, tum in alio *in mortem*

tù composito,) eo tempore in agone victum sese fatetur, causamque illius rei reddit, quod *Thebaida* tunc meditatus, omnes sui ingenii nervos in poema illud intendere nequiverit. Quod si verum est, Pudentem Statii victorem, poetam haud e trivio fuisse consequetur. Cæterum lectu quam maxime digna est digressio Bailleti de computo lustrorum, a p. 495. ad p. 508.

Unicum adjecisse non abs re erit, Lamonium eundem dubio procul intelligi, cum Auctor noster *Tomo V. de Poetis p. 271.* narrat, puerum quendam novennem, anno 1685. suopte ingenio, nec frustra, inquisivisse in fontes, e quibus *Ægidius Menagius* hauserit inventionem poematiorum quorundam Græcorum, quæ inter ejus opera, (*anno 1687. p. 573.* nobis memorata,) extant.

Cæterum ipsius libelli præsentis primarius scopus est probare, ipsa puerorum ingenia non incapacia esse Theologiæ, Jurisprudentiæ, Mathematum, Philosophiæ, Historiarum, & id genus aliarum scientiarum. Evincere id confidit Auctor exemplis circiter centum. Videas heic vitas Græcorum, Latinorum, Gentilium, Christianorum, Muhammedanorum, Principum, privatorum, veterum, recentiorum, marium, fœminarum, quandoque integras, ut plurimum tamen, & tantum non semper, non ultra annos juveniles pertextas. Ex his quidam famam meritis majorem habuisse videntur Nostro: cumprimis *Nicolaus Heliotus*, qui, *Naudæo* teste, in collegio Navarræo Universitatis Parisiensis, frequentissimo auditorio variarum linguarum, artium liberalium, Theologiæ, Juris Utriusque, Medicinæ, Philosophiæ callentissimus visus est anno 1343; item *Andreas, Petrus* & *Jacobus Canteri* fratres, quos decimo ætatis anno in omni, ut ajunt, scibili versatissimos fuisse, fide *Pauli Scalichii* refert *P. Colomesius*; denique *Quirinus*, qui 4500. theses Romæ proposuit publice & cum summo auditorum applausu defendit, si amico ejus Petro Bembo fides habenda. Ridendam etiam propinat *Bailletus* simplicitatem seculi decimi quinti, quo adolescens quidam anonymus, præter hominum illius ævi morem, & tantum non ad miraculum, omnium artium & scientiarum gnarus, pro *Dæmonis filio*, imo ipso *Antichristo*, habitus fuit A. C. 1445. Inter vere doctos pueros *Fortunius Licetus* comparet, de quo ex *Michaele Justiniano* de Scriptoribus Ligurinis p. 223. 488. notat, natum eum esse in confiniis

finiis

finiis Genuæ d.3. Octob.1577. cum nondum partui maturus, vixque septimestris embryo esset, matre ob itineris, quod cum marito *Josepho Liceto* Medico gravida faciebat, incommoda, abortum patiente. Positum igitur fuisse recens - natum a patre in fornacem ad thermometrum uniformiter perpetuoque calefactam, sicque beneficio caloris corpusculum immaturi illius fœtus ad perfectionem perductum esse, quemadmodū Ægyptii in fornacibus excludere solent ovis gallinarum pullos. Neq; tamen ea propter brevis vita Fortunio contigit. Obiit quippe Patavii circa annum demum 1656. Nec lectu injucunda sunt, quæ Bailletus memorat de *Alexandro Magno*, in cujus eruditione deprædicanda multus est, p. 15. seqq; de *Blasio Paschalio*, Mathematico αὐτοδιδάκτῳ, p. 303; de *Martino Antonio Delrio*, qui postquam decem minimum linguas addidicisset, innumeros auctores perlegisset, libros suomet Marte edidisset, gradum Doctoris Juris cum laude obtinuisset, Jesuitarum societati accessit, & testandæ humilitatis suæ caussa, studia sua in publicis scholis a primis elementis, instar rudissimorum Novitiorum redorsus est, p. 198; ut alios brevitatis studio omittamus. Ex hodie superstitibus celebriores sunt *Isaacus Vossius*, *Pompejus Sarnellius*, *Armandus Bouthillier* de Rancé, Abbas de la Trappe, *Fatio de Duillier*, *Camillus de Louvois*, puer duodecennis, Bibliothecæ Regiæ præfectus, *Ludovicus* denique *Augustus Borbonius*, Dux Cenomanensis, Ludovico XIV. Regi Galliæ die 31. Martii 1670. ex Francisca Athanasia de Rochechouart, Henrici Ludovici de Pardaillan Gondrin Marchionis de Montespan uxore natus, cujus opuscula in volumen collecta ante triennium edita sunt hoc titulo: *OEUVRES DIVERSES D' UN AUTEUR DE SEPT ANS. Recueil des œuvres de Monsieur le Duc du Maine qu'il a faits pendant l' année 1677 & dans le commencement de 1678*, i.e. OPERA VARIA AUTHORIS SEPTEM ANNOS NATI: Sylloge operum a Domino Duce Cenomanensi anno 1677, & anno 1678. ineunte, compositorum. Latius ea commemoravit *Petrus Bælius* in Excerptis Reip. Literariæ Roterodamensibus.

Id denique notandum, classi huic puerorum doctorum primariæ *duas alias* adjici; quarum *altera* viros complectitur, qui studiis, queis pueri inclaruerant, provectiori ætate aut repudium remiserunt, aut pessime abusi sunt, *altera* illos, qui sero quidem animum


ad studia appulerunt, ingenio tamen suo felicissimo improboque labore ac diligentia tantum effecere, ut inter clarissimos ævi sui Eruditos eminuerint. Ex media illa classe est *Jacobus Marchisettus* Pisaurensis, Cardinali *Aldobrandino* Clementis VIII. P.R. Nepoti a Secretis. Ablegatus fuerat Cardinalis in Galliam pacis inter Regem & Sabaudiæ Ducem componendæ caussa, iterque ingressus comitibus suis serio injunxerat, ut a muneribus manus illibatas servarent. At cum Marchisetto a Rege munus mille aureorum Hispaniensium (*500. pistoles d' or*) oblatum fuisset, eo quod hunc (uti Homerus Agamemnonem) *Regem Regum* in Oratione quadam salutasset, resistere *Giezi* ille *Italus* non potuit tot armatis, munusque regium facillimo negotio obtrudi sibi passus est; sed hoc nomine gratia Cardinalis excidit, & paulo post jacturæ tantæ æquo animo ferendæ impar, ex mœrore obiit.

Laude dignum judicamus, quod ad marginem authores allegare studuerit Bailletus, quibus ipsi concinnandis vitis adjutus fuit. Non autem cæco impetu vestigia eorum ubivis sequitur, quin plus simplici vice ab iis recedit & errasse eos ostendit. Exempli loco esto *Antonius Varillasius*, cujus nævos certatim notarunt hactenus eruditi. Meminerat is, in *Anecdotis Florentinis*, Johannis *Pici* Mirandulani, Angeli Bassi *Politiani* & Philippi *Beroaldi* junioris; sed aliquoties in eorum vitis recensendis cespitaverat, quod Bailletus p. 76. 78. 81. 87. 96. observat. Sæpiuscule queritur, vitas virorum clarorum, e.g. Nicolai *Rigaltii*, Gasparisque *Scioppii*, non extare typis exscriptas, seque adeo de eorum ætate indubitato certiorem reddere nequivisse lectorem.

G. G. L. DE LINEIS OPTICIS, ET ALIA;

Excerpta ex literis ad ———

VErsanti mihi dudum in longinquo satis itinere, quod Serenissimi Principis mei jussu suscepi, & passim monumenta in Archivis & Bibliothecis excutienti, oblati sunt ab amico quodam Actorum Lipsiensium menses, unde jam diu novorum librorum expers discerem, quid in Republica literaria ageretur. Inspicienti igitur Junium anni 1688 occurrit relatio de principiis Naturæ Mathematicis Viri Clarissimi Isaaci Nevvtoni, quam licet a præsentibus






Fig. 3.




Fig. 2.

bus meis cogitationibus longe ſemotam, avide & magna cum delectatione legi. Eſt enim vir ille ex paucorum illorum numero, qui ſcientiarum pomœria protulere. Quod vel ſolæ illæ ſeries docere poſſunt, quas Nicolaus Mercator Holſatus per diviſionem erat aſſecutus, ſed Nevvtonus longe ampliore invento extractionibus radicum purarum pariter & affectarum accommodavit. A me, ut obiter hic dicam, methodo ſerierum promovendæ, præter transformationem irrationalium linearum in rationales ſymmetras (voco autem rationales, quarum ordinatæ ſemper ex abſciſſis haberi poſſunt in numeris rationalibus) excogitata eſt ratio pro curvis tranſcendenter datis, ubi ne extractio quidem locum habet. Aſſumo enim ſeriem arbitrariam, eamque ex legibus problematis tractando, obtineo ejus coefficientes. Porro a præſenti opere Nevvtoniano præclara quæque expecto, & ex relatione Actorum video, cum multa prorſus nova, magni ſane momenti, tum quædam etiam ibi tradi, a me nonnihil tractata; nam præter motuum cœleſtium cauſas, etiam lineas catoptricas vel dioptricas, & reſiſtentiam medii explicare aggreſſus eſt. *Lineas* illas *Opticas* Carteſius habuit, ſed celavit, nec ſuppleverunt commentatores; neque enim res communi analyſi ſubeſt. Eas poſtea ab Hugenio (ſed qui nondum edidit) & nunc a Nevvtono inventas intelligo. Etiam mihi, ſed per diverſam, ut arbitror viam, innotuere. Et habebam quidem methodos generales dudum, ſed proprias perelegantes eruendi occaſionem dedit egregium inventum Dn. Tſchirnhauſii noſtri in Actis publicatum, qui integras lineas, tanquam focos conſiderat. Quid inde conſecutus ſim, exemplo explicabo, unde reliqua intelligantur. Sit punctum A & linea data BB, reflectens radios AB, quæritur linea CC, radios ABC iterum reflectens in unum commune punctum D. Solutio primæ aggreſſionis hæc eſt. Data linea BB, ejus reſpectu conſtat dari puncti A confocum linearem ſeu lineam EE. Rurſus datis duobus confocis, uno lineari EE, altero puncto D, conſtat inveniri poſſe aliquam lineam CC, cujus ſunt foci, quæ erit quæſita. Meliores autem conſtructiones prodeunt, nam A1B + 1B1E + arc. 1E2E = A2B + 2B 2E, & D2C + 2C2E + arc. 2E1E = D1C + 1C1E, unde tota AB + BC + CD ſemper eſt æqualis uni conſtanti rectæ. Si filum circumligatum ſit lineæ EE ſimulque alligatum puncto D, tunc evo-

TAB. I. Fig. 1.

lutione curvæ EE, ſtylus filum intendens deſcribet lineam CC. Sin filum idem altero extremo alligatum ſit puncto A, ſtylus filum intendens deſcribet lineam BB. Sed diſſimulata curva EE, prodit *conſtructio ſimpliciſſima* talis: a data recta conſtante (æquali AB + BC + CD) detrahatur quævis data AB, reſiduæ ſumatur æqualis BF ita ducta, ut ad PB curvæ BB vel ejus tangenti perpendicularem in B, faciat angulum FBP, ipſi ABP æqualem. Iungatur DF, & ex puncto ipſius DF medio G normaliter educta GC occurret ipſi BF in quæſito puncto C; & quidem patet, GC eſſe lineæ CC tangentem. Rotetur porro figura hæc circa axem AD, & quæ in lineis diximus, etiam in ſuperficiebus genitis locum habebunt. Eadem & dioptricis applicari poſſunt. Lineam EE voco *Acampton*, quæ radios ABE ſine reflexione & refractione accipit. Dantur & *Aclaſta*, quæ eosdem non refringunt & tamen reflectunt, & ſunt illæ quæ ipſius EE evolutione ſimplici deſcribuntur, quod primus licet alio fine conſideravit Hugenius. Talis eſt FF poſita CF (in producta BC) = CD. Si pro A aut D punctis, aut alterutro, foci lineares darentur, aut punctum infinite abeſſet, ubi radii fierent paralleli, eadem ſuo modo locum haberent.

Quæ de Reſiſtentia Medii peculiari ſcheda complexus ſum, jam pro magna parte Pariſiis duodecim abhinc annis eram aſſecutus, & Illuſtri Academiæ Regiæ nonnulla ex illis communicavi. Denique cum mihi quoque meditationes inciderint de cauſſa phyſica motuum cœleſtium, operæ pretium duxi peculiari ſchediaſmate nonnullas ex illis in publicum proferre. Decreveram quidem premere, donec mihi liceret leges Geometricas diligentius conferre cum phænomenis noviſſimis Aſtronomorum. Sed (præterquam quod alterius plane generis occupationibus diſtringor, quæ vix quicquam tale ſperare patiuntur) excitavit me Nevvtonianum opus, ut hæc qualiacunque extare paterer, quo magis collatione rationum excuſſæ emicent ſcintillæ veritatis, & ingenioſiſſimi viri acumine adjuvemur.

G. G. L. SCHEDIASMA DE RESISTENTIA Medii, & Motu projectorum gravium in medio reſiſtente.

Galilæus

GAlilæus cum regulas motus projectorum investigavit, resistentiam medii sepoſuit; fecere idem Torricellius,& qui secuti sunt: fatentur tamen aliqui defectum doctrinæ,atq; hinc orientes in praxi errores. Blondellus quidem in libro de jactu bomborum putat,impune posse negligi hanc considerationem, sed argumenta ejus non sufficiunt, nec experimenta affert in magno sumta. Cæterum difficilior est reiGeometrica investigatio,quam ut ab illis,doctissimis licet viris, expectari facile & sperari potuerit, nondum inventis tunc, aut certe non satis passim notis subsidiis. Et tamen leges projectorum veræ, & calculus experimentis consentiens, magno in balistica & pyrobolicis usui futurus, hinc potissimum pendere videntur.

Ego jamdudum Inclytæ Academiæ Scientiarum Regiæ Parisinæ,cum apud illos agerem,de hoc argumento ratiocinationes communicavi, & modum æstimandi ex parte tradidi, speciesque distinxi. Duplex igitur medii resistentia est, una absoluta, altera respectiva, quæ plerumque concurrere solent. *Absoluta resistentia* est, quæ tantundem virium mobilis absorbet,sive id parva sive magna velocitate moveatur,dummodo moveatur,& pendet a *medii glutinositate*;perinde enim est, ac si partes filamentis motu mobilis perrumpendis,connexæ essent inter se.Eadem locum habet in *frictionibus* superficierum asperarũ,in quibus mobilia decurrunt;nam obstacula sunt abradenda vel saltem deprimenda,ad instar pilorum elasticorum sese postea rursus erigentium; ad elastrum autem deprimendum, vel ad filum rumpendum, eadem semper vis impendenda est, nec refert quæ sit agentis velocitas. *Resistentia respectiva* oritur ex medii densitate, & major est pro majori mobilis velocitate, eo ipso quod partes medii agitandæ sunt a penetrante, movere autem aliquid est vim impendere, & eo majorem, quo major communicatur motus medii partibus, hoc est,quo celerior est motus penetrantis. Et resistentia fluidi quiescentis, erga corpus incurrens, est æqualis vi fluidi incurrentis in corpus quiescens, quæ major est cum celerior est motus fluidi, ut videmus corpora vento & aqua moveri, imo jactu aquæ satis impetuoso gravia sustineri; licet hic quoque sese absoluta resistentia immisceat, a qua tamen abstrahendus est animus, cum respectivam æstimamus, quasi nulla esset medii tenacitas. Hoc quoque interest inter duas resistentiarum species, quod absoluta habet quodam-

modo

modo rationem ſuperficiei mobilis ſive contactus; reſpectiva vero ſolididatis. Utrobique paradoxum occurrit, quod mobile penetrans in medium uniforme ubique reſiſtens, nunquam quidem ab eo redigetur ad quietem: a reſiſtentia tamen abſoluta corpus quod vi ſemel concepta movetur, neque aliunde acceleratur, certum habet limitem ſpatii ſive penetrationis in medium, ita ut ſemper ad ipſum recta accedat, nunquam tamen eo perveniat, quam voco penetrationem maximam excluſi am, ſeu maximam quæ non; a reſiſtentia vero reſpectiva corr niformiter acceleratum (ut grave deſcendens) habet certum ...em velocitatis, ſeu maximam velocitatem excluſivam, ad quam ſemper accedit, (ut poſtremo differentia ſit inſenſibilis,) ita tamen ut eam nunquam perfecte attingat. Et hæc velocitas eſt illa ipſa, qua motum fluidum (ad inſtar jactus aquæ) poſſet grave ſuſtinere, ne deſcendere incipiat. Utriusque motus leges primarias hic exponemus, quantum iſta brevitas patitur, nam cuncta diſtincte tradere res integri tractatus foret.

De Reſiſtentia Abſoluta.

Artic. I.

Si motus Mobilis ſit per ſe uniformis & a medio æqualiter ſecundum ſpatia retardatus.

(1) Decrementa virium ſunt proportionalia incrementis ſpatiorum (quæ eſt *Hypotheſis* caſus præſentis)

(2) Velocitates ſunt proportionales ſpatiis: perditæ, percurſis; reſiduæ, adhuc percurrendis. Ponantur incrementa ſpatii eſſe æqualia, erunt decrementa virium æqualia (per propoſit. 1.) jam ſi ejusdem mobilis decrementa virium ſint æqualia, etiam decrementa velocitatum ſunt æqualia (ſunt enim vires ut quadrata velocitatum, æqualibus autem exiſtentibus quadratis etiam æqualia ſunt latera) itaque elementa velocitatum amiſſarum ſunt ut elementa ſpatiorum percurſorum, reſiduarum ut adhuc percurrendorum. Ergo
TAB. I. velocitates ſunt ut ſpatia. Nempe ſi in fig. 2 velocitas initio ſit AE,
Fig. 2. ſpatium integrum in medio percurrendum ſit recta AB, ejus pars jam percurſa AM, adhuc percurrenda MB; velocitas reſidua MC (vel AF) amiſſa FE, erit ECB, recta.

(3) Si ſpatia reſidua (MB vel LT) ſint ut numeri, tempora inſum-

insumta (ML vel BT) erunt ut logarithmi, nam si elementa spatii sint progressionis Geometricæ, erunt spatia residua ejusdem progressionis Geometricæ, ergo (per 2.) etiam velocitates residuæ, ergo incrementa temporis sunt æqualia, ergo tempora ipsa progressionis Arithmeticæ.

(4) Mobile M nunquam absolvit spatium percurrendum integrum (AB) etsi semper accedat ad limitem (B) patet enim BT esse asymptoton lineæ logarithmicæ AL, scilicet ipsius AB logarithmus hic est o, ipsius o logarithmus est infinitus, interim in praxi motus fit tandem insensibilis, ut & distantia a B, præterea nullibi datur medium perfecte uniforme.

(5) Si mobile moveatur motu composito ex uniformi & æqualiter a medio secundum spatia retardato, seu si mobile (M) feratur in regula rigida (AB) secundum Hypothesin præsentem (uti revera sic satis contingit ob frictionem, si globus in regula rigida horizontali recta moveatur) ipsa vero interim regula (AB) sibi parallela manens, uniformiter mota, uno extremo (B) incedat in aliqua recta (BT) describet lineam logarithmicam (AL) *Generaliter* enim, si mobile feratur motu composito ex uniformi & alterius legis, describet lineam ordinatis suis & abscissis relationem inter tempora & spatia dictæ legis exprimentem, quod est *memorabile theorema:* habemus etiam hinc modum Physicum *construendi Logarithmos*, quos Geometria communis exacte construere non potest.

Artic. II.

Si motus sit a gravitate acceleratus, & a medio æquabiliter secundum loca retardatus.

(1) Est hoc loco *Hypothesis prima* eadem cum Hypothesi unica præcedenti, nempe decrementa virium (id est hoc loco velocitatum) facta a resistentia absoluta, sunt proportionalia incrementis spatiorum.

(2) Accessiones velocitatum a gravitate sunt proportionales incrementis temporis, estque *Hypothesis altera* ex natura motus gravium.

(3) Dantur rectæ proportionales temporibus insumtis, a quarum unaquaque si detrahatur recta æqualis respondenti spatio percurso a puncto mobili, residua recta erit proportionalis velocitati

tati acquisitæ; nam velocitates impressæ sunt proportionales temporibus (per 2) amissæ spatiis percursis (per 1 hic, ad modum posit. 2 articuli præcedentis) ergo residuæ acquisitæ differentiis.

(4) Si velocitatum acquisitarum complementa ad maximam sint ut numeri, tempora insumta erunt ut logarithmi. Nempe *retenta figura priore* sit AB velocitas maxima (quam mox patebit esse talem exclusive) AM acquisita, BM vel TL adhuc acquirenda, seu complementum acquisitæ, BT & ML tempus impensum. Ex prop. 1 & 2 repeterietur temporum BT incrementis sumtis æqualibus, velocitatum AM incrementa esse ipsis BM proportionalia. Ergo si BT logarithmi, erunt BM numeri. (5) Hinc patet (ad modum proposit. 4 Articuli præcedentis) ad velocitatem maximam AB nunquam perveniri, seu esse talem exclusive.

Artic. III.

Si grave projiciatur in medio resistentiam habente absolutam.

Hoc est si feratur motu composito, ex motibus duorum articulorum præcedentium. *In figura 3* ponatur grave in A positum, conans descendere in A G & parallelis, projici ex A directione AMB, angulo quocunque MAG, & describere lineam AP; sit AB via maxima exclusiva articuli primi, compleantur parallelogramma MAGP, BAGK.

TAB. I. Fig. 3.

(1) Recta horizonti perpendicularis (BK) per (B) limitem penetrationis (seu per punctum ad quod mobile motu per se uniformi, in medio uniformi & absolute resistente, in recta AM progrediens, penetrare non potest) est lineæ projectionis asymptotos, seu lineæ duæ, videlicet recta BK & curva AP, utcunque continuatæ sibi quidem semper accedunt, sese tamen nunquam attingunt, quia mobile ad partes B in AB & parallelis eodem modo tendit motu composito, ac si secundum solius articuli primi leges sine gravitate ferretur, nunquam ergo pervenit ad B, vel aliquod ei æquivalens punctum in recta BK utcunque producta.

(2) Linea projectionis non est ex numero conicarum; non utique parabola circulus aut ellipsis, hæ enim carent asymptotis. Non hyperbola, neque enim hic ut in hyperbola per punctum aliquod

quod in recta utrinque indefinita BK sumtum, duci potest adhuc *alia* linea asymptotos.

(3) Datur certa quædam *linea simplex* (hoc est paraboloeidés aut hyperboloeides) cujus abscissæ, si sint proportionales spatiis (BM) residuis ad limitem penetrationis (AB) projectioni præscriptum, ordinatæ sunt proportionales velocitatibus adhuc deficientibus ad acquirendum limitem velocitatis descensui præscriptum: *Lineam simplicem* hic intelligo, cujus ordinatæ sunt in ratione quacunque multiplicata aut submultiplicata abscissarum. Itaque sensus est, velocitates descensui adhuc deficientes, esse in ratione spatiorum adhuc limiti penetrationis deficientium, secundum certum aliquem numerum constantem multiplicata. Hoc ex eo demonstratur, quod ambo possunt intelligi progressionis Geometricæ, si tempora insumta sint progressionis Arithmeticæ per art. 1 prop. 3, & artic. 2 prop. 4, & utrobique numeri maximi logarithmus est 0, minimi infinitus, per art. 1 prop. 4, & artic. 2 prop. 5. Cum numerus rationem multiplicans est rationalis, oritur aliqua linea paraboloeides aut Hyperboloeides Geometriæ communis. Porro hic numerus quibusdam experimentis inveniri potest.

(4) Inveniri potest *linea projectionis* AP, seu relatio inter coordinatas AG spatium descensus, & AM spatium progressionis per se uniformis. Nam artic. 2 prop. 3 datur relatio simplex inter tempus insumtum, spatium descensu percursum AG, & velocitatem descensu acquisitam in G. In hac relatione pro tempore substituatur AM, ope relationis inter ipsa datæ artic. 1 propos. 3: restat ergo relatio inter AG & AM, quæ etsi sit transcendens, tamen nihil aliud supponit quam Logarithmos.

Artic. IV.

De Resistentia Medii respectiva, si motus per se uniformis a medio uniformiter retardatur proportione velocitatis.

Quemadmodum fit considerata tantum medii densitate, nulla habita ratione tenacitatis.

(1) Diminutiones velocitatum sunt in ratione composita velocitatum præsentium, & incrementorum spatii. Quæ est *Hypothesis* casus præsentis.

(2) Si velocitates residuæ (ut MB seu LT *fig.2*) sint ut numeri, spatia percursa (BT seu ML) sunt ut Logarithmi. Eodem modo demonstratur, ut art. 1 propos. 3, si pro spatiis illic positis, ponas velocitates, & pro temporibus, spatia.

(3) Si tempora insumta, certa quantitate constanti aucta, sint ut numeri; spatia percursa sunt ut Logarithmi. Nam spatii elementis existentibus æqualibus, temporis elementa sunt reciproce ut velocitates, hoc est crescunt progressione Geometrica (per præced.) ergo (ex quadratura logarithmicæ) tempora constanti quantitate aucta etiam sunt progressionis Geometricæ.

(4) Hinc etiam tempora constanti quantitate aucta sunt reciproce ut velocitates residuæ. Patet ex consideratione præcedentis. Constans autem illa quantitas est tempus finitum quo percurreretur spatium infinitum, si prima velocitas ea proportione cresceret, qua nunc a resistentia medii diminuitur. Et potest inveniri hæc quantitas duobus experimentis, ex collatis spatiis & temporibus, imo unico experimento, in quo considerantur tempus & velocitas.

Artic. V.

Si motus a gravitate acceleratus a medio uniformi retardetur proportione velocitatis.

(1) Est hoc loco *hypothesis* 1 eadem cum hypothesi unica articuli præcedentis.

(2) Et *hypothesis* 2 est eadem cum hyp. 2 articuli secundi.

(3) Resistentia est ad impressionem novam, a gravitate eodem temporis elemento factam (seu diminutio velocitatis ad accessionem) ut quadratum excessus velocitatis maximæ super acquisitam est ad quadratum maximæ. Nam ex prop. 1 (hic) sequitur resistentias esse in composita ratione elementorum temporis & quadratorum velocitatum; at impressiones novæ sunt ut elementa temporis per prop. 2, & in casu maximæ velocitatis diminutio & accessio velocitatis sunt æquales. Unde facile concluditur propositum.

(4) Si rationes inter summam & differentiam velocitatis maximæ & minoris assumtæ, sint ut numeri; tempora, quibus assumtæ velocitates sunt acquisitæ, erunt ut Logarithmi. Cum enim incremen-

crementum velocitatis sit differentia inter impressionem & resistentiam, hinc (ex præcedenti) statim sequitur impressionem esse ad incrementum velocitatis, ut quadratum velocitatis maximæ ad excessum hujus quadrati super quadratum præsentis velocitatis assumtæ. Ex quo scimus per quadraturas summam impressionum inde ab initio, quæ est proportionalis insumto tempori, esse ut Logarithmum, si numerus sit qualem in propositione hac enunciavimus.

(5) Velocitas maxima est talis exclusive, seu nunquam attingi potest, etsi ad eam intervallo inassignabili accedatur. Nam cum ratio est æqualitatis, seu cum velocitas assumta est incipiens, sive *infinite* parva, tempus (adeoque logar.) est o, & proinde cum sit ratio *infinita*, hoc est, cum velocitas assumta est ipsamet maxima, logarithmus rationis est infinitus. Itaque ad eam velocitatem acquirendam infinito tempore opus foret. Inveniri autem potest maxima velocitas per duo experimenta, collatis temporibus & velocitatibus, item per prop. 3.

(6) Si velocitates acquisitæ (AV *fig. 4*) sint ut sinus (arcuum HK portionum quadrantis circularis HKB) erunt spatia percursa (AS) ut Logarithmi sinuum complementi (VK) posito radium seu sinum totum (AB) esse ut velocitatem maximam. Nam ex hypothesi 2 sequitur incrementa spatii esse in ratione composita velocitatum acquisitarum & impressionum gravitatis, sed impressiones sunt ad incrementa velocitatis, ut enunciatum est in demonstratione prop. 4. Hinc sequitur incrementa spatii esse in ratione composita incrementorum velocitatis & velocitatum directa, & reciproca ratione excessus quadrati maximæ velocitatis super quadratum assumtæ. Unde scimus per quadraturas sequi propositum. Patet hinc Logarithmum sinus totius esse o (cum velocitas est o) at evanescentis sinus complementi (cum velocitas est maxima) Logarithmum seu spatium esse infinitum, unde rursus patet velocitatem maximam nusquam attingi. TAB. I. Fig. 4.

(7) Si spatia percursa (AS *fig. 4*) sint ut Logarithmi sinuum (KV, arcuum BK) tempora insumta sunt, ut logarithmi rationum, quæ sunt inter sinum versum (BV) & (VD) complementum ejus ad (BD) diametrum, seu duplum sinus totius (AB) Patet ex collatis propositionibus 4 & 6.

Artic. VI.

Si grave projiciatur in medio uniformi resistentiam habente respectivam.

Seu feratur motu composito ex motibus duorum articulorum præcedentium. Sit (*fig.4*) projectio in AM & parallelis, descensus in AS & parallelis, angulo MAS quocunque; locus motus compositi P habetur completo parallelogrammo MASP.

(1(Inveniri potest linea projectionis (seu relatio inter AS & AM). Ex spatio AS datur (per artic. 5 prop. 6) AV velocitas descendendi in S, seu in P. Ex hac (per prop. 7) datur tempus insumtum. Ex hoc (per artic. 4 prop. 3) datur spatium AM seu SP. Ex datis igitur lineis abscissis AS, dantur ordinatæ SP; ac proinde lineæ puncta inveniri possunt.

(2) Inveniri potest lineæ tangens, seu ipsius mobilis in ea directio. In AM sumatur MN, quæ sit ad MP, ut velocitas in M, inventa per tempus insumtum (artic. 4 prop. 4) ad velocitatem in S inventam per idem tempus (artic. 5 prop. 4) & juncta NP tanget curvam in puncto P. Et cum eadem sit velocitas descendendi in P, quæ in S, itemque velocitas persequendi projectionis directionem in P, quæ in M, patet qualis illa sit in puncto P; patet etiam qua vi mobile in ipsa linea projectionis feratur, velocitas enim in linea est ad velocitatem descensus, ut NP ad MP.

Possemus etiam in unum componere resistentiam absolutam ex articulis 1, 2, 3, & respectivam ex artic. 4, 5, 6, uti certe revera concurrunt in natura, sed prolixitas hic vitanda est. Multa ex his deduci possent praxi accommodata, sed nobis nunc fundamenta Geometrica jecisse suffecerit, in quibus maxima consistebat difficultas. Et fortassis attente consideranti vias quasdam novas vel certe satis antea impeditas aperuisse videbimur. Omnia autem respondent *nostræ Analysi infinitorum*, hoc est *calculo summarum & differentiarum* (cujus elementa quædam in his actis dedimus) communibus quoad licuit verbis hic expresso.

Occasione eorum quæ de usu pulveris pyrii mechanico in Lipsiensibus pariter Actis, ac Roterodamensibus Novellis vidi, dicam primum celeberrimum Thevenotium, quod mihi constet, de tali re cogitasse, ad Hydraulica negotia, unde & mihi aliqua porro meditandi

tandi materia nata est, quam comprehendat πεϱιάνδϱε κλιάνθης. Quod obiter hic adjicere volui.

ENTRETIENS SUR LA METAPHYSIQUE ET sur la Religion, par le P. Malebranche &c.

hoc est:

Dialogi de Metaphysicis & Religione, auctore P. Malebranche Oratorii Presbytero.

Roterodami, apud Rein. Leers, 1688, in 12.

NOn novum est in actis nostris Malebranchii nomen, quod dialogi isti præferunt, in quibus styli elegantia cum subtilitate rerum certare videtur; aliquoties enim commemoratum nobis est, cum controversiæ, quæ ipsi cum Arnaldo intercedunt, succincte fuerunt recensitæ. Quibus in locis licet hypotheses hujus Auctores strictim pariter enarratæ, ac fontes, ex quibus uberior earum cognitio petenda, indicati fuerint, non pigrabimur tamen etiam horũ dialogorum summas referre, in quibus collocutores agunt Aristus & Theodorus (accedente in septem posterioribus Theštino) & Auctor, sub Theodori persona, hypotheses suas tantum non omnes, familiaris colloquii specie, proponit. In *primo*, probata animæ existentia & distinctione a materia per cogitandi proprietatem, ad naturam idearum explicandam accedit, easque revera existere ex eo concludit, quoniam, dum cogitamus, id de quo cogitamus non est nihil, sed v. g. circulus, quem concipimus, habet suas proprietates, & a quavis alia figura per easdem differt, id quod de nihilo dici nequit. Has vero ideas, quoniam ab anima nostra non producuntur, sed sunt in nobis, licet res quas repræsentant non existant, existentiam æternam & necessariam habere asserit, & esse extensionem illam intelligibilem, immutabilem & infinitam, ex qua non solum formamus ideas v. g. circuli & omnium figurarum pure intelligibilium, sed etiam figurarum omnium sensibilium, quæ nobis adparent, dum mundum creatum adspicimus; quæ proinde sit in solo Deo, tanquam ratione universali, quæ omnia entia intelligentia illustrat, & in qua animæ nostræ habitant. Hæc ipsa vero res latius per-

us pertractatur in dialogo *secundo*, ubi docet, quamvis hæc extensio intelligibilis sit ipsa divina substantia, nos tamen proprie non videre, dum ideas contemplamur, substantiam DEi in se, sed solum sub ea ratione, quatenus repræsentat entia materialia atque ab ipsis participabilis est, præsertim cum substantia divina infinitas perfectiones contineat, quæ in extensione intelligibili non comprehenduntur. Accedit, quod Deus proprie non sit visibilis per ideam, quia infinitum sui ipsius idea est, nec archetypon habet, sed per se ipsum cognoscitur. Cum vero vulgo ex pluribus ideis particularibus generalem effingi statuant, aliqui vero sentiant ideas generales esse perceptionem confusam plurium idearum particularium, hæ opiniones non una ratione refelluntur. Dialogus *tertius* maximam esse differentiam inter ideas & modificationes animæ nostræ, inter scire & sentire, ostendit. Cum enim non habeamus ideam animæ nostræ, non possunt non relationes modificationum, quæ animam nostram afficiunt, nobis esse incognitæ. Hinc monet judicium de rebus non esse ferendum ex perceptionibus illis confusis & obscuris, quæ in nobis excitantur objectis præsentibus, sed ex ideis quæ nobis illas clare repræsentant. Dialogus *quartus* ea, quæ naturam sensuum in genere concernunt, exponit, speciatim vero phænomeni illius rationem tradit, cur nobis in caliginoso loco constitutis, si oculus certa ratione prematur, in opposita regione lumen aliquod adpareat. Quæ cum ultimato huc redeat, quod certam pressionem nervi optici, atque sic commotionem partis cerebri nostri, certa sequatur perceptio in anima nostra, cum tamen inter motum alicujus corporis & spiritus sensationem nulla necessaria sit connexio, fatetur hic recurrendum tandem esse ad auctorem naturæ, cujus efficax voluntas sapientissime hanc stabilivit legem, ut modificationes animæ atque corporis essent reciprocæ, eum scilicet in finem, ut anima nostra per certos instinctus brevissima via admoneretur de relatione, quam corpora nos circumstantia ad corpus nostrum habeant, quatenus videlicet ad illius conservationem spectant. Verum cum ex illa lege videatur jam spiritus noster fere totus dependere a corpore, dum vel minima sensatione molesta distrahitur a contemplatione summi boni, ejus rei causam in lapsum nostrum refert, per quem mutatio aliqua in hac lege facta est. Ne

autem

autem ob hactenus dicta sensus plane inutiles ad rerum cognitionem judicentur, in dialogo *quinto* explicatur, qua ratione sensus & imaginatio, attentionem in nobis excitando, indirecte nos ducere possint ad veritatis inventionem. Nam, quoniam una eademque extensio est, quæ nos diversimode afficit, quæque animam nostram modificat per colorem &c. mirum non esse, si illæ modalitates junctæ extensioni intelligibili, eamque sensibilem reddentes, nobis exhibeant ejusdem relationes; in quibus veritates Physicæ & Geometricæ consistant, ita tamen ut earum evidentia & generalitas nequaquam deducatur ex nigro aut albo colore, quem lineæ habent, sed ex generali & clare intellecta idea extensionis, ex æqualitate aut inæqualitate angulorum & linearum, &c. In dialogo *sexto* fuse disquirit Auctor, an corporum existentia exacte demonstrari possit, licet pauci tam philosophi fuerint, ut de hac materia dubitarint; idque negat ideo, quoniam existentia eorum arbitraria est, & a libera Dei voluntate dependet. Ipse ergo statuit, eorum existentiam nobis innotescere revelatione tam supernaturali in verbo Dei, quam naturali per sensationes, quæ a Deo secundum leges generales nobis cognitas in anima nostra, ex occasione eorum, quæ in corpore nostro accidunt, excitantur. Non negat autem, hanc revelationem, quamvis in se verissima sit, nobis aliquando occasionem erroris esse posse, vel quoniam non adhibemus eam ad illos usus, quibus destinata est, vel quia ita sumus per peccatum corrupti, ut non amplius debitam super cerebrum nostrum habeamus potestatem, quò advertere possimus, num cerebrum nostrum commotum fuerit a causa externa, an vero a motu spirituum, cui interna causa dedit originem. Quocirca tametsi nonnunquam non possimus esse satis certi per hanc revelationem de existentia hujus aut illius corporis, hoc tamen non obstare contendit, quominus certi simus de existentia corporum in genere, cum alias sequeretur Deum, quod absit, perpetuo nos fallere decrevisse, si nihil eorum, quæ percipimus, extra nos existeret. Sed probato corpora naturalia existere, inquirendum restabat, an efficaciam agendi aliquam haberent. Totus ergo dialogus *septimus* circa inefficaciam causarum naturalium demonstrandam occupatur. Autori enim potentia motrix corporis nihil est aliud, quam efficacia voluntatis divinæ, quæ illud certo in loco con-

ſervat; nec propriè corpus unum alterum movet, dum in illud impellitur, ſed cauſa tantum occaſionalis eſt, ut Deus corpus illud alterum moveat. Hinc etiam porro concludit, non dependere unam creaturam ab altera, v. g. animam a corpore, aut contra, cum omnes æq; impotentes ſolique Deo immediate & directe unitæ ſint, quamvis inter quasdam mutua poſſit eſſe modificationum reciprocatio, nixa fundamento immobili decretorum divinorum, quæ uſitata ratione loquendi unio vocatur. Dialogus *octavus* a creaturis ad Deum adſcendit, de ejusdem attributis agens, inter quæ etiam extenſionem, non tamen corpoream, refert. A perfectionibus divinis ad operationes ejus tranſitus fit in dialogo *nono*, ubi traditur, Deum non agere, niſi ſecundum id quod eſt; niſi modo eo, qui characterem portat ſuorum attributorum; niſi ad gloriam, quæ ab ipſo in relatione videtur, quam ſuum opus & viæ ſimul junctæ habent ad perfectiones quas poſſidet, & quas poſſidere ſibi gloriæ ducit. Deum ergo, quamvis mundum ad ſuam condiderit gloriam, non tamen voluiſſe facere opus abſolute perfectiſſimum, ſed ſolum perfectiſſimum eo in reſpectu, ut poſſet produci & conſervari per vias, quæ junctæ huic operi illi majorem conciliarent gloriam, quam ullum aliud opus alia via productum, adeoque illum etiam indirecte voluiſſe monſtra, quia ſunt naturalis ſequela legum, quas ob effectus ſapientia & bonitate ſua digniſſimos ſtabilivit. Interim cum univerſum hoc finitum ſit, indignum utique fuiſſe actione Dei infiniti valoris, niſi unione cujusdam perſonæ divinæ dignum redditum fuiſſet, ut Deo placeret; atque hinc recte colligi, ſcopum principalem Dei fuiſſe incarnationem filii, qui utique ſeſe fuiſſet uniturus operi Dei, etiamſi homo non peccaſſet, fortaſſis tamen absq; incarnatione. Hinc digreſſio inſtituitur ad Prædeſtinationem, quam ex ſimilibus principiis Auctor optime explicari poſſe affirmat. Eam ſcilicet factam eſſe hoc & non alio modo, quia ab Eccleſia collecta per vias, quas Deus adhibuit, plus honoris in eum redundaturum erat, quam ab ulla alia alio modo formata. Dialogus *decimus* Dei magnificentiam in magnitudine, & infinito numero diverſorum operum conſpicuam admiratur, quorum tamen omnium prima ſtamina augentur, auctaq; conſervantur juxta leges generales motus, easq; ſimpliciſſimas, quæ ex unico hoc principio dependent, fortius debe-

debere vincere debilius, ita tamen, ut æqualis semper motus quantitas sit in hoc universo. Illustratur deinde hoc exemplo insectorum, maxime ex illa hypothesi, quæ omnia sequentium temporum individua in primi animalis ovario fuisse supponit. Nam ipsam animalium & plantarum organisationem non dependere statuit Auctor ex motus legibus generalibus, sed aliis quas Deus in opere creationis secutus fuit, quod utique neque ex principiis Cartesianis, nec ullis aliis, ut aliqui frustra conantur, explicari possit. In hoc enim opere maxime eluxisse sapientiam Dei, dum non solum primos materiæ motus cum omnibus sequelis naturalibus & necessariis, sed & moralibus & supernaturalibus, in omnibus suppositionibus, comparavit. Id quod etiam in dialogo *undecimo* inculcatur, ubi iterum contemplationi insectorum Auctor inhæret, maxime bombycis, & illius insecti, quod formica leo dicitur. Rejicit autem hoc loco insectorum generationem ex putredine, cum longe facilius possit concipi, ferruginem mutari in horologium perfectissimum, quam putridam materiam in animal tanto organorum adparatu præditum. Perstringit quoque Cartesii de formatione fœtus librum, variasque resolvit quæstiones: Num omnia propter hominem facta? Cur noxia animalia condita? Cur tantus insectorum numerus productus, quæ nulli videntur esse usui? concluditq; docendo: creaturas, quæ nobis inutiles videntur, opus Dei reddere magis perfectum, exprimere perfectiones divinas, & esse quasi totidem emblemata Jesu Christi, cujus figuram gerunt. Porro hanc ipsam sapientissimam Dei providentiam non minus elucere ex legibus unionis animæ & corporis, per totum fere dialogum *duodecimum* probatur, quippe cum Deus non tantum his conformiter nobis det omnes sensationes objectorum, eadem ratione ac anima nostra eas datura sibi esset, si illa exactam haberet cognitionem omnium, quæ accidunt in corpore nostro, aut in principali cerebri parte, atque sic in cognitionem operum suorum nos deducat, sed etiam nos iisdem uniat multis variisque modis. Adfertur quoque hic doctrina de unione animæ nostræ cum sapientia æterna & ratione universali per leges generales, ubi attentio nostra causa occasionalis est præsentiæ idearum in animo nostro, & alia quoque hic disputantur, v. g. quomodo Deus per Angelos distribuat hominibus bona temporalia, &

per Jesum Christum gratiam interiorem & omnia alia bona? item, num Deus nunquam voluntate particulari, ne quidem in producendis sanctis in anima Jesu Christi desideriis agat? &c. Cæterum quum idea hæc philosophica Providentiæ divinæ secundum leges generales, vulgi captum transscendat, in dialogo *decimo tertio* modos loquendi vulgares, quibus identidem Deo particularis voluntas tribuitur, tolerandos censet, licet ex confuso proficiscantur conceptu, qui solutioni difficultatum ab improbis objectarum haut sit sufficiens. Deinde leges generales, secundum quas Deus mundum regit, repetit, atque ex ipsa divina providentia infallibilitatem Ecclesiæ deducere nititur; quoniam videlicet via examinis insufficiens sit ad simplices & indoctos ad salutarem fidei cognitionem perducendos, sicque nulla alia supersit, quam via auctoritatis Ecclesiæ, quam proinde infallibilem esse necesse sit. *Ultimus* dialogus circa veritatem Religionis Christianæ versatur, & mysteriorum incomprehensibilitatem pro argumento veritatis eorum Auctor habet. Fidei etiam articulos in Scriptura quærendos asserit, sed explicata per traditionem, h. e. concilia generalia, quæ procul dubio sensum ejusdem multo felicius assecuta fuerint, quam aliquis privatorum. Tum de incarnatione Jesu Christi ejusq; divinitate contra Socinianos disputat asserens, nullam creaturam, nec Angelos quidem, posse Deum adorare, nisi per ipsum, quoniam ille solus eos liberavit ab incapacitate naturali aliquam ad Deum relationem habendi; tandemque exponit, qua ratione fides in Jesum Christum nos Deo acceptos reddat.

CASPARIS SAGITTARII Alt-Thüringisches Hertzogthum / seu *Antiquitates Ducatus Thuringici.*

Jenæ, typis J. Z. Nisii, 1688, in 4.

CUm Historiam Thuringicam clarissimus Auctor animum induxisset condere; causas gravissimas habuit, cur non uno eam opere complecteretur, sed per partes separatas ederet. Huc enim *Antiquitates Regni Thuringici*, huc *Gentilismi & Christianismi Thuringici Antiquitates* pertinent, quæ jam in Acta nostra A. 1685. pag. 161. 163. re-

163. retulimus: cum quibus adeo hæ etiam *Ducatus Thuringici Antiquitates* ſunt conjungendæ. Harum IV ſunt libri diſtincti: quorum tribus explicatur, quicquid in Thuringia notabile (nonnulla etiam, quæ alibi contigere) ex quo ad Reges Francorum moderamen Thuringiæ pervenit. In his ordo ſervatur geſtorum, uti anni fuerunt conſecuti, & finis fit in morte Imperatoris Ludovici, Arnulphi filii, quæ A. Ch. 911. accidit. Quarto denique libro regiminis proponitur ratio.

Ad Francorum nimirum imperium (Regum puta Auſtraſiæ) Thuringi redierant, poſtquam Hermenfridus, indigena eorum Rex (uti fuſius in Antiquitatibus Regni Thuringici Auctor enarravit) bello victus a Dieterico occubuiſſet: non quod hinc partem regni Auſtraſici provinciæ conſtituerent Thuringicæ, ſed quod illi Auſtraſiæ reges ſupremi plerumque domini illarum eſſent. Quare etiam factum fuit, ut cum a morte Clotharii terras Francorum filii ejus quatuor inter ſe partirentur, & Sigebertus regnum Auſtraſiæ ſortiretur, ipſe Thuringorum etiam Princeps fieret; quod ſæpius legimus contigiſſe. Itaque vitæ horum regum per ſummas exhibentur, *Dieterici, Dietberti, Dietbaldi, Clotharii, Sigeberti, Childeberti, Theodeberti*, fratriſque illius *Theoderici*. Hic vero, cum inique facinore imperium fratris affectaſſet, ac mox nactus eſſet, nihil ejus transmittere ad filios potuit, quicquid etiam Brunichildis, avia ipſius, illuſtre factioſæ mulieris exemplum, machinaretur. Proceres enim Francorum multi *Clothario* Neuſtriæ Regi magis cupiebant, quorum adeo ope accidit, ut is & Auſtraſiæ & Burgundiæ nanciſceretur regna. Tanta imperii moles cum gravis ei eſſet, Auſtraſiæ regnum filio *Dagoberto* transmiſit: quo nomine Dagobertus Thuringos etiam in ditionem ſuam accepit. Hoc ſub Rege primum Sorbi, Veneda natio, pedem in has terras intulerant, qui quod tam infeſti Thuringis incubarint, diſertam rei hiſtoriam, breviter tamen, Auctor exhibet. Contra hos præcipue Dagobertus Ducem in Thuringia *Rudolfum*, ſtrenuum hominem, crearat, ſed qui cum bona fortuna diu uſus eſſet, tandem etiam Regis ipſius (*Sigeberti*, filii Dagoberti) detrectavit imperium, eumque de Thuringia repulſavit, cum expeditionem ejus recuperandæ cauſa ſuſcepiſſet. Cujusmodi bella mox a variis provinciarum præfectis certatim mota fuere:

fortasse quod exempla Majorum Domus eo invitarent, qui cum ad summum jam pedetentim fastigium evasissent, Reges & patiebantur, & rejiciebant, prout voluntas impelleret licentiosa. Atque hæc primo libro traduntur.

Alter liber a *Pipino* incipit, qui jam regiam consecutus erat dignitatem: cujus successor *Carolus M.* contra Sorbos rursus Thuringos defendere necesse habuit. Is cum præsens ipse in terris hisce diverteret, prope mortis incurrerat periculum, nisi mature parata conspiratio aliqua discussa fuisset. Natu major filius ejus, patri cognominis, & ipse Sorbos aliquando profligavit, ac duarum arcium condendarum auctor extitit, ad Albim alterius, alterius ad Salam, quas Wettinum aliqui & Wittebergam esse existimant. Quæ Caroli M. stirps usque ad *Ludovicum*, filium Imperatoris Arnulphi, in quo & desiit, ordine continuo Thuringis præfuit. Plerique Cæsarum simul Romanorum vicem gessere, alii Reges Germanorum fuerunt, de quibus singulis abunde, ac ut series justa poscit, secundo illo, ut & tertio libro, Auctor clarissimus exponit.

Quarto denique libro de regiminis forma istius ætatis quæritur; cujus commentationis multa universim veterum Francorum imperii rationes illustrant. Nam de pagis, quos appellabant, eorum præfectis, Comitibus & Gravionibus, Scabinis, quique ab iis pendebant, Centenariis & Decanis aliisque Regum ministris, tum & solemnibus judicantium conciliis, plurima & acervantur diligentissime, & prudentissime judicantur. Ubi etiam controverso Julii Cæsaris loco, de *centum pagis* Suevorum, lux necessaria adfertur. *Graviones* enim isti fori præsides, ut *Duces* bellorum imperatores, erant; nisi quæ gravior lis intercederet, quam cui Gravio ordinarius satis esset decernendæ: tunc enim neque Ducibus ea potestas denegabatur. Additur, quo statu res Ecclesiæ, & monasteriorum ordines sub his Francorum regibus fuerint; qua de causa jam in prioribus etiam libris, de diversis eorum temporum Episcopis Moguntinis plene satis erat actum. Longum de cætero foret commemorare, quoties vulgarium historicorum errores corrigantur; quemadmodũ veram Caroli M. patriam (quæ lis tam diu sub judice fuit) non nisi in Thuringia fuisse, prorsus ad liquidum perducitur. Inprimis fabula exploditur, quæ vulgo de Monasterio & Templo

Templo Erfurtino in monte S. Petri, a Dagoberto Francorum Rege condito jactatur. Non enim modo hic confirmantur, quæ jam Tritthemius contra νοθείαν diplomatis istius Dagobertini, quo res nititur præcipue argumento, attulerat; verum iis etiam respondetur, qui ex recentioribus in asserenda veteri traditione laborarunt. Quæ, & alia plura, historiæ cupidis esse gratissima oportet; optandumq; merito omnibus, ut & ipsum opus historiarum vastius, ex quo Antiquitates hæ contractæ duntaxat sunt, & cætera, quorum spem celeberrimus Auctor facit, *Commentarium in Nucleum Historiæ Germanicæ, Notitiam Scriptorum Historiæ Ecclesiasticæ*, aliaque propediem indipiscamur.

HISTOIRE DU PATRIARCHE ABRAHAM.

id est:

HISTORIA ABRAHAMI PATRIARCHÆ; sive, Quæstiones curiosæ, historicæ & morales in Genesin. Autore R.P. *Antonio Massonio*.

Parisiis, apud viduam Claudii Thiboust & Petrum Esclassan, 1688, in 12.

TErtium volumen *Quæstionum enodatarum super Genesin* superiori anno edidit *Antonius Massonius*, Ordinis Minimorum Sacerdos, S. Theologiæ Professor emeritus & Conventus Vicennensis Corrector. Priora duo non vidimus; creditu autem facile est, primum (*Christo* Servatori inscriptum) tempora *antediluviana* recensuisse, alterum (*Deiparæ* sacrum) *Noachi* & Noachidarum fata evolvisse; tertium denique *Abrahami* historiam complectitur, & *S. Francisco de Paula*, ordinis Minimorum Patriarchæ offertur. Constat illud libris tribus, e quibus prior itinera Abrahami, alter promissiones ipsi factas, tertius merita ejus atque gloriam divinitus concessam persequitur. Conferre cum eo quadantenus libet

R.P. CORNELII HAZART, SOC. JESU THEOlogi, Discursus morales in selectiora loca Genesis, Exodi, Levitici, Numerorum.

Antvverpiæ, apud Mich. Knobbarum, 1688, in 4.

AUctoris hujus per Scripta alia, tum Eristica, quibus Religionis Romano-Catholicæ dogmata propugnantur, tum ad Historiam

riam Ecclesiasticam spectantia, Orbi Litterato dudum cogniti, hoc libro institutum est, *selectiorum locorum* ex quatuor *Pentateuchi* libris excerptorum, *sensus* non literales, sed *tropologicos*, *allegoricos*, *anagogicos*, *metaphoricos*, *morales* indagare, eruere, dictisque Patrum Ecclesiæ illustrare. Selegit autem ex *Genesi* Historiam Josephi; ex *Exodo* servitutem Ægyptiacam Israelitarum eorundemque ex Ægypto egressum, una cum miraculis utrumque concomitantibus aut proxime subsequentibus; ex *Levitico* præcepta non pauca; ex *Numerorum* denique libro pleraque *murmurationum*, quibus in Deum insurrexit perfrictæ frontis gens, exempla. Quod si par hoc Scriptorum componere nobis integrum est, *elegantia* Hazartum Massonius: *eruditione* Massonium Hazartus superare videtur. Massonius laicis: clericis & concionatoribus Hazartus scripsit. Nobis utriusque libri argumentum breviter notasse sufficit; nec prolixioribus per angustiam chartæ esse licuit.

LIBRI NOVI.

Georgii Mackenzie Defensio Antiquitatis Regalis Scotorum Prosapiæ, libris Episcopi Asaphensis & doctissimi Stillingfleeti opposita. Ex Anglica in Latinam linguam versa. Trajecti ad Rhenum, apud Franciscum Halma, 1689, in 8.

Petrus Ciacconius Toletanus de Triclinio, sive de modo convivandi apud priscos Romanos. Editio II. Amstelodami apud Henr. Wetstein, 1689. in 12.

Joh. Jacobi a Ryssel de Jure Naturæ & Gentium Libri duo. Lipsiæ apud R. Wächtler, 1689. in 8.

Nouvelle Maniere de fortifier les places, tirée des Methodes du Chevalier de Ville, du Comte de Pagan & de Mr. de Vauban. Avec des Remarques sur l'Ordre Renforcé &c. A Paris, chez Est. Michallet. 1689. in 8.

Le Directeur general des Fortifications par Mr. de Vauban, Ingenieur general de France &c. Seconde Edition. A la Haye chez Adrian Moetjens, 1689. in 12.

Le Triomphe Hermetique, ou la Pierre Philosophale victorieuse. Traitté plus complet & plus intelligible, qu' il y en ait eu jusques ici, touchant le Magistére Hermetique. Amsterdam, chez H. Wetstein, 1689. in 8.

Oeuvres mêlées de Mr. l' Abbé de St. Real. Suivant la copie a Paris chez Cl. Barbin. 1689, in 12.



ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii Anni M DC LXXXIX.

ACTA SANCTORUM MAII, COLLECTA, DIgesta, illustrata a Godefrido Henschenio *&* Daniele Papebrochio, *e societate Jesu, Tomus VI & VII, operam & studium conferentibus* Francisco Baertio *&* Conrado Janningo, *ejusdem Societatis.*

Antverpiæ, apud Michaelem Cnobarum, 1688, in fol. 2 tom.

QUod de seculis Tacitus affirmat, *nullum tam sterile esse virtutum, ut non bona exempla prodiderit*, id de omnibus anni diebus credere nos jubent qui per singulos dies Sanctorum, quos vocant, vitas digesserunt, & cuivis diei complurium vel opere vel morte insignium Beatorum memoriam alligarunt. Omnes hos, & omnia antiqua monumenta, e quibus beatorum martyrum, aut vitæ sanctimonia præ cæteris conspicuorum hominum, gesta cognoscere licet, in unum quasi corpus colligere, & *Acta Sanctorum* quæcunque scripta fuere unquam, edita atque inedita, undequaque conquirere, eaque emittere in lucem, Notationibus illustrata, quibus & obscura explanarentur, & ambigua firmarentur, & pugnantia conciliarentur, & quæ ex iis percipi utilitates possent ostenderetur, inde usque ab anno hujus seculi trigesimo allaboravit doctissimorum Jesuitarum *Joannis Bollandi & Godefridi Henschenii* industria: qui Sanctorum acta sive ab aliis conscripta, sive suo stylo consignata, per singulos cujusvis mensis dies disposita, exhibere, & qua ratione arduum hoc & prolixum opus pertexendum sit, commonstrare fategerunt. Cumque multa etiam sedulo indagantes fugerent, quæ deinde absolutis tomis amicorum beneficio sunt con-

fecuti, de vita fanctorum quorundam, translationibus, miraculis; ea in Appendices conjecere tomo cuivis fubjectas, quorum quemvis fex Indicibus, onomaftico, chronologico, hiftorico, topographico, grammatico, & morali inftruxerunt. Hunc in modum compofita Acta fanctorum *Joannes Bollandus* in publicam emittere lucem anno 1643 cœpit, & binos JANUARII tomos, operam & ftudium conferente *Godefrido Henfchenio*, evulgavit. FEBRUARII Acta anno 1658 tribus tomis gemini hi ejusdem laboris Socii in publicum ediderunt. Vivis autem erepto anno 1665 Bollando, præclaram fuperftiti Henfchenio operam in continuando ifthoc ftudio præftitit *Daniel Papebrochius*: ac MARTII acta tribus tomis anno 1668 publicæ luci dedere, APRILIS etiam acta, totidem inclufa voluminibus, anno 1675 eidem expofuerunt. MAJUM, quod apparatus major effet, prolixiori opera illuftrandum putarunt, ejusque millibus & fexcentis fanctis (ad quem numerum eorum copia exfurgit, quorum nomina Majalibus diebus alligata funt) *feptem* volumina repleverunt: quorum *tria* priora, fedecim primos menfis dies complexa, anno 1680 prodiere, a nobis in Actis Eruditorum anni 1683 p. 11. 12. memorata; *duo* media, octo medios quæ menfis dies continent, anno 1685 evulgata funt, a nobis in Actis Eruditorum anni 1686 p. 270. & feqq. recenfita; *duo* poftrema, reliquos feptem menfis dies pertexentia, fuperiore demum anno publicam lucem adfpexerunt, Papebrochianum ftudium adjuvantibus egregiis fociis, quos is extincto Henfchenio fibi adfciverat, *Francifco Baertio* & *Conrado Janningo*.

In *Sexto* tomo, qui XXV, XXVI, XXVII & XXIIX Maji dies continet, præ cæteris notatu digna occurrunt, prolixius etiam defcripta exhibentur acta, martyria, miracula, translationes corporum feu reliquiarum, & hujus generis ἀξιομνημόνευτα alia, quæ contigerunt circa Urbanum I. Pontif. feculo tertio *a p. 5. ad p. 25.* & Gregorium VII. Pontif. Hildebrandum antea dictum (qui qua ratione Sanctis accenfeatur, non intelligimus, inter plurimos etiam Pontificios fcriptores non profpera fama gaudens, ut vel ex Natali Alexandro in Select. Hift. Eccl. cap. Sec. XI. part. 3. conftat) feculo undecimo *a p. 102. ad p. 159.* cujus corpus poft quingentos annos adhuc integrum, facris veftibus amictum, M. Ant. Columna anno 1577 re-

1577 repertum, ad facellum S. Michaelis Archangeli transtulit, & monumento ornavit, quod a Ferd. Ughello *tom. 7. Italiæ ſacra*, & Lud. Jacobo in *Bibl. Pontif.* memoratur. Vita & geſta Mariæ Magdalenæ de Pazzis *a p. 177. ad p. 351.* copioſe narrantur, ejus etiam effigies æri inſculptæ *p. 180. & 258.* oſtenduntur. S. Auguſtini Epiſcopi Cantuarienſis, primi Anglorum apoſtoli, qui ſeculo ſexto vixit, vita a Gocelino monacho deſcripta, e Mabillonii Act. Benedict. tomo I. depromta *a p. 375. ad p. 443.* ſiſtitur. Philippi Nerii, d. 26. Maji 1595 mortui, effigies *p. 461.* vita ab Ant. Gallonio compoſita *a p. 463. ad p. 524*, & ab Hier. Barnabæo conſcripta *a p. 524. ad p. 649.* exhibentur: imaginem ejus Neapoli ſudaſſe & fleviſſe e Jac. Phil. Tomaſini narratione *p. 649. & ſeqq.* refertur. S. Germani celebris Pariſienſis Epiſcopi ſeculo ſexto vita, quam Venantius Fortunatus ſcripſiſſe fertur, e Manuſcriptis profertur *a p. 778 ad p. 787.* de miraculis, & translatione corporis ejus, ex Gregorio Turonenſi, Aimoino, & Mabillonio, multa afferuntur *p. 787. & ſeqq.* Lanfranci Epiſcopi Cantuarienſis (cujus opera Pariſiis anno 1648 Lucas Acherius emiſit in lucem) ſeculi undecimi ſcriptoris vita, a Mil. Criſpino & Eadmero ſcripta, *a p. 832. ad p. 854.* recenſetur. Corollarii loco novus operis hujus Hagiographici ſocius Conradus Janningus S. Andreæ, quem *Sali* cognomine indigitant, qui ſeculo decimo Conſtantinopoli vixit, vitam e Græca lingua a ſe converſam, a Nicephoro Andreæ coævo conſcriptam, cujus exemplaria duo e Vaticana & Mazariniana bibliothecis nactus fuerat, adjecit; eodemque ſtudio, quo S. Symeonis Stylitæ hujusque matris S. Marthæ vitas e Græcis manuſcriptis Vatic. & Florent. ediderat, Tomo V. Act. Sanct. Maji ſubjectas *p. 307 & ſeqq. p. 403. & ſeqq.* hanc quoque Andreanam vitam excoluit, exactam græcæ litteraturæ eruditionem ſuam doctioribus approbans.

Septimus tomus tres ultimos Maji dies continens contractior futurus erat, niſi Præliminares tractatus præmiſſi, & ſubjectæ Appendices paulo prolixiores, eundem ad parem cum cæteris amplitudinem promoviſſent. Henſchenium enim vita defunctum, qui Bollandi *ἐργοδιώκτου* vitam Martii Actis præmiſſam contexuerat, imitaturus Papebrochius, ultimo huic Tomo *de vita & operibus Godefridi Henſchenii*, qui octuagenario major anno 1681 deceſſerat, commentationem præpoſuit; effigiem etiam

H 2 oculis

oculis lectorum spectandam objecit; ejusdemque Exegesin historicam *de Episcopatu Tungrensi & Trajectensi*, quam sub nomine Diatribes anno 1653 peculiari libro Antverpiæ excuso evulgarat, proximo autem ante obitum anno recognoverat, præfixit. Subjecit Papebrochius Gottefridi Wendelini epistolam de *Dispargo* seu *Diesta*; ejusdemque iconem; excerpta item ex Ægidii Voechtii *descriptione comitatus Lossensis*, & Alex. Wilthemii *annalibus Imperialis abbatiæ S. Maximini prope Treviros*: qui ambo libri manuscripti in monachorum claustris delitescunt. Tandem chronologicam seriem *Episcoporum & Archiepiscoporum Mediolanensium* usque ad annum Christi 1261 deductam, ex vetustis Bibliothecæ Ambrosianæ catalogis manuscriptis, quos Henschenius transcripserat, & protulit & illustravit.

Inter ipsos Sanctos, quorum memoria his tribus ultimis Maji diebus recolitur, præ cæteris eminent S. Maximinus, Episcopus Trevirensis seculi quarti *p. 19. seqq.* B. Maria virgo Antiochena, cujus acta græcolatina exhibentur *p. 50. & seqq.* ab incerto auctore, incertum quo tempore, conscripta, ut proinde ingenua prorsus sit Papebrochii in præfatiuncula hujus Vitæ præmissa confessio: *Rem nullo scripto vetustiori traditam, styloque recentiori exornatam, eo habendam esse loco, quo multa in vitis Sanctorum Patrum; utilem quidem instructionem continentia ad formandos mores, sed ad historicam certitudinem parum aut nihil. Igitur istam quoque ut talem hic damus, liberum Lectori relinquentes, ut eam quo volet gradu credibilitatis collocet.* Plane ut Suetonius in vita Claudii Cæsaris *magis ne prætermitteret quædam se referre* affirmat, *quam quia vera aut verisimilia putet.* Eminet quoque in hoc recensu S. Theodosia virgo Constantinopolitana, cujus acta græcolatina proferuntur *p. 69. seqq.* Joachimus abbas, Ordinis Florensis seculo tertio decimo fundator *p. 89. seqq.* Pisanæ duæ virgines S. Bona & B. Gerardesca *p. 144. seqq.* Petrus Petronius seculi decimi quarti Carthusianus *p. 188. seqq.* S. Isaacius Constantinopolitanus, quarti seculi confessor; cujus vita græcolatina *p. 247. seqq.* datur. Sed omnibus reliquis hoc mense memoratis Sanctis palmam præripit, regia etiam in his terris, dum vita maneret, dignitate conspicuus FERDINANDUS Castellæ & Legionis Rex, qui trigesimo Maji die anno 1252 ex vivis excessit

Hispali

Hiſpali, a Pontifice Clemente X anno 1671 in Divorum numerum collocatus: nempe ut Hiſpani haberent, quem Gallis de Ludovico Sancto gloriantibus oſtentent. Acta hujus glorioſiſſimi Regis vitæ ſingulari commentatione complexus quatuor abhinc annis ſeorſim evulgavit Papebrochius, relata a nobis in *Actis Eruditorum anni 1685. p. 433. ſeqq.* quam curis ſecundis reviſam, auctam & recognitam huic Volumini, quod poſtremorum Maji dierum ſanctos complectitur, incluſit *a p. 280. ad p. 414.* ejusque haud exiguam partem ea implevit.

Subjecit *Appendices*, quæ ad omnes evulgatos ſeptem Maji tomos pertinent, exhibentes acta, quæ cum iſti tomi in publicam lucem mitterentur, nondum ad manus erant, cuivis diei aliquando inſerendas, ubi nova vaſti hujus Operis adornabitur editio; quod futurum eſſe, quando Junius acceſſerit, & ſacro ſemeſtri ſua integritas conſtiterit, ſperare nos jubet Papebrochius p. 517. 518. Præ cæteris digna lectu eſt Diſſertatio *p. 665. ſeqq.* exhibita, ſuper quæſtione: an Jobum & reliquos Veteris Teſtamenti ſanctimonia conſpicuos viros, colere ut ſanctos liceat, iisque altaria erigere? quam Romæ agitatam & a præcellentibus doctrinæ fama hominibus, anno 1680 diſceptatam ait. Prolixior eſt de S. Johanna Alphonſi V. Portugalliæ Regis filia, quæ d. 12. Maji 1480. obiit, narratio a Margarita Pineria virgine Luſitana patrio ſermone conſcripta, in Latinum converſa *p. 719. ſeqq.* Nec contemnendæ additiones, quas Gregorii Nazianzeni quarti ſeculi doctoris clariſſimi actis, ad IX diem Maji *tomo 2. p. 369. & ſeqq.* editis, adjici *p. 655. ſeqq.* voluit.

Ultimum locum occupant Paralipomena ad Chronologiam Pontificum, quam ſub *Conatus* & *Propylei* titulo Maji actis præfigendam, aut ſeorſim peculiari volumini includendam, anno 1685 Papebrochius emiſerat. Nempe cum impedita res ſit, Pontificatuum ſpatia per annorum, dierum & menſium calculos exacte ſubducere; facile accidere potuit, ut in ſtudio hoc auctori alicubi ea exciderent, quæ aliter cuperet conſtituta. Igitur addenda, mutanda & corrigenda quæ eſſent in opere, quod tres ante annos emiſerat, his paralipomenis incluſit, novas etiam *Diſſertationes* antea evulgatis adjecit, præcipuas de genealogia Chriſti & annis nativitatis ac mortis ipſius controverſias quæ exhibent, & chronologiam ac hiſtoriam Pontificum illuſtrant.

GLOSSARIUM AD SCRIPTORES MEDIÆ ET infimæ Græcitatis. Accedit appendix ad glossarium mediæ & infimæ Latinitatis, una cum brevi Etymologico linguæ Gallicæ ex utroque glossario, autore Carolo du Fresne Dn. du Cange, Regi a consiliis & Franciæ apud Ambianos Quæstore.

Lugduni, apud Anissonios, Johan. Posuel, & Claud. Rigaud. 1688, in fol.

CUm Græca lingua sub Alexandri M. & successorum imperio non amplius intra unius gentis limites consisteret, sed per Syriam, Ægyptum, Italiam, Galliam, Siciliam, aliasque regiones se diffunderet, fieri non potuit, quin tantum nativæ puritatis amitteret, quantum a peregrinis exterarum nationum vocibus & phrasibus hauriret. Neque minus postea Romanis Græciæ imperio potitis, plurimæ Romanorum voces in Græcorum lingua dominari cœperunt. Imprimis vero magna linguæ Græcæ corruptio obtigit, ex quo Constantinus M. in Thracia imperii sedem constituens, plerosque e Senatoribus aliisque Proceribus Romanis in Græcanicas secum provincias traduxit. Tunc enim ex perpetuo Græcorum & Latinorum commercio magna utriusque linguæ confusio nata est, quæ sequentibus seculis subinde aucta, sub barbararum gentium jugo in maximam barbariem degeneravit.

His igitur ex causis cum apud Græcos mediæ & infimæ ætatis scriptores passim vocabula barbara & semibarbara, vel Græcæ quidem originis, sed peregrinæ & inusitatæ significationis occurrant, non inutilem rei literariæ operam navarunt, qui peculiaribus glossariis exoticas illas Græcorum voces explicatum iverunt. Hinc nata *Caroli Annibalis Fabroti* in Theophylactum Simocattam, Cedrenum, Constantinum Manassem, Nicetam Choniatem, Laonicum Chalcondylam, & Anastasium Bibliothecarium cum Nicephoro, Georgio Syncello, & Theophane collatum, nec non *Petri Possini* in Annæ Comnenæ Alexiadem, & Georgii Pachymeris Michaelem & Andronicum Palæologos glossaria, *Nicolai Rigaltii* glossarium τακτικὸν μιξοβάρβαρον de verborum significatione, quæ ad Novellas Im-

las Imperatorum, qui in Oriente post Justinianum regnaverunt, de re militari constitutiones pertinent, *Johannis Meursii* glossarium græco-barbarum, *Jacobi Gretseri* & *Jacobi Goari* ad Codinum de officiis Aulæ & Ecclesiæ Constantinopolitanæ commentarii; ut *Stephani a Solio*, *Dionysii Godofredi*, *Christophori Germani*, *Gerasimi Vlachi*, *Simonis Portii*, aliorumque in ipsa Græciæ barbarie eruditionem suam literato orbi probantium labores taceamus.

Atque his nunc etiam accensendus *Carolus du Fresne* Dominus du Cange, Vir in omni & hoc imprimis literaturæ genere, dum viveret, versatissimus. Is enim glossario mediæ & infimæ Latinitatis Parisiis A.C.1678 edito, & postea A.C. 1681. in Germania recuso, nunc etiam mediæ & infimæ Græcitatis glossarium adjecit, *Emerici Bigotii* & *Johannis Baptistæ Cotelerii* hortatu id operis aggressus: in quo sic versatur, ut ad ea, quæ jam in glossario Latino & in historia sua Byzantina duplici commentario illustrata observavit, lectorem remittere, quam iterata lectione defatigare malit, alienis autem laboribus & parce & salva dissentiendi libertate utatur.

In præfatione non solum de causis corruptæ linguæ Græcæ, verum etiam de variis, quæ apud Græcos hujus ætatis vigent, dialectis nonnulla differit. Observat inter alia ex *Cabasila*, *Zygomala*, aliisque Græculis, Græcos qui sub Turcarum dominatione degunt, ab idiomate Turcico, eos autem qui Venetis subjecti sunt, ab Italico plurima mutuari,& istos quidem in majoribus oppidis Græce & Turcice, hos autem Græce & Latine vel Italiee, in pagis autem omnes Græce duntaxat loqui. Notat præterea, inter tot hodiernorum Græcorum dialectos eam nitidiorem esse, quæ Constantinopoli & Thessalonicæ,& in Macedonia ac Peloponneso obtinet,deterrimam autem & omnium corruptissimam apud Athenienses deprehendi, qui olim sermonis elegantia cæteris omnibus superiores exstiterunt. Animadvertit quoque, apud Græcos hodiernæ ætatis præter vulgarem linguam superesse antiquam & puram, cujus in Missa & sacris officiis usus vigeat, & Ecclesiasticam, quæ in concionibus & epistolis ecclesiasticis adhibeatur,antiqua quidem sed non adeo pura, quin vulgares dialecti subinde intermisceantur. Postremo etiam de hodierno linguæ Græcæ neglectu queritur, qui obstiterit, quo minus Parisienses Typographi edendo huic glossario operam suam impendere voluerint.

Præfa-

Præfationem excipit *Simonis Portii* Grammatica Græca, glossario huic eum in finem præfixa, ut appareat, quantum lingua Græcorum hodierna a puriori illa veterum Græcorum desciverit. In ipso vero glossario, quod ordine alphabetico digestum & in duos tomos divisum est, ex variis autoribus Græcis, editis pariter ac ineditis, quorum haud exiguum apparatum bibliotheca Regis Galliæ & Colbertina subministravit, vocabula græco-barbara, imprimis vero quæ vel ad liturgiam sacram, vel ad legum notitiam, vel ad Medicinam, Botanicam, & Chymiam, vel ad dignitates ecclesiasticas & politicas, vel ad rem militarem & monasticam pertinent, ita explicantur, ut plurimi ævi sequioris mores & ritus subinde illustrentur, aliaque observatione digna, & imprimis ad historiam Byzantinam spectantia, referantur.

Glossario huic præter geminam omissorum & addendorum appendicem, notæ sententiarum Mathematicæ, Astronomicæ, Chymicæ, & Iatricæ, ex *Isidoro*, *Epiphanio*, *Salmasio*, *Crollio*, aliisque codicibus imprimis manuscriptis, nec non varii Auctorum, e quibus hoc glossarium colligitur, & rerum, quæ hoc glossario continentur, indices accedunt. Accedit quoque ad hoc Græcitatis mediæ & infimæ glossarium Supplementum glossarii mediæ & infimæ Latinitatis, & dissertationis de inferioris ævi numismatibus, quæ Latino illi glossario subjuncta legitur; & postremo loco Etymologicon vocabulorum linguæ Gallicæ, quorum origines in utroque glossario locis indicatis prolixius reteguntur & illustrantur.

Maxime vero dolendum est, Virum celeberrimum, cui non modo prædicta glossaria, verum etiam illustre opus de Familiis Byzantinis & Constantinopoli Christiana, & doctissimas in Scriptores Gallos *Jonvillam* & *Villharduinum*, & Byzantinos *Nicephorum Bryennium*, *Annam Comnenam*, *Johannem Cinnamum*, *Paulum Silentiarium*, & *Johannem Zonaram* observationes debemus, eo ipso anno quo glossarium mediæ & infimæ Græcitatis absolutum est, vitæ quoque suæ curriculum absolvisse.

HISTOIRE DES VARIATIONS DES EGLISES Protestantes, par Messire Jaques Benigne Bousset, Eveques de Meaux.

id est: Joh-

Jacobi Benigni Bossueti, Episcopi Meldensis, Consiliarii Regii, olim Præceptoris Serenissimi Delphini, & primarii Serenissimæ Delphinæ Eleemosynarii Historia de Variationibus Ecclesiarum Protestantium. Tomi II.

Ad exemplar Parisiense, ex officina Cramoisy, Anno 1688, in 12.

ILlustrior est Episcopi *Condomensis* olim, dein *Meldensis* fama, quam ut de ea lectores doceri debeant. Judicium Regium, quod in deligendis ministris raro aberrasse deprehensum est, sat magnum Viro testimonium præbet, ad tot egregia munera evecto. Si quid tamen accedere illi potest, ex elogio Pontificio desumendum esset. Epistola enim regia nuper vulgata (de cujus fide non dubitamus) qua Dn. *Bossuetus* ad amplissimum Episcopatum Argentoratensem, si is promoto ad Coloniensem Archiepiscopatum Cardinali Furstenbergio vacaret, denominatur, testatum facit, a Pontifice cognominatum esse *Flagellum hæreticorum*. Hoc si meritus est libro illo *Expositionum* nemini ignoto, quid non hoc novo merebitur, quocum ille comparatus *Flabellum* haberi potest? Sperat hoc ipse sine dubio, §. 25.
agnoscens in præloquio, quod ab indole & regula sua, omissa quam sectatus erat moderatione, recesserit, & a disputatione de religione ad personarum accusationes delapsus videri possit. Id profecto accidisse observabunt, qui in *Tomo operis primo* Lutheri & sociorum; in *altero* Calvini descriptiones legent. Scopum tamen suum in præ- §. 1.
loquio jam allegato ita proponit Auctor, ut dicat, *se ex variationibus, subtilitatibus, æquivocationibus & artificiis Protestantium Ecclesiarum, characterem hæreseos demonstraturum esse*. Tribuit vitia illa humani ingenii naturæ, nova appetentis & nunquam acquiescentis; producturum autem se illas tantum dissensiones esse profitetur, quæ toti Ecclesiæ vel Lutheranorum vel Reformatorum imputari possint, ex confessionibus & scriptis publicis, talesque quæ ad summam fidei ex puro Dei verbo deducendam pertineant. Cum duobus autem §. 8.
istis cœtibus rem sibi esse dicit, non vero cum *Socinianis*, aliisque quas enumerat sectis, in sinu, ut ait, Protestantium natis. Quibus ita- § 9.
que hæreticorum notam hoc libro inurat, obscurum non est, neque aliud his solatium restat, hoc convitio per duo fere secula exagi-

tatis, quam ut sibi Salvatoris nostri effatum Luc. VI, 22. 23. applicent. Licet vero, quæ inter utramque Protestantium Ecclesiam intercedunt, dissensus causas apprime noverit, utrique tamen nocere judicat, quæ alterutri objicit, & inprimis in *Reformatos* redundare simul contendit, quæ *Lutheranis* impingit, cum & illi *Augustanam* confessionem pro communi habeant fidei symbolo, & Lutherum
§. 10. 11. laudare non renuant. Probat hoc ex *Blondello*, & ex Syntagmate
12. 13. 14. Confessionum cum præfatione *Genevæ* anno 1654 edito. Tot vero formularum varietatem evitari potuisse arbitratur a Protestantibus,
§. 16. & seqq. si judicium Ecclesiæ agnoscere voluissent, cui a Deo primam de veritate cognoscendi gratiam collatam esse, & in qua simplicem veritatem deprehendi tradit. Certitudinem inde eorum, quæ adversus dogmata & personas auctorum reformationis propositurus est, indu-
§. 19. bitatam promittit, omnia probaturus ex illorum confessionibus, catechismis, *formula* etiam *concordiæ* & historia *Hospiniani*. Excusat, quod minuta aliquando sectetur; talia enim esse, quæ ad ma-
§. 21 jora momentum habeant. Addit rationes, ob quas *Wiclefi*, *Albigen-*
§. 22. *sium* & *Hussitarum* mentionem fecerit, & quod methodum attinet, temporis ordinem, ut omnium planissimum, secutum se esse ostendit. Quæstionem vero capitalem de Ecclesia, & ubi ea ante reformationem substiterit, ex qua omnes controversias
§. 23. 24. pendere non dissimulat, Tomo II. tractandam sumit, in quo *Joh. Claudii* & *Petri Jurii*, egregiorum inter Reformatos autorum, quos ab eruditione, industria & subtilitate, quanta in ullis ex Protestantium cœtu unquam reperta sit, haud perfunctorie laudat, novis respondet objectionibus aut systematibus. Excusat inde
§. 25. aut defendit, quod ut supra jam notavimus, severiori stylo & censura nuncutatur; exegisse id existimat materiæ asperitatem, & expedire ad agnoscendam perversitatem doctrinæ Protestantium,
§. 26. Christianismo, ut ait, prorsus oppositæ. Compositum se tamen esse ait ad ferendas recriminationes & calumnias, ita tamen ut duo non inique ab iis se petere dicat, qui in se insurrecturi sint; *primo*, ne variationes Romanæ Ecclesiæ objiciant, nisi prius suas ab objectis purgaverint; *secundo*, ne conjecturis, sed, ut ipse fecerit, factis & documentis authenticis utantur. Si per hæc vel minimam variationem Ecclesiæ Catholicæ in dogmatibus, ab initio ejus usque ad no-

ad nostra tempora demonstraturi sint, tum se cessurum, suamque *historiam* penitus deleturum esse pollicetur. Hæc tanti Viri obtestatio movere vel sola Protestantium Theologos posset, ut desiderii compotem eum facerent; nisi putent, actum se acturos, aut de præjudicio prius disceptandum, & conveniendum prius esse, quæ variatio (ab omni enim ne Romana quidem Ecclesia se immunem esse deprehendet) orthodoxum vel hæreticum faciat. Subjungitur §. 27.
magna de veritate & justitia causæ asseveratio, addita tamen benigna significatione, fore, ut hoc opus suum, licet contentiosum videatur, ad pacem tamen & conciliationem proficiat. Lutheranos enim deprehensuros esse sperat, ex ipsa *confessione Augustana*, plurimos Romanæ Ecclesiæ articulos probari, & controversias in arctum redigi posse, ex communibus principiis. Calvinianos vero huc- §. 28.
usque, ut ait, erga Lutheranos indulgentes, Catholicis inexorabiles, moveri posse confidit, ut in his tam odiosa posthac non habeant, quæ in illis tolerent. Addit aliquid de emolumento, quod Catho- §. 29.
lici ad confirmandam fidei suæ professionem, ex hoc labore suo percepturi sint.

Jam *Tomi Primi* contenta referemus, ita tamen, ut defensionem Lutheranismi, quem nos profiteri haud obscurum est, hic non suscipiamus. Alio tempore & labore ad id opus est, dummodo ex re Lutherana id esse judicari possit, nec proposito tali obstet, quod Gallice scriptus, adeoq; paucis Lutheranorum Theologorum intelligibilis sit hic liber; dein quod nostratium operibus aditus in Galliam præclusus esse dicatur. Certe a candore Episcopi sperare licuisset, si ei cura aut otium fuisset, scriptores nostros, sepositis paululum præjudiciis quibus innutritus est, consulendi, multa eum non fuisse scripturum. Ea fiducia quædam ad historiam potissimum pertinentia, quæ in excerpendo obiter observavimus, bona, ut confidimus, pace Viri, indicabimus, ad mitius forte judicium de nobis, aut indagandā penitius veritatem profutura. *Tomus primus octo* habet *capita*, sive ut vocat libros, non magnos. Libro I. de gestis ab anno 1517 Lib. I. §. 1.
ad 1520 differitur. Candidius exorditur Dn. *Bossuetus*, quam Lutheranismi historiam *Maimburgius*. Cum enim hic felicem Romanæ Ecclesiæ statum ante Lutherum deprædicet, ille non negat reformationem Ecclesiæ a multis seculis anxie efflagitatam fuisse, & qui-

dem *in capite & membris*. Citat hic *Bernardum*, & *Gulielmum Durandum*, cui ex concilii Viennensis decreto,& Pontificis jussu,præparatio quædam ad reformationis opus demandata fuit: addit quædam de actis concilii Basileensis. Negat quidem,ulli istis tempori-
§. 2. bus vel per somnium in mentem venisse aliam, quam disciplinæ reformationem, & doctrinam semper eandem, i. e. orthodoxam & puram fuisse contendit. Sed ostensum est ab aliis, & nuper ab Illustri Dn. Seckendorfio *Parte prima Commentarii Historici & Apologetici de Lutheranismo*, non exclusisse dogmatum emendationem, qui reformationem poscebant. Sane ipsa Parisiensis Academiæ appellatio ad concilium, A. 1517 proxime ante Lutheri disputationes interposita, in fine aliquid tale indicat; & *Gravaminum Nationis Germanicæ* compilatores, nondum Lutherani, non paucos tangunt articulos, qui ad dogmata reformanda non poterant non pertinere. Vid. *Dn. Seckendorf. d. l. p. 7. & 369.* Urgebat quidem ignorantia, luxuria & avaritia Cleri, quæ tunc notoria & propemodum universalis erat, ut ad correctionem manifestissimorum defectuum ante omnia respiceretur. Secuta tamen per se doctrinæ emendatio fuisset, si reduci ad pietatem & sacrarum literarum debitam tractationem Prælati & Pastores potuissent. Sed ista obiter. Observamus etiam, ea quæ Episcopus de invidia adversus Dominicanos tra-
§. 6. didit, quæ Lutherum, Augustinianum nempe, ad disputationis primordia incitaverit, non convenire cum regula in præfatione stabilita. Id enim ex suæ sectæ scriptoribus, non ex Lutheranis hausit; nam Paulum Sarpium Venetum pro Ecclesiæ nostræ membro non agnoscimus, licet nobis aut Reformatis *Libro 5. §. 109.* obtrudi videatur. Ita & a sinceritate Episcopi promittere nobis potuissemus,
§. 19. ad paradoxon illud Lutheri de non sumendis armis contra Turcos, adducturum fuisse vel unicam ex plurimis Lutheri explicationibus, ex quibus constat, duo potissimum ab illo in apparatu belli Turcici reprehensa fuisse; unum, quod Pontificum auspiciis eoque prætextu fieret, quasi proprium Christianorum officium esset, bella in Turcos gerere; alterum, quod etsi justa defensio adversus barbaras illorum irruptiones suscipiatur, nullum tamen studium ad emendationem internorum vitiorum nostrorum impendatur. Utrumque postea sæpius & prolixe, brevius autem in defensione articulorum suorum

ſuorum a Leone damnatorum tractavit *Anno* 1520. *art*. 34. Vid. *Tom.* I. Lat. *Witteb. fol.* 116. b. ubi inter alia ſcribit: *quanto rectius faceremus, ſi primum orationibus, imo totius vitæ ratione Deum propitium faceremus.* Eadem æquitate non minus declarari potuiſſent, quæ Lutherus de vocatione ſua immediata, itemque Papatus interitu, certis modis ac conditionibus jactaſſe aut prædixiſſe arguitur. Multoties enim iſta eum in modum explicavit, ut ab irriſione & cenſura ſatis tutum ſe præſtiterit. Semel etiam monuiſſe ſufficiat (quod magnam argumenti de variationibus partem deſtruit) Lutherum non per enthuſiaſmum, ſed quod ſæpiſſime profeſſus eſt, per gradus, ad dogmatum veritatem magis magisque eruendam, & ad detegendos quibus inſueverat errores profeciſſe, ordinariis nempe mediis uſum, lectione Scripturæ, & accedente, quam precibus enixiſſimis exorabat, Spiritus Sancti operatione. Axioma igitur illud in præloquio propoſitum, *quod veritas Catholica a Deo revelata, prima ſtatim vice pateſcat*, limitationem admittit, nec excludit profectum §. 7.
ſucceſſivum & per gradus, quod vel Apoſtolorum exemplis confirmatur, totaque Dei œconomia in ſubroganda Legis diſciplinæ Evangelii fide, quam cum die & luce, ut illam cum nocte comparat Apoſtolus. Eodem modo, & duobus pene verbis, altera quoque argumentationis acies hebetatur, quæ a moribus Lutheri aculeos ſumit. Præterquam enim quod multa Luthero per calumniam & falſo ab Adverſariis, quos infenſiſſimos habuit, objecta fuerint; ab ipſo Epiſcopo non uno loco ut commune principium agnoſcitur, quod doctrinæ veritas non pendeat a ſanctimonia doctorum, talium præſertim, qui non noviter revelata, ſed vetera ex Scripturis deducunt, & a pravis additamentis & interpretationibus purgant. *Liber II.* ex hiſtoria A. 1520 ad 1529, Lutheri dogmata adverſus *transſubſtantiationem* in cenſuram vocat, ut & geſta cum Caroloſtadio. Sunt Lib. II.
tamen quæ in hiſtoria fugerunt Auctorem, v. g. quod *Caroloſtadius Witteberga pulſus Orlamundam ſe receperit*; ſuo enim eo §. 11.
conceſſit arbitratu, jus ad parochiam ampli proventus, prætextu *Archidiaconatus Wittenbergenſis* ſibi collati, cui illa in fundatione Academica incorporata, ut loquuntur, erat, ſibi inſolenter arrogans. Neque primus fuit *Caroloſtadius* ex Wittenbergenſi Clero, §. 13.
qui conjugem duxit, ſed præcedentem habuit *Bartbolomæum Feldtkir-*

 chium,

chium, Præpositum Kembergensem. Ad ea, quæ de nuptiis Lutheri narrantur, innumeri responderunt; bis tamen erratur (d. §. 13. & Lib. III. §. 49.) in ætate Lutheri; non enim XLV, sed XLII. annos natus erat, cum uxorem duceret. Etiam quæ de caussis belli rustici illi imputat, solide refutari possunt. Quæ de *Zwinglio* & *Oecolampadio*, & de sententia Lutheri circa præsentiam realem in Sacramento, & de *ubiquitate*, item de justificatione, contritione, certitudine salutis aliisque dogmatibus, hoc libro & sequentibus prolixe & subtiliter disputat, brevitatis studio non recensebimus. *Libro III.* ubi de historia *Augustanæ confessionis* tractatur, actum agere videtur Vir eximius, præsertim cum variatas editiones, & Melanchthonis privata consilia & facta persequitur. Ista enim omnia quoties a nostratibus examinata & refutata fuerint, dici non potest. Lectu tamen dignissima arbitramur, multorumque malignis relationibus præferenda, quæ de aliquibus Augustanæ confessionis capitibus disserit. *Libro IV.* de gestis ab anno 1530 ad 1537 agitur; inprimis de quæstione, *an armis defendi debeat religio.* Immerito autem exagitatur Lutherus, qui pro diversa hypothesi, diversa respondit. Non pauca regeri possunt adversus ea, quæ denuo de præsentia reali, ejusque tempore seu momento, in usu S. Cœnæ, ex Buceri & sociorum cum Luthero disputationibus afferuntur. Nihil vero minus ab Auctore gravissimo metuissent Lutherani, quam ut putidæ de Lutheri disputatione cum diabolo calumniæ calculum suum adderet, inter alia confidenter scribens, *vanum esse quod nostri regerunt, Lutherum non instructum esse de abroganda Missa, sed ob eam olim celebratam tentatum fuisse, ut desperaret.* Hoc enim omnes, qui relationem Lutheri Germanicam, aut integre versam, sine præoccupatione perlegerint, Sole meridiano clarius deprehendent. Demonstravit hoc novissime, adversus recoctas a *Cordemoyo* in Gallia nugas, post alios Lib. I. Comm. de Lutheranismo §. CII. & in Addit. p. 178. & seqq. Dn. *Seckendorfius.* Nec abs re fuerit legi, quæ in Actis hisce A. 1686. pag. 606. seqq. ea de re dicta sunt. Operosus est Episcopus *Libro V.* in enarrandis *Philippi Melanchthonis* querelis & hæsitationibus, quas plerasque ex epistolis ejus, familiari libertate ad *Camerarium* scriptis exsculpsit. Videbit autem Vir magni judicii, quod & hic nihil a defectibus doctorum moralibus ad pravitatem doctrinæ con-

Lib. IV, §. 17.

næ concludi poſſit, nec latebit eum, quam multa ex *Camerarii* hiſtoria de vita Philippi, aliisque non levibus ſcriptoribus, pro excuſatione ejus afferre liceat. Laudanda interim eſt ingenuitas, qua non diſſimulat, a prædicatoribus ante Lutheri tempora, *ſanam doctrinam non ſatis explicatam fuiſſe. Plurimi*, ſcribit, (& rectius omnes dixiſſet) *non niſi indulgentias, peregrinationes & eleemoſynas monachis erogandas, atque adeo pro fundamentis acceſſoria proponebant, nec quantum opus erat, de gratia Chriſti docebant.* Parum certe abeſt, quin hæc agnoſcens, ſimul neceſſitatem reformationis aperte fateatur, quam tamen ſummopere in omnibus ſcriptis ſuis elevare annixus eſt. Univerſalem illam in Eccleſia ejus temporis doctrinam ad populum fuiſſe, innumeris præterea fabulis & ſuperſtitionibus corruptam, quibus remedium a paucorum rectius ſcriptis vel dictis afferri non poterat, liquidiſſime demonſtrari poteſt. Publico illi malo ſi rejectis nugis manum admovere, & verbi divini ſimplicem prædicationem, ad Proteſtantium enixam poſtulationem admittere voluiſſent Pontifices & Epiſcopi, ad ingens illud ſchiſma perventum non fuiſſet; evitari etiam multa in ipſis Proteſtantium Eccleſiis potuiſſent, quorum præcavendorum cauſa non *Melanchthon* ſolum, ſed & *Lutherus*, Epiſcoporum jurisdictionem, ſalva dogmatum veritate, tolerare non recuſarunt. Verum tamen eſt, non eadem fiducia erga Epiſcopos eorumque moderationem alios fuiſſe, & quod Melanchthon queſtus eſt, civitates maximas illorum reſtitutionem prorſus averſatas eſſe. Fallitur tamen Auctor, cum putat odioſos urbibus fuiſſe *Epiſcopos, non ut Paſtores, ſed ut Principes:* Principatus enim jus nullum, ſed ſolummodo Diœceſeos habuiſſe Epiſcopos in civitates ampliſſimas, *Norimbergam, Auguſtam, Argentoratum, Francofurtum, Ulmam, Hamburgum, Lubecam* aliasque, neminem in Germania latet. Immerito etiam exprobratur Proteſtantibus, *quod intra annos ſexdecim a cœpta reformatione de viſitatione Eccleſiarum ne ſomniaverint quidem.* Excuſabilis fuiſſet cunctatio ſpe lactatis, fore ut æquiſſimis poſtulatis tandem ceſſuri eſſent Epiſcopi. Principes vero inveterata perſuaſione repleti tunc erant, ſe non niſi apparitores quaſi Epiſcoporum eſſe. Præjudicio illo retardari ſe paſſus eſt *Fridericus* Saxoniæ Elector, ſapientiſſimus licet, ut ab anno 1517 ad mortem usque ſuam A. 1525 negotium viſitationis

V. §. 1. | §. 5. | §. 9. | §. 9.

tationis, dolente Luthero, procrastinaverit. Frater vero & successor
ejus *Johannes* nihil prius habuit, quam ut visitationem illam perfice-
ret, quamprimum nempe rusticorum seditionem composuisset.
Confectum itaque negotium fuit annis 1527 & 1528, ut ex publicata
illo tempore & in *Tomum IV Oper. Germ. Lutheri* relata formula per-
cipere potuisset Episcopus; verum illi (festinanti forte,) secunda ejus
editio A. 1538, quæ Tomo VII. inserta est, occurrit, & censuræ non me-
ritæ occasionem dedit, quasi illo demum anno visitatio suscepta fue-
rit. Mirandum tamen non est, Viro, licet laboriosissimo, vasto-
rum Lutheri & Melanchthonis voluminum plenam lectionem ni-
mis molestam, & Germanica forte plane ignota fuisse, in quibus
visitatorius ille libellus bis editus reperitur. Inter multa alia de-
§. 13. & prehendisset in Luthero non mitiores, quam in Erasmi, Buceri & Me-
seqq. lanchthonis epistolis, quas allegat, querelas, quod puritatem do-
ctrinæ non ea, quam sperabant, morum correctio sequeretur. Al-
tiores radices egerat, quæ pastorum culpa invaluerat, ignorantia
& impietas in populo, quam ut evelli tam brevi posset tempore.
Videmus etiam, omnibus fere Ecclesiæ ætatibus, optimos & sanctissi-
mos quosque Antistites in easdem de moribus lamentationes etiam
cum hyperbole quadam erupisse, licet in doctrina nullos notarent
defectus. Vellemus tamen, ut hæc redargutio cœtus nostros ma-
gis magisque excitaret, ut dogmatum qua fruuntur puritatem san-
ctimonia vitæ & disciplinæ ornarent, & adversariis censuræ occasio-
nem, quanta maxime possent diligentia, præciderent. An vero ma-
gis culpari mereantur Protestantium mores, quam illorum, qui sub
Romanæ Ecclesiæ Hierarchia continentur, nolumus hic contende-
re; neque enim quod Autor prædicat, externum illud regimen ef-
fectus ad doctrinam aut mores habet, quos illi tribui videmus. Scri-
bit quidem Episcopus & veluti expostulat, *cur principium illud non a-
gnoverit Melanchthon aut Protestantes cum illo? Cur Ecclesia minus or-
§. 23. dinata esse deberet quam Imperia? Cur successioni legitimæ Magistratuum
non æque in illa ac in politia locus esset?* Sed ad ista toties, & insolen-
tius ab aliis, objecta, imo violenter obtrusa, dudum responsum est,
non placuisse istam formam illi qui dixit: *regnum meum non est de
hoc mundo*, &: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Ne-
mo dubitat, si ad Imperiorum ideas ordinari debeat Ecclesia, plus
illi

illi poteſtatis ad externa concordiæ in profeſſione dogmatum, ut & in cultu & diſciplinæ ſpecie futurum eſſe. Neque enim parum valent coronæ, purpura, infulæ; plus etiam faſces & ſecures, & militum copiæ. Sed contenta fuit vera Chriſti Eccleſia verbo & calamo, accedente Spiritus Sancti cooperatione. Dein ſi alterum ex duobus incommodis evitari non poteſt, tolerabilior eſt diſſenſionum licentia, & ſcandalorum quæ vitari non poſſunt intemperies, quam dominatio cruenta, quæ cum cæco obſequio, in maxima populi parte ſummam myſteriorum divinorum ignorantiam, & coactam parit hypocriſin. De *Libro VI*, qui hiſtoriam ab anno 1537 ad 1546 pro objecto habet, pauca dicemus. Totus enim fere in hiſtoria *Bigamiæ Haſſiacæ* conſumitur, cujus memoriam ſepultam relinquere ſatius erat. Refodit eam *Varillaſius* in nupera de hæreſibus hiſtoria; ſupplet eam hic Epiſcopus ex libro ſub nomine *Daphnæi Arcuarii* A. 1679 edito, cujus verum auctorem nominat *Laurentium* VI. §. 2.
Bæger. Errat tamen, cum ultimum qui mortuus eſt Electorem Palatinum vocat *Carolum Ludovicum*. Succeſſit enim ei, ut notum eſt, & aliquibus annis ſupervixit filius *Carolus*. Erunt forte, qui iſtis omnibus reſpondebunt. Ad religionis interim caput non pertinet, ſi quid humani paſſi ſunt, in actionibus aut conſiliis circa mores, Principes aut Theologi; nec exemplum Haſſiacum ſequelas apud noſtrates habuit, in dogmate aut facti imitatione. Documento interim Magnatibus eſſe poteſt evulgatio tam ſera actorum, quantacunque diligentia quondam celatorum, poſſe etiam poſt unum alterumque ſeculum errata ſua in publicum produci, quæ adulatione vel metu occultantur, aliquando etiam virtutum pallio induta procedunt. *Librum* VII. intactum pene relinquere poteramus; nil aliud enim, quam animadverſionem in hiſtoriam D. Burneti de reformatione Anglicana exhibet, qualem nuper ex libris *Joachimi le Grand* menſe hujus anni Januario, pag. 27. ſeqq. retulimus. Ominoſa eſt clauſula, qua liber hic finitur, hoc præſertim tempore, quo totus orbis motum Angliæ attonitus intuetur. Scribit enim Epiſcopus: *Deus potentiſſime operatur ad ſalutem Angliæ; dedit ei Re-* VII. §. 114
gem incomparabilis fortitudinis & pietatis. Venit tandem tempus ultionis; evaneſcet illuſio, & Deus Sanctorum gemitus exaudiet. Horum verborum, quæ nuper quidem, alio tamen Angliæ ſtatu ſcripta

K ſunt,

ſunt, interpretatio & eventus a Divina expectandus eſt providentia. *Libro VIII.* referuntur quædam ex actis annorum 1546 & ſequentium ad 1561. Puta, de *Hermanni* Archiepiſcopi Colonienſis tranſitu ad Proteſtantes, de bello *Smalcaldico*, de edicto *Carolino*, quód *Interimiſticum* vocatur, de conventu Principum Proteſtantium *Numburgico*, & iterum de variata *Auguſtana Confeſſione*; deinde de *Oſiandro*, *Staphylo*, *Illyrico* & rixis cum Melanchthone, de Colloquio Wormatienſi aliaque; item de confeſſione Saxonica & *Wirtenbergenſi*.
VIII. Fallitur tamen Auctor, cum hanc omiſſa litera canina, Witember-
§. 16. genſem vocat, & a metropoli Ducatus denominari putat, ejusdem cum Wittenberga ad Albim appellationis; nulla eſt enim nec urbs nec oppidum, quod *Wirtenbergæ*, multo minus *Witenbergæ* nomen, in celeberrimo illo Sueviæ Ducatu habeat, ſed arx vetuſta haud procul Stutgardia, Principum ſede, alto monti impoſita, quæ Wirtenbergæ nomen retinuit, & regioni dedit. De dogmatibus multa hoc libro diſputat Epiſcopus, inprimis de libero arbitrio & de converſione hominis, ita quidem, ut explicatione mutua fieri poſſe putet, ut
§. 51. ne umbra quidem difficultatis inter Romanam & Proteſtantium doctrinam ſuperfutura ſit. Hoc ſi ex Auctoris ſententia in dogmatibus capitalibus, quorum deciſionem utraque pars ex ſacris literis haurire vult, locum habet; quid ſperandum ſit de illis, quæ mera traditione & temporum præſcriptione, (quam in veritatis præjudicium Proteſtantes non admittunt,) nituntur, alii judicabunt. Confirmat hæc *Dn. Boſſueti* facilitas ſtudium pacis, quod in exordio Libri, ut diximus, profeſſus eſt. Ex paragrapho ultimo hujus libri conjicimus, ignotum fuiſſe Auctori, quod libro *Rudolfi Hoſpiniani* Theologi Tigurini, cui *concordiæ diſcordis* titulum fecit, jam dudum reſponſum ſit a primario, dum viveret, Wittenbergenſis Academiæ Theologo *D. Leonhardo Huttero*, Volumine integro, quod *concordia concors* inſcribitur, & Wittebergæ anno cIɔ Iɔc XIV primum prodiit. Ibidem D. *Johannem Erneſtum Gerhardum* filium, Patris loco videtur allegare, *Johannis* nempe *Gerhardi*, cujus venerabilis eſt eritque in Eccleſiis noſtris memoria, ob inſignia & plurima, quibus eam locupletavit, ſcripta; a filio, non degenere ſane, in compendium redacta, aut de novo edita. Hæc ex primo hujus operis Tomo ſufficiant; de altero proxime & brevius agemus.

VERI-

VERITAS EVANGELICA TRIUMPHANS DE *erroribus quorumvis seculorum. Opus historico-theologicum in duos tomos distributum, quo principia Fidei Reformatæ demonstrantur &c. opera & studio* Melchioris Leydeckeri *SS. Theol. D. & Prof.*

Trajecti ad Rhenum typis Rudolphi a Zyll, 1688, in 4.

QUinque anni effluxerunt, quod clarissimi Autoris, *Melch. Leydeckeri*, sex libros de *Oeconomia Trium Personarum in negotio salutis humanæ*, in Actis nostris, anno nempe 1683 p. 47. seq. recensuimus, animadvertentes simul, *Virum hunc non incelebrem* hypothesin Calvinianorum de absoluto prædestinationis decreto, & qui inde fluunt errores, vel substravisse vel passim admiscuisse suæ doctrinæ partibus. Quod notatum fuisse a nobis, etsi illi minus nunc probari videtur; memores tamen, ceu optat, veri quem vocat, Protestantismi contra Ecclesiam Romanam, non tantum ad animum nobis revocamus, nos esse, quod audimus, veros Evangelicos constantes, a Pelagianorum & Semi-Pelagianorum hæresi alienissimos; sed profitemur etiam nunc universalem ac sufficientem (sed cui resisti possit) Dei gratiam, & electionem ex fide prævisa, in S. literis luculentissime assertam, negata omni virium liberi arbitrii in conversionis negotio virtute cooperativa; firmiter credentes, Deum non aliter salutis humanæ decretum ab æterno formasse, quam illud in tempore exsequi promisit, hoc est, *sub conditione fidei.* His occasione præfationis ab Autore Tomo II præmissæ, monitis, argumentum, ordinem & scopum *operis nominati* indicare instituti nostri ratio poscit. In quo notata prius Ecclesiæ Romanæ tradendi doctrinam Christianam, horrenda & Evangelio Christi inimica methodo, Autor tum veteres Antitrinitarios & Pelagianos, tum recentiores Socinistas, Arianos rejicit; quippe quorum docendi ratio Naturalismum stabiliat: contra vero *solam religionem Reformatam vere Evangelicam esse*, adstruere laborat. Totius ergo operis in duos divisi tomos hæc œconomia est. Primus *Præparationem Evangelicam*; alter *doctrinam Evangelicam de œconomia SS. Trinitatis in negotio salutis*, juxta mentem Autoris continet. In *Præparatione*, de

vero Christianismi principio, & methodo Ecclesiæ Reformatæ; deinde de principiis Pseudo-Christianorum falsis, eorumque processu in Religione agit, tria falsa horum principia discutiens: Primum eorum *Enthusiasmum*, alterum *Naturalismum*, tertium *dominatum in conscientias* nominat. Ex primo Fanaticos sua deliria derivare; ex secundo Antitrinitarios & Pelagianos seu veteres seu recentes scita sua deducere; ex tertio Pontificios suos stabilire errores, affirmat. Hinc *lib. I* de Theologia, Scriptura sacra, de methodo & demonstratione religionis Reformatæ, Enthusiasmo, Naturalismo & abusu rationis & philosophiæ in Theologia, de hæresi Ariana, Pelagianismo, Semi-Pelagianismo, Socinismo, Arminianismo, Papismo seu principiis Ecclesiæ dominantis, de principio fidei ex doctrina veterum agit. *Libr. II.* de Theologia naturali illustrata per revelationem pertractare instituit. Existimat enim, jactis recte in Theologia dicta fundamentis, per τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ bene agnitum, plurimas ψευδολογίας facile refelli posse. Quapropter de existentia Dei ex notitia Dei insita & acquisita agit: quam contra veteris & recentioris atheismi insaniam vindicat, atheorum sceleratam impietatem impugnando. Hac occasione de idea seu conceptu Dei in mente humana, notionibus vel perfectionibus Dei primo-primis, attributis & providentia tractat. Cui tractationi subjungit aliquot Exercitationes, *unam* de verbis Mosis Deuteron. VI, 4. *Audi Israel Jehova Deus, Jehova unus est*, quo fidem Israelis velut symbolo contineri probat: *alteram* de Ecclesiæ Christianæ per Judaismum & Gentilismum oppugnatione & corruptione, unde multarum hæresium originem deducit, quæ Ecclesiam turbarunt.

In *II. tomo* aggreditur doctrinam de œconomia Trium Personarum in salutis negotio, quam diluendis controversiis majorem usum præbere putat, quam qui omnem Theologiam ad *œconomiam Fœderum Dei* reducunt; cum hæc illam præsupponat, quippe quæ in ista manifestetur πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως; imo addit, nunquam recte œconomiam Fœderis intelligi posse, quin prius œconomia SS. Trinitatis sit cognita, nisi falli aliquando velimus. Quare non dissimulat, in Belgio aliquos in doctrina hac & de statu Patrum hallucinatos esse, quod non hac methodo, quam ipse præit, θεολογεῖν sustinuerint. Sic enim vidissent, Filium expromissorem fuisse, non fide-

fidejussorem, & trinam Trium Personarum gratiam semper viguisse ad Patrum uti sanctificationem & salutem, sic etiam plenariam justificationem. At cum ab œconomia fœderis illi tractare Theologiam cœpissent, disputatum fuisse de πάρεσει Patrumque reatu, nimium oculis defixis in fœderis legalem dispensationem, usque adeo, ut hinc œconomia Trium Personarum sit impetita, Patri in V. T. negata plenaria justificatio, Filio mediatorii muneris exsecutio & expromissoria sponsio, & Spiritus Sancti υἱοθεσίας testimonium cum conscientiarum tranquillatione. Atque inde fusius hanc suam laudatam œconomiam in hoc *secundo tomo* explicare nititur, veritatem scilicet Reformatæ religionis demonstraturus. Itaque totius Evangelii summam esse doctrinam de SS. Trinitate, & ejusdem trina operatione, qua peccator ad vitam æternam perducitur, contendit. Hinc *libro I* ostendit, quanti in Christianismo sit momenti articulus de *SS. Trinitate*: *lib. II* œconomiam Dei Patris creatoris ac judicis exponit, agens de creatione hominis ad imaginem Dei, fœdere operum, lapsu primorum parentum, peccato originali, servoque arbitrio: *lib. III* œconomiam Dei Patris ut Salvatoris tradit, & quicquid ad fœdus gratiæ & Testamentum Dei, vocationem efficacem, justificationem, reconciliationem atque adoptionem spectat, juxta hypothesin suam explicat: *lib. IV* Filii Dei œconomiam pertractat, eumque esse verum Messiam, contra Judæos probat: *lib. V.* de Spiritus Sancti œconomia agit, explicatis tam donis salutiferis, quam communibus & extraordinariis, ut vocat: *lib. VI* de œconomiæ objecto & effectu, h. e. Ecclesia tractat, impugnato Romanensium cœtu, qui Ecclesiæ catholicæ titulo superbiat: *lib. VII* claudit omnia cum seculorum omnium fine & consummatione, ubi de statu animæ post mortem, de signis temporis ultimi, de adventu Christi ad judicium, de resurrectione mortuorum & vita æterna.

Ceterum cum in præfatione tomi II methodum suam docendi commendasset, §. 24. conqueritur, in Anglia Pelagianismum palam doceri, deficientibus Episcopalibus tam a suis majoribus, quam Calvino: Anglos admirari H. Grotii, S. Episcopii, Steph. Curcellæi scripta: Quæstiones de natura & gratia ad summum Scholasticas censeri: accedere Latitudinariorum dogmata, quibus Christianismus vertatur in Naturalismum. §. 27. seqq. Pajonistarum

(qui a Claudio Pajonio nomen indepti sunt) errores Pelagianos, ex Amyraldi Universalismo enatos esse notat. Tandem §. 34. Coccejanos notat, eorumque placita aliquot perstringit; id quod obiter simul referre placuit.

THEOLOGIA SYMBOLICA LUTHERANA, hoc est, Ecclesiæ Lutherano-Catholicæ Libri Symbolici, in ordinem & compendium redacti a Bernhardo von Sanden/ *SS. Theologiæ D. & Prof. P. ordinario in Academia Borussorum Regiomontana &c.*

Francofurti & Lipsiæ, impensis J. A. Pleneri, Bibliopolæ Stetin. 1688, in 4.

AD doctrinæ sinceritatem, & harmoniam in militante Ecclesia Christi retinendam, non parum adjumenti afferre Libros, quibus propriæ ejusdem tesseræ ac symbola genuina continentur, certum est. Cum enim rivi sint, ex Scripturarum fonte intra ripas Ecclesiæ manantes, a quibus tutus semper regressus ad ipsam datur scaturiginem, non potest dubitari, quin proximum a Scripturarum autoritate locum illi ipsi mereantur. Paucis vero, præstantibus præsertim in republica gubernanda viris, cum tantum otii concessum sit, ut emergente dubio de sanitate alicujus dogmatis, aut phraseos etiam, consulere queant singulos, nedum totos percurrere: liberum præterea sit cuilibet, nec fruge cassum, nocturna eos diurnaque versare manu; dispendium operæ minus se facturum Clarissimus Autor judicavit, si doctrinam in iis per latiores quasi campos hactenus diffusam, in compendium aliquod redigeret, ex quo cognoscere unusquisque via brevi posset, quænam circa hoc, vel illud doctrinæ caput eorundem sit sententia. Definit itaque initio Ecclesiæ Lutheranæ Libros Symbolicos, quod *forma sint ac regula quadam sanæ doctrinæ, & sanorum loquendi modorum, constituta potissimum in gratiam doctorum, ut exinde controversias Theologicas dijudicare, & Ecclesias orthodoxas ab heterodoxis discernere queant.* Vel, ut alibi idem loquitur, *constituta eo fine, ut Ecclesias orthodoxas ab heterodoxis discernant, & in una atque unanimi professione contineant illos, qui ad eandem*

Præfat. ad Lect. pag. 220.

eandem Ecclesiam Lutheranam pertinent. Ne quis vero canonicam Scripturæ autoritatem, quod sola sit & unica regula atque norma controversiarum omnium, labefactari ullo modo aut convelli assignato genere existimet, normam πρώτως καὶ κυρίως ita dictam, a norma δευτέρως καὶ ἑπομένως tali discernit: normam judicis, a testimonii; normantem a normata, mensurantem a mensurata. Praef. cit. Quod quidem rationis lumine non reluctante factum arbitreris, utpote quod conclusioni rite semel demonstratæ, alias demonstrandi vim non adimit, ut subalternis in scientiis maxime est perspicuum: quodque, vel ipso indicante Stagirita, ad demonstrationem non vera tantum & prima, seu, quod idem est, veritates primas exigit; verum ea etiam quæ a quibusdam veris & primis sui cognitionis principium sumserunt (ἃ διά τινων πρώτων καὶ ἀληθῶν τῆς περὶ αὐτὰ γνώσεως τὴν ἀρχὴν εἴληφε) non immerito admittit, conceditque I. Top. I, 4. propterea ἐκ τῶν ἀποδεδειγμένων aliquid interdum demonstrare. I. Poster. X, 4. Unde & alibi pro demonstrativa propositione habendam eam docet, quæ vera est, & per initio positas hypotheses veras fuit sumta: neque I. Prior. I, 6. aliud volunt Logicorum optimi, demonstrandi principia duorum facientes generum, nonnulla nominantes *absolute prima*, nonnulla I. Poster. II, 13. *ab his primis orta.* In quibus tamen ad rem præsentem applicandis, probe semper illud Philosophi, *Unumquodque primum in suo genere est mensura reliquorum*, attendendum esse intelligitur.

In digerendis doctrinarum capitibus, quas Libri Symbolici comprehendunt, tria potissimum, fidem, sacramenta, & mores: seu credenda, mysteria, & agenda Autor respicit, horumque intuitu Theologiam aliam theoreticam appellat, aliam mystagogicam, & aliam moralem: ac earum partium diversitate motus, hujus Theologiæ suæ Capita & Locos tribus omnino Sectionibus distinxit. Quarum *Prima* de articulis ad Theologiam & œconomiam pertinentibus, nimirum de norma credendorum & in universum religionis Christianæ, de Deo & Divinis attributis, de Mysterio SS. Trinitatis, de Christo, de Prædestinatione, de Conversione hominis ad Deum, de Justificatione hominis peccatoris coram Deo, de Ecclesia, de Novissimis: *Media*, de Sacramentis in genere, de Sacro Baptismo, & de Sacra Cœna Domini: *Postrema* vero, de peccato, de lege Dei, in genere ac illius & Evangelii discrimine, de Decalogo in specie pag. 47. 70. seqq.

ſpecie, ejusq; præceptis ordine ſingulis & clauſula, de votis monaſticis velut ſecundi præcepti appendice, de conjugio ſacerdotum, de miniſterio eccleſiaſtico, de poteſtate eccleſiaſtica, de bonis operibus, de adiaphoris, ritibus humanis, & traditionibus, de pœnitentia, de confeſſione, abſolutione, & ſatisfactionibus: de oratione in genere, & in ſpecie de invocatione & cultu ſanctorum, tandemque de oratione dominica in ſpecie, ſuccinctas theſes oculis legentium exhibet, quin & ἐπίμετρα ſingulis capitibus in diſputandi uſum ſubnexa: atque ita exhibet, ut conferre & inquirere volenti ſedes ſimul, locusque libri proprius, unde hauſta fuit theſis quælibet, in margine allegatus commonſtretur.

Diſſertatione Theologica, quam huic compendio ſubjunctam vides, uberius ex antiquitatis uſu potiſſimum & conſuetudine doce-
pag. 228. tur, ***Formulam ſanorum verborum, Theologo Doctori in Eccleſia Lutherana ſervandam, exhiberi in Scriptura Sacra, Eccleſiæ catholicæ conſen-***
219. ***ſu, & Librorum Symbolicorum ſuffragio.*** In bene enim conſtituta Republica Civili, ut præter jus naturæ & gentium, omnibus hominibus commune, etiam alia ſtatuta contineantur, huic vel illi reipublicæ in ſpecie competentia, quibus ſervandis obſtricti ſint, quotquot civium numero accenſentur, quæque ab his jura Civilia nominentur: imo ſicut præter jus illud Civile, quod univerſæ Civitati, vel Reipublicæ multis regionibus & provinciis conſtanti eſt commune, dentur etiam jura peculiaria, Provincialia vel Civitatenſia appellanda: ita rem agi & in Republica Eccleſiaſtica perſuaſus eſt. Dari in ea Scripturam ſacram, & Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, ad univerſum Chriſtianorum cœtum per totum terrarum orbem diſperſum pertinentes; dari etiam dogmata & ſtatuta ſacra ad Eccleſiam
204. ſqq. hanc vel illam particularem pertinentia. Eoque primam debere Theologo curam eſſe de forma ſanorum verborum haurienda ex Pandectis divinarum literarum; inde vero & de conſenſu Eccleſiæ ſollicitum eum eſſe oportere. Neque enim contrariam eſſe Eccleſiam Catholicam Scripturæ, ſed eandem aſſerere pro virili, velut teſtem, cuſtodem, vindicem, præconem, atque interpretem: multo minus nova & Scripturis incognita cudere dogmata, aut alumnis ſuis obtrudere; ſed doctrinam a Chriſto, & Spiritu Sancto Apoſtolis, ab Apoſtolis autem ſibi traditam, velut pretioſum cœli depoſitum

tum fideliter asservare; interpretari tamen eam doctrinam verbis aliis atque aliis, pro contradicentium, aliarumve circumstantiarum ratione, atque verum illius sensum contra corruptelas omnium generum vindicare.

Brevi tandem *Diatriba*, quam *Tuba Pacis* Matthæi Prætorii opposuit, id agit Autor, ut ostendat, probatam nullatenus a se fuisse Invocationem Angelorum, licet in *Thesibus Succinctis* ad Institutiones Catecheticas D. Conradi Dieterici a sese propositis, verba & sententiam D. Hildebrandi de prisca orandi formula, *Angele custos ora pro me*, instantiæ afferendæ causa, ad marginem forte collocarit & expresserit. pag. 241.

Cæterum, quamvis Autor libros symbolicos in gratiam Doctorũ potissimum constitutos fateatur, idem tamen & simpliciorum studio inserviendum ratus, hanc Theologiam suam Symbolicam in lingua etiam vernacula legi & extare voluit. Quod igitur hactenus in forma thesium proposuerat, idem nunc, mutato idiomate, adhibita quæstionum & responsionum vicissitudine, legentis animo instillat, manente prorsus sectionum, atque capitum, quin & thesium ipsarum serie & numero. Quemadmodum enim in Saxonicis hisce provinciis, ad promovendum salutare rudiores catechizandi exercitium, summa autoritate non ita pridem introductum, B. Lutheri Catechismus, quæstionibus perspicuis & responsionibus egregie illustratus atque confirmatus prodiit: similem in modum forte & Prutenicis Ecclesiis hoc labore suo consultum videtur Autor voluisse; verum eo cum discrimine, quod, cum salutiferæ doctrinæ fundamenta non nisi ex Scriptura depromat noster, is præterea in consilium adhibuerit Libros Symbolicos, quibus & *Repetitionem Corporis Doctrinæ Prutenicæ* annumerat. Promisit tamen publico in Præfatione ad Lectorem, *Theologiam Positivam* quoque, ut & *Theses* has *ab uno latere Scripturæ Sacræ, ab altero Ecclesiæ antiquæ testimonio* a sese muniendas.

Quæstionibus vernaculis annectitur *Christianum* aliquod *Colloquium*, ab Ecclesiæ Ministro cum peccatorum confessionem edituro, primaque vice ad Sacram Domini Cœnam accessuro instituendum, una cum aliquot *Publicarum Precum* formulis. In fine subjunguntur utrobique rerum & verborum indices. Et quamvis per-

fectum indicem hactenus Libris Symbolicis queratur defuisse, defectumque istum hic adimpletum affirmet Autor; laude tamen sua privandum non putamus Indicem locupletissimum, quo B. D. J. B. Carpzovii Isagoge in Libros Ecclesiarum Lutheranarum Symbolicos, jamdudum est instructa.

TENTAMEN DE MOTUUM COELESTIUM causis, autore G. G. L.

Constat veteres, præsertim qui Aristotelis & Ptolemæi placita secuti sunt, nondum agnovisse naturæ majestatem, quæ nostro demum & præcedenti ævo præsentius illuxit; ex quo Copernicus pulcherrimam Pythagoreorum Hypothesin, quam ipsi fortasse magis suspicione libasse, quam recte constituisse videntur, e tenebris revocatam, summa simplicitate phænomenis satisfacere ostendit. *Tycho* autem Copernicum in summa systematis (excepta Solis terræque transpositione,) secutus, ad observationes solito accuratiores animum adjecit, & orbium solidorum apparatum minime decorum ex cœlo sustulit. Etsi autem ex Herculeis laboribus suis non satis fructus perceperit, partim præjudiciis quibusdam exclusus, partim morte præventus, divina tamen providentia factum est, ut observationes ejus & molimina venerint in manus Viri incomparabilis *Johannis Kepleri*, cui fata servaverant, ut primus publicaret mortalibus

jura poli, rerumque fidem, legesque Deorum.

Hic ergo invenit, quemlibet planetam primarium orbitam describere ellipticam, in cujus altero focorum sit Sol, ea lege motus, ut radiis e Sole ad planetam ductis areæ semper abscindantur temporibus proportionales. Idem deprehendit, plures planetas ejusdem systematis habere tempora periodica in sesquiplicata ratione distantiarum mediarum a Sole, mire profecto triumphaturus, si scivisset, (quod præclare Cassinus notavit) etiam Jovis & Saturni satellites easdem leges servare, respectu suorum planetarum primariorum, quas isti erga Solem. Sed tantarum tamq; constantium veritatum causas dare nondum potuit, tum quod Intelligentiis, aut sympathiarum radiationibus inexplicatis haberet præpeditam mentem, tum

quod

quod nondum illius tempore Geometria interior, & ſcientia motuum eo quo nunc, profeciſſent. Aperuit tamen & rationibus indagandis aditum. Nam ipſi primum indicium debetur veræ cauſæ gravitatis,& hujus naturæ legis, a qua gravitas pendet, quod corpora rotata conantur a centro recedere per tangentem, & ideo ſi in aqua feſtucæ vel paleæ innatent, rotato vaſe, aqua in verticem acta, feſtucis denſior, atque ideo fortius quam ipſæ, excuſſa a medio, feſtucas verſus centrum compellit; quemadmodum ipſe diſerte duobus & amplius locis, in Epitome Aſtronomiæ expoſuit; quanquam adhuc ſubdubitabundus,& ſuas ipſe opes ignorans,nec ſatis conſcius quanta inde ſequerentur,tum in Phyſica, tum ſpeciatim in Aſtronomia. Sed his deinde egregie uſus eſt Carteſius, etſi more ſuo autorem diſſimularit. Miratus autem ſæpe ſum, quod Carteſius legum cœleſtium a Keplero inventarum rationes reddere ne aggreſſus eſt quidem, quantum conſtat; ſive quod non ſatis conciliare poſſet cum ſuis placitis, ſive quod felicitatem inventi ignoraret, nec putaret tam ſtudioſe a natura obſervari.

Porro cum minime phyſicum videatur, imo nec admirandis Dei machinamentis dignum, *Intelligentias* peculiares itineris directrices aſſignare ſideribus, quaſi Deo deeſſent rationes eadem corporeis legibus perficiendi; & vero *orbes ſolidi* dudum ſint exploſi, *ſympathiæ* autem & magnetiſmi, aliæque id genus abſtruſæ qualitates, aut non intelligantur, aut ubi intelliguntur, corporearum impreſſionum effectus apparituræ judicentur; nihil aliud ego quidem ſupereſſe judico, quam ut cauſa motuum cœleſtium a motibus ætheris, ſive ut aſtronomice loquar, ab *orbibus deferentibus* quidem,ſed *fluidis*, oriantur. Hæc ſententia vetuſtiſſima eſt, etſi neglecta: nam Leucippus Epicuro prior eam adeo expreſſit, ut in ſyſtemate formando ipſum adhibuerit δίνης (*vorticis*) nomen,& audivimus, quomodo Keplerus motu aquæ in verticem actæ gravitatem adumbraverit. Et ex itinerario Monconiſii diſcimus, jam tum Torricellii fuiſſe ſententiam (& ut ſuſpicor, etiam Galilæi, cujus iſte diſcipulus erat) totum ætherem cum planetis motu Solis circa ſuum centrum acti circumagi, ut aqua a baculo in medio vaſis quieſcentis circa ſuum axem rotato; & ut paleas ſeu feſtucas aquæ innatantes, ſic aſtra medio propiora, celerius circumire. Sed hæc generaliora non

difficulter in mentem veniunt. Nobis vero propositum est, ipsas motuum leges distinctius explicare, quod longe altioris indaginis esse, res docebit. Et cum aliqua in eo genere nobis lux affulserit, & inquisitio commode admodum & naturaliter successisse videatur, in eam spem erectus sum, veris motuum cœlestium causis a nobis appropinquatum esse.

(1) Ut ergo rem ipsam aggrediamur, ante omnia demonstrari potest, secundum naturæ leges *omnia corpora, quæ in fluido lineam curvam describunt, ab ipsius fluidi motu agi.* Omnia enim curvam describentia ab ea recedere conantur per rectam tangentem (ex natura motus) oportet ergo esse quod coerceat. Nihil autem contiguum est nisi fluidum (ex hypothesi) & nullus conatus coercetur, nisi a contiguo & moto (ex natura corporis) fluidum ergo ipsum in motu esse necesse est.


(2) Hinc sequitur, *planetas moveri a suo æthere*, seu habere orbes fluidos deferentes vel moventes. Omnium enim consensu lineas curvas describunt, nec possibile est phænomena explicari, suppositis motibus rectilineis tantum. Itaque (per præcedentem) moventur a fluido ambiente. Idem aliter demonstrari potest, ex eo quod motus planetæ non est æquabilis, seu æqualibus temporibus æqualia spatia describens. Unde etiam necesse est, ut a motu ambientis agatur.


(3) *Circulationem* voco *Harmonicam*, si velocitates circulandi, quæ sunt in aliquo corpore, sint radiis seu distantiis a centro circulationis reciproce proportionales, vel (quod idem) si ea proportione decrescant velocitates circulandi circa centrum, in qua crescunt distantiæ a centro; vel brevissime, si crescant velocitates circulandi proportione viciniarum. Ita enim si radii seu distantiæ crescant æquabiliter seu arithmetice, velocitates decrescent harmonica progressione. Itaque non tantum in arcubus circuli, sed & in curva alia quacunque describenda circulatio harmonica locum invenire potest. Ponamus mobile M ferri in curva quavis 3M 2M 1M (vel 1M 2M 3M) & æqualibus temporis elementis describere elementa curvæ, 3M 2M, 2M 1M, intelligi potest motus compositus ex circulari circa centrum aliquod, ut ⊙ (velut 3M 2T, 2M 1T,) & rectilineo velut 2T 2M, 1T 1M (sumtis ⊙2T æqu. ⊙3M, & ⊙


TAB. II. Fig. 1.

1T

TAB. II. ad A. 1689. pag. 84. sqq.







1 T æqu. ⊙ 2 M) qualis motus intelligi etiam poteſt, dum regula ſeu recta rigida indefinita ⊙ ♈ movetur circa centrum ⊙, & interim mobile M movetur in recta ⊙ ♈. Nihil autem refert, quis ſit motus rectilineus, quo ad centrum acceditur, vel ab ipſo receditur (quem voco *Motum paracentricum*) modo circulatio ipſius mobilis M, ut 3 M 2 T ſit ad circulationem aliam ejusdem mobilis, 2 M 1 T, ut ⊙ 1 M ad ⊙ 2 M, hoc eſt ſi circulationes æqualibus temporum elementis factæ ſint reciproce ut radii. Cum enim arcus iſti elementarium circulationum ſint in ratione compoſita temporum & velocitatum, tempora autem elementaria aſſumantur æqualia, erunt circulationes ut velocitates, itaque & velocitates reciproce ut radii erunt, adeoque circulatio dicetur harmonica.

(4) *Si mobile feratur circulatione Harmonica* (quicunque ſit motus Paracentricus) *erunt areæ radiis ex centro circulationis ad mobile ductis abſciſſæ temporibus inſumtis proportionales, & viciſſim.* Cum enim arcus Circulares Elementares, ut 1 T 2 M, 2 T 3 M, ſint incomparabiliter parvi, reſpectu radiorum ⊙ 2 M, ⊙ 3 M, erunt differentiæ inter arcus & ſinus eorum rectos (ut inter 1 T 2 M, & 1 D 2 M) ipſismet differentibus incomparabiles, ac proinde (*per analyſin noſtram infinitorum*) habentur ea pro nullis, & arcus ac ſinus pro coincidentibus. Ergo 1 D 2 M, ad 2 D 3 M ut ⊙ 2 M ad ⊙ 1 M, ſeu ⊙ 1 M in 1 D 2 M æqu. ⊙ 2 M in 2 D 3 M, ergo & æquantur horum dimidia triangula nempe 1 M 2 M ⊙ & 2 M 3 M ⊙, quæ cum ſint elementa areæ A⊙MA, itaque æqualibus ex hypotheſi ſumtis temporis elementis, etiam areæ elementa ſunt æqualia & viciſſim, ac proinde areæ A ⊙ M A ſunt temporibus, quibus percurſi ſunt arcus A M, proportionales.

(5) Aſſumſi inter demonſtrandum *quantitates incomparabiliter parvas*, verbi gratia differentiam duarum quantitatum communium ipſis quantitatibus incomparabilem. Sic enim talia, ni fallor, lucidiſſime exponi poſſunt. Itaque ſi quis nolit adhibere *infinite parvas*, poteſt aſſumere tam parvas quam ſufficere judicat, ut ſint incomparabiles, & errorem nullius momenti, imo dato minorem, producant. Quemadmodum terra pro puncto ſeu diameter terræ pro linea infinite parva habetur, reſpectu cœli, ſic demonſtrari poteſt, ſi anguli latera habeant baſin ipſis incomparabiliter minorem,

angulum comprehensum fore recto incomparabiliter minorem, & differentiam laterum fore ipsis differentibus incomparabilem; item differentiam sinus totius, sinus complementi & secantis, fore differentibus incomparabilem, item differentiam sinus chordæ, arcus & tangentis. Unde cum hæ sint ipsæ infinite parvæ, erunt differentiæ *infinities infinite parvæ*, & sinus versus etiam erit infinities infinite parvus, adeoque recto incomparabilis. Et infiniti sunt gradus tam infinitorum, quam infinite parvorum. Et possunt adhiberi triangula communia *inassignabilibus* illis similia, quæ in tangentibus, Maximisque & Minimis, & explicanda curvedine linearum usum habent maximum; item in omni pene translatione Geometriæ ad naturam, nam si motus exponatur per lineam communem, quam dato tempore mobile absolvit, impetus seu velocitas exponetur per lineam infinite parvam, & ipsum elementum velocitatis, quale est gravitatis solicitatio, vel conatus centrifugus, per lineam infinities infinite parvam. Atque hæc *lemmatum* loco annotanda duxi, pro *Methodo nostra quantitatum incomparabilium*, & *analysi infinitorum*, tanquam Doctrinæ hujus novæ *Elementa*.

(6) Ex his jam consequens est, *planetas moveri circulatione Harmonica*, primarios circa Solem, satellites circa suum primarium, tanquam centrum. Radiis enim ex centro circulationis ductis areas describunt temporibus proportionales (per observationes) Ergo temporum elementis positis æqualibus est triang. 1M2M☉ æqu. triang. 2M3M☉, & proinde ☉1M ad ☉2M est ut 2D3M ad 1D2M, quod est circulationem harmonicam esse.

(7) Consentaneum etiam est, Ætherem seu *Orbem fluidum cujusque planetæ moveri circulatione harmonica*; nam supra ostensum est, nullum corpus in fluido sponte moveri linea curva, erit ergo & in æthere circulatio, eamque rationis est credere consentientem circulationi planetæ, ita ut sit etiam circulatio ætheris cujusq; planetæ harmonica, hoc est si orbis planetæ fluidus, in innumeros orbes circulares concentricos exiguæ crassitudinis cogitatione dividatur, quilibet suam habebit propriam circulationem tanto velociorem proportione, quanto quisque erit propior Soli. Sed hujus motus in æthere alias exactius reddetur ratio.

(8) Itaque ponemus *planetam moveri motu duplici seu composito ex*

sito ex circulatione harmonica, orbis sui fluidi deferentis, & motu paracentrico, quasi cujusdam gravitatis seu attractionis, hoc est impulsus *versus Solem seu planetam primarium.* Facit autem circulatio ætheris, ut planeta circuletur harmonice, non velut motu proprio, sed quasi tranquilla natatione in fluido deferente, cujus motum sequitur, unde nec impetum circulandi velociorem retinet, quem habuerat in orbe inferiore seu propiore, sed eum elanguescentem, dum superiores (majori velocitati quam suæ resistentes) trajicit, continue deponit, & sese orbi quem accedit, insensibiliter accommodat. Vicissim dum a superioribus ad inferiores tendit, impetum eorum accipit. Idque eo facilius fit, quia ubi semel consensit planetæ motus, cum præsentis orbis motu, postea a proximis parum differt.

(9) Explicata circulatione harmonica, veniendum est ad *Motum paracentricum planetarium, ortum ex impressione excussoria circulationis, & attractione Solari* inter se compositis. Liceat autem appellare attractionem, licet revera sit impulsus, utique enim Sol quadam ratione tanquam magnes concipi potest; ipsæ autem actiones magneticæ a fluidorum impulsibus haud dubie derivantur. Unde etiam vocabimus *Solicitationem Gravitatis*, concipiendo planetam tanquam grave tendens ad centrum, nempe Solem. Pendet autem species orbitæ a speciali lege attractionis. Videamus igitur quæ lex attrahendi lineam ellipticam faciat, idque ut consequamur, in Geometriæ adyta parumper ingrediamur necesse est.

(10) Cum omne mobile a linea curva quam describit recedere conetur per Tangentem, licebit *conatum* hunc vocare *excussorium*, ut in motu fundæ, cui æqualis requiritur vis, quæ mobile coercet, ne evagetur. *Hunc conatum metiri licebit perpendiculari ex puncto sequenti in tangentem puncti præcedentis inassignabiliter distantis.* Et cum linea est circularis, hanc *vim* ex conatibus repetitis collectam celeberrimus Hugenius, qui primus eam Geometrice tractavit, appellavit *centrifugam.* Omnis autem conatus excussorius est respectu velocitatis seu impetus ex conatu repetito aliquandiutino concepti infinite parvus, quemadmodũ & solicitatio gravitatis, quæ homogeneæ cum ipso est naturæ. Unde & eadem causa utriusq; confirmatur. Nec proinde mirum est, quod voluit Galilæus, percussionem esse infinitã comparatione gravitatis nudæ, seu ut ego loquor, simplici

plicis

plicis conatus, cujus *vim* ego *mortuam* vocare soleo, quæ agendo demum concipiens impetum repetitis impressionibus viva redditur.

(11) *Conatus centrifugus*, seu conatus excussorius circulationis *exprimi potest per* PN *sinum versum anguli circulationis* 1M⊙N (vel quod ob differentiam radiorum inassignabilem eodem redit, per 1D1T) nam sinus versus æquatur perpendiculari ex uno extremo arcus circuli puncto, in tangentem alterius ductæ, qua conatum excussorium expressimus in præcedenti. (potest etiam exprimi conatus centrifugus per PV, differentiam radii & secantis ejusdem anguli, cujus differentiæ discrimen a sinu verso est *infinitesies*, *infinities*, *infinite parvum*, adeoque nullissimum, respectu radii) Hinc porro cum sinus versus sit in duplicata ratione chordæ, seu arcus inassignabilis sive velocitatis, sequitur *conatus centrifugos mobilium æquabili motu æquales circulos describentium esse in duplicata ratione velocitatum, inæquales describentium esse in ratione composita ex quadrata velocitatum & reciproca radiorum.*

(12) *Conatus centrifugi mobilis harmonice circulantis sunt in ratione radiorum reciproca triplicata.* Sunt enim (per præcedentem) in reciproca radiorum, & directa duplicata velocitatum, id est (quia velocitates circulationis harmonicæ sunt reciproce ut radii) duplicata reciproca radiorum; ex simplice autem reciproca, & duplicata reciproca fit reciproca triplicata. Pro calculo sit θa planum constans æquale semper duplo triangulo elementari 2M3M⊙ seu rectangulo 2D3M in ⊙2M radium seu r, ergo 2D3M erit θa : r seu θa divis. per r, jam 2D2T conatus centrifugus æqu. 2D3M quadr. divis. per bis ⊙3M. ergo æqu. θθaa : 2r³.

(13) *Si motus paracentricus* (recessus a centro -^- vel ad ipsum accessus) *sit æquabilis*, & circulatio harmonica, *linea motus* -^-MG *erit spiralis* ex centro -^- incipiens, *cujus* ea est proprietas, ut *segmenta* -^-GM-^- sint *proportionalia radiis*, id est hoc loco *chordis* -^-G ex centro eductis, sunt enim tam areæ, hoc est, segmenta, quam (ob æquabilem recessum) radii temporibus proportionales. Multæ sunt aliæ notabiles hujus spiralis proprietates, nec difficilis constructio. Imo *generalis datur methodus* in circulatione Harmonica, si ex radiis dentur tempora, aut velocitates paracentrici motus, aut

saltem

saltem elementa impetuum seu solicitationes gravitatis, construendi lineas saltem suppositis quadraturis.

(14) *Solicitatio paracentrica seu gravitatis vel levitatis*, exprimitur recta 3ML ex puncto curvæ 3M in puncti præcedentis inassignabiliter distantis 2M tangentem 2ML (productam in L) acta, radio præcedenti ⊙2M (ex centro ⊙ in punctum præcedens 2M ducto) parallela.

(15) *In omni circulatione harmonica elementum impetus paracentrici* (hoc est incrementum aut decrementum velocitatis descendendi versus centrum, vel ascendendi a centro) *est differentia vel summa solicitationis paracentricæ* (hoc est impressionis a gravitate vel levitate aut causa simili factæ) *& dupli conatus centrifugi* (ab ipsa circulatione harmonica orti.) Summa quidem, si levitas adsit; differentia, si gravitas: ubi prævalente gravitatis solicitatione crescit descendendi, vel decrescit ascendendi velocitas, at prævalente duplo conatu centrifugo, contra. Ex 1M & 3M normales in ⊙2M sint 1MN & 3M2D; cum ergo triangula 1M2M⊙ & 2M3M⊙ sint æqualia ostensa ob circulationem harmonicam, erunt (ob basin communem ⊙2M) & altitudines 1MN, & 3M2D æquales. Jam sumta 2MG æquali L3M, jungatur 3MG parallela ipsi 2ML; igitur congrua erunt triangula 1MN2M, & 3M2DG, & erit 1M2M æqu. G3M, & N2M æqu. G2D. Porro in recta ⊙2M (si opus producta, quod semper subintelligo) sumatur ⊙P æqu. ⊙1M, & ⊙2T æqu. ⊙3M, erit P2M differentia inter radios ⊙1M, & ⊙2M; & 2T2M, differentia inter radios ⊙2M & ⊙3M. Jam P2M æqu. (N2M seu) G2D + NP, & 2T2M æqu. 2MG + G2D — 2D2T, ergo P2M — 2T2M (differentia differentiarum) erit NP + 2D2T — 2MG, hoc est (quia NP & 2D2T sinus versi duorum angulorum & radiorum incomparabiliter differentium coincidunt) bis 2D2T — 2MG. Jam differentia radiorum exprimit velocitatem paracentricam, differentia differentiarum exprimit elementum velocitatis paracentricæ. Est autem 2D2T vel NP conatus centrifugus circulationis, quippe sinus versus (per 11) & 2MG seu 3ML est solicitatio gravitatis (per præcedentem.) Itaque elementum velocitatis paracentricæ æquatur differentiæ inter duplum conatum centrifugum NP seu 2D2T, & simplicem solicitationem gravitatis G2M, aut (quod eodem

M modo

modo concluditur) summæ ex duplo conatu centrifugo, & simplici solicitatione levitatis.

(16) Datis incrementis aut decrementis velocitatis ascendendi aut descendendi, datur solicitatio gravitatis levitatisve aut vice versa. Patet ex præcedenti, nam conatus centrifugus semper dari censetur, cum sit in ratione triplicata reciproca radiorum (per 12.)

(17) Æqualibus temporum elementis incrementa angulorum circulationis harmonicæ, sunt in ratione duplicata reciproca radiorum. Nam circulationes sunt in ratione composita angulorum & radiorum, & circulationes elementares, cum sint harmonicæ, sunt in ratione reciproca radiorum, ergo anguli elementares sunt in ratione radiorum reciproca duplicata. Tales sunt fere motus apparentes diurni ex Sole spectati (dies enim hic sufficienter exiguæ sunt partes temporis, inprimis pro planetis remotioribus,) qui erunt circiter in ratione reciproca quadratorum distantiæ, ita ut in distantia dupla tantum quarta pars anguli eodem temporis elemento absolvatur, in tripla tantum nona.

(18) *Si ellipsis describatur circulatione mobilis harmonica circa focum tanquam circulationis centrum, erunt inter se hac tria: circulatio* 2T3M vel 2D3M (hæc enim comparabiliter non differunt) *velocitas paracentrica* 2D2M, *& velocitas ipsius mobilis* (ex ipsis composita) *in ipsa orbita elliptica* nempe 2M3M, *respective ut hac alia tria:* axis transversus BE; media proportionalis inter differentiam & summam distantiæ focorum inter se F☉, & differentiæ ☉Φ distantiarum puncti orbitæ 3M a focis; ac denique dupla media proportionalis inter ☉3M & F3M, distantias ejusdem puncti a duobus focis. *Eadem* hæc suo modo *& in hyperbola* vera sunt. *In parabola* quantitatibus quæ ibi infinitæ sunt evanescentibus, fient circulatio, velocitas paracentrica, & velocitas ex ipsis composita, quæ est in ipsa orbita respective, ut latus rectum; media proportionalis inter latus rectum & excessum radii super radium omnium minimum, (qui est quarta pars lateris recti) & denique dupla media proportionalis inter radium & latus rectum. Horum veritas ex communibus conicorum elementis derivari potest, si ponatur rectam 3M curvæ (vel ejus tangenti) perpendicularem in 3M, Axi A⌒ occurrere in R, & in eam ex focis normales agi FQ, ☉H; patet 3MH, H☉, ☉3M,

⊙ 3 M, esse ipsis 2 M 2 D, 2 D 3 M, 3 M 2 M, hoc est velocitati paracentricæ, circulationi, & velocitati in ipsa orbita, proportionales. Sufficit igitur ostendi latera trianguli 3 M H ⊙ esse inter se, ut enuntiavimus. Quod facilius fiet, considerando triangula 3 M Q F, & 3 M H ⊙ esse similia, & præterea esse F 3 M ad ⊙ 3 M, ut F R ad ⊙ R, unde per analysin communem propositum concludetur. Sequitur hinc, permutatis licet focis, ut alter pro altero centrum circulationis harmonicæ attractionisque fiat, eandem quæ ante, manere rationem circulationis & velocitatis paracentricæ, in quovis puncto.

(19) *Si mobile quod gravitatem habet*, vel ad centrum aliquod trahitur, qualem planetam respectu Solis ponimus, *feratur in ellipsi* (aut alia sectione coni) *circulatione harmonica, sitque in foco ellipseos centrum tam attractionis, quam circulationis, erunt attractiones seu gravitatis solicitationes, ut quadrata circulationum directe, seu ut quadrata radiorum sive distantiarum a foco reciproce.* Hoc ita invenimus, non ineleganti specimine nostri calculi differentialis, vel analyseos infinitorum. A ∿ sit q; B F, e; B E, b (hoc est $\sqrt{qq-ee}$) ⊙ 2 M radius r; ⊙ φ (seu ⊙ 2 M − F 2 M) 2 r − q, seu per compendium p; & latus rectum W X sit a, æqu. bb : q. Duplum elementum areæ seu duplum triangulum 1 M 2 M ⊙ quod semper æquale est, sit θa, posito a latere recto, & θ repræsentante elementum temporis semper æquale; & 2 D 3 M circulatio erit $\theta a : r$ (vid. jam supra 12) porro differentia radiorum 2 D 2 M vocetur d r, & differentia differentiarum ddr. Per præcedentem autem est d r (seu 2 D 2 M) ad θa : r (seu ad 2 D 3 M) ut $\sqrt{ee-pp}$ ad b. Ergo $b\,r\,dr = \theta a \sqrt{ee-pp}$, quæ est *æquatio differentialis*. Hujus autem *æquatio differentio-differentialis* (*secundum Leges calculi a nobis alias in Actis istis explicati*) est $b\,dr\,dr + br\,ddr = -2\,p\,a\,\theta\,dr : \sqrt{ee-pp}$, quarum duarum æquationum ope tollendo d r, ut restet tantum d d r, fiet $ddr = bbaa\theta\theta - 2aaqr\theta\theta : bbr^3$, unde habetur propositum. Nam d d r, velocitatis paracentricæ elementum, est differentia inter $bbaa\theta\theta : bbr^3$ hoc est $aa\theta\theta : r^3$ qui est duplus conatus centrifugus (per 12 supra) & inter $2aaqr\theta\theta : bbr^3$, hoc est (quia $bb : q = a$) $2a\theta\theta : rr$: oportet ergo (per 15) ut $2a\theta\theta : rr$ sit solicitatio gravitatis; quæ ducta

M 2 in con-

in constantem a : 2 dat $a a \theta\theta : r r$, quadratum circulationis. Sunt ergo solicitationes gravitatis ut quadrata circulationis directe, & proinde ut quadrata radiorum reciproce. Eadem conclusio & *in hyperbola* & *parabola* succedit, maxime autem in *circulo*, qui est simplicissima ellipsis. Ratio autem discriminis inter has conicas sectiones, & quando circuli & ellipses præ aliis generentur, infra apparebit.

(20) *Planeta idem attrahitur a Sole diversimode, & quidem in duplicata ratione viciniarum;* ita ut idem duplo vicinior, quadruplo fortius, triplo vicinior noncuplo fortius ad descendendum versus Solem nova quadam impressione perpetuo solicitetur. Patet ex præcedenti, posito Planetam ellipsin describere, ac circulari harmonice, ac præterea continuo impelli versus Solem. Video hanc propositionem jam tum innotuisse etiam viro celeberrimo Isaaco Neutono, ut ex relatione Actorum apparet, licet inde non possim judicare, quomodo ad eam pervenerit.

(21) Patet etiam *solicitationem gravitatis in Planetam esse ad conatum Planetæ centrifugum* (seu excussorium ab ipsa circulatione harmonica cum rapiente in orbem atque adeo excutere conante profectum) *ut distantia præsens a Sole ad quartam partem lateris recti ellipseos planetariæ*, seu ut r ad a : 4, ac proinde rationes ipsæ gravitatis ad conatum centrifugum sunt planetæ distantiis a Sole proportionales.

(22) *Velocitas planetæ circa Solem ubique major est velocitate paracentrica, hoc est accedendi ad Solem, vel ab eo recedendi.* Cum enim sit circulatio ad paracentricam ut b ad $\sqrt{ee - pp}$ (per 18, adde calculum ad 19.) erit major illa quam hæc, si $bb + pp$ major quam ee, quod utique fit, cum bb major quam ee, seu b axis transversus, quam e distantia focorum. Id vero in ellipsibus planetariis nobis notis semper contingit, quæ non usque adeo a circulis differunt.

(23) In *Aphelio* A & *Perihelio* ♎ sola est *circulatio* sine accessu & recessu, in Perihelio *maxima*, in Aphelio *minima*. *In media* autem planetæ *distantia* a Sole (quæ est in ipsis extremis axis transversi, B & E) velocitas accessus recessusve est ad circulationem in ratione distantiæ inter focos, ad axem transversum, seu e ad b. Ibi enim p evanescit.

(24) *Ma-*

(24) *Maxima* est *planetæ velocitas accedendi ad Solem, vel ab eo recedendi*, cum W☉ vel X☉, distantia planetæ a Sole, est æqualis dimidio ellipseos lateri recto, tunc enim (per 19 vel 21) fit ddr = 0 cum r = a : 2. Itaque si ex Sole tanquam centro, dimidio latere recto ☉W, tanquam radio, describatur circulus, is ellipsin planetæ in duobus punctis maximæ paracentricæ velocitatis W & X secabit; quæ in uno ut W erit accedendi, in altero X recedendi. *Minima* sive nulla est in Aphelio & Perihelio, sive in ellipsis utroque vertice A & ⏜.

(25) Semper in ellipsi, adeoque & *semper in planeta conatus centrifugus* recedendi a Sole, seu conatus excussorius *circulationis harmonicæ, minor est* solicitatione gravitatis seu *attractione* centrali *Solis*. Est enim (per 21) attractio ad conatum centrifugum ut distantia a Sole seu foco, ad quartam partem lateris recti, semper autem in ellipsi distantia a foco major quarta lateris recti parte.

(26) *Impetus quos planeta attractione Solis continuata, durante itinere concepit, sunt ut anguli circulationis*, seu quos radii ex Sole ad primum & postremum itineris punctum ducti comprehendunt; sive ut motus apparens seu iter spectatum ex Sole. Sic impetus impressus durante itinere A1M est ad impetum impressum durante itinere A3M, ut angulus A☉1M ad angulum A☉3M. Sunt enim angulorum incrementa ut impressiones gravitatis (per 17 & 19) ergo & summæ summis proportionales, nempe anguli circulatione absoluti, summis impressionum seu impetibus inde conceptis. Hinc in puncto W ubi normalis ordinata ex Sole ellipsi occurrit, impetus inde ab Aphelio A conceptus, est dimidia pars impetus concepti ab Aphelio ad Perihelium; est autem ibi ☉W distantia a Sole, ipsum dimidium latus rectum. Et impetus itinere quovis conceptus est ad conceptum semirevolutione, ut angulus circulationis ad duos rectos. Intelligo autem impetus a gravitate vel attractione impressos per se ac solos, non detractis nec computatis impetibus contrariis ab excussorio conatu impressis.

(27) Sed operæ pretium est distinctius ex causis assignatis *explicare totam Planetæ revolutionem, gradusque accessus & recessus erga Solem.* Planeta igitur in maxima digressione A seu Aphelio positus minorem quidem & conatum centrifugum circulationis excutientis,

& attractoriũ gravitatis ſolicitantis experitur, quam ſi Soli propior eſſet. Eſt tamen in ea diſtantia nempe in vertice remotiore a Sole fortior gravitas, quam duplus conatus centrifugus (per 21) quia ⊙ A diſtantia Aphelii ſeu verticis remotioris a Sole ſeu foco major eſt dimidio latere recto ⊙W. Deſcendit itaq; planeta verſus Solem itinere AMEW∿, & continue creſcit deſcendendi impetus, ut in gravibus acceleratis, quamdiu manet nova gravitatis ſolicitatio fortior duplo novo conatu centrifugo; tamdiu enim creſcit impreſſio accedendi, ſuper impreſſionem recedendi, adeoque abſolute creſcit accedendi velocitas, donec in locum perveniatur, ubi æquantur duæ illæ novæ contrariæ impreſſiones, id eſt in locum W, ubi diſtantia a Sole ⊙ W æquatur dimidio lateri recto. Ibi ergo velocitas accedendi eſt maxima, & creſcere deſinit (per 24). Exinde autem etſi pergat planetà accedere ad Solem, usque ad ∿, velocitas tamen accedendi rurſus decreſcit, prævalente conatu duplo centrifugo ſuper gravitatis impreſſionem; idque tamdiu continuatur, donec impreſſiones centrifugæ in unum collectæ, ab initio A, hucusque, impreſſiones gravitatis, etiam ab initio huc usque collectas, præciſe conſumunt, ſeu quando totus impetus recedendi (conceptus ex ſingulis impreſſionibus centrifugis collectis) toti impetui accedendi (ex gravitatis impreſſionibus continue repetitis concepto) tandem æquatur, ubi ceſſat omnis acceſſio; atq; is locus ipſum eſt Perihelium∿, in quo Planeta eſt Soli maxime vicinus. Poſtea autem continuato motu, cum hactenus acceſſerit, nunc recedere incipit, tenditque ab ∿ per X verſus A. Nam duplus conatus centrifugus qui prævalere cœperat ſuper gravitatem, inde a W usque ad ∿, adhuc pergit prævalere ab ∿ usque ad X; ac proinde cum ab ∿ incipiat planeta quaſi de novo moveri, quippe prioribus impetibus contrariis mutuo ſublatis, prævalet etiam receſſus inde ab ∿, & recedendi velocitas continue creſcit usque ad X, ſed incrementum tamen ejus ſeu nova impreſſio decreſcit, donec iſta nova impreſſio ad recedendum, ſeu duplus conatus centrifugus, novæ impreſſioni ad recedendum ſeu gravitati iterum fit æqualis, nempe in X. Itaque in X eſt maxima recedendi velocitas. Et ex eo prævalet gravitas ſeu nova impreſſio accedendi, licet adhuc ſatis diu prævaleat totus recedendi impetus, ſeu ſumma omnium impreſſionum recedendi inde ab ∿ acquiſi-

acquisitarum, super totum impetum accedendi, inde ab ∿ denuo impressum. Sed cum tamen hic magis crescat quam ille, post X; tandem ei fit æqualis in A, ubi mutuo destruuntur, & recessus cessat, id est reditur ad Aphelium A. Atque ita omnibus impressionibus pristinis contrariarum æqualium compensatione consumtis, res redit ad statum primum; atque omnia de integro perpetuis lusibus repetuntur, donec longa dies perfecto temporis orbe, rerum constitutioni mutationem notabilem afferat.

(28) Habemus ergo *in motu Planetæ elliptico sex puncta inprimis notabilia*: quatuor quidem obvia, A & ∿ aphelii & perihelii. Itemque E & B mediæ distantiæ, (nam ⊙ B vel ⊙ E est dimidius axis major A ∿, adeoque medium arithmeticum inter ⊙ A maximam & ⊙ ∿ minimam digressionem) & duo a nobis addita, W & X extrema lateris recti W X ad axem in foco ⊙ ordinatim applicati, quæ sunt puncta maximæ velocitatis, illud W recedendi, hoc X accedendi (per 24). Ubi etiam (per 26) impetus a continua gravitatis impressione conceptus ab A usque ad W præcise est dimidius ejus, qui toto descensu ab A usque ad ∿ concipitur; similiter conceptus ab ∿ usque ad X, dimidius ejus qui concipitur ab ∿ usque ad A: & omnino impetus a gravitate concepti per A W, W ∿, ∿ X, X A sunt æquales.

(29) Tempus jam est, ut tradamus *causas, quæ speciem ellipseos Planetariæ definiunt*. Datur focus ellipseos ⊙, qui est locus Solis. Dato jam loco A ubi planetam Sol trahere incipit, velut maxima planetæ distantia, datur remotior ab hoc foco ellipseos vertex. Data porro ratione gravitatis seu virtutis, qua Sol planetam trahere incipit, ad conatum centrifugum, qua ibi circulatio planetam excutere & a Sole repellere nititur, hinc datur & latus rectum ellipseos principale W X, seu ordinatim applicata in foco ⊙. Nam ⊙ A data, est ad ⊙ W semilatus rectum, in ratione data attractionis Solaris ad duplum conatum centrifugum. Quod si jam quarta pars lateris recti detrahatur a maxima digressione data A⊙, erit residuum ad A⊙, ut A⊙ ad A ∿: datur ergo A ∿ major axis ellipseos, seu latus transversum. Datis ergo punctis ⊙, A, W vel X datur & ∿, atque hinc porro & C centrum ellipseos, & alter focus F, & axis transversus B E, adeoque ellipsis. Nec minus dantur omnia, si pro A initio daretur ∿.

(30) Ex

(30) Ex his simul patet, *quomodo ellipsis vel* qui sub ea continetur *circulus, non alia conica sectio, a planetis describatur*. Et *circulus* quidem oritur, cum attractio gravitatis & dupla vis centrifuga a circulatione orta ab initio attractionis sunt æquales; ita enim æquales manebunt, nulla existente causa accessus aut recessus, sed cum initio (vel in statu destructorum priorum impetuum contrariorum accedendi recedendive, qui initio æquivalet, hoc est in Aphelio vel Perihelio) attractio & duplus conatus centrifugus sunt inæquales, modo (per 25) conatus centrifugus simplex sit minor attractione, describitur *ellipsis*; & prævalente attractione, initium est Aphelium, sin prævaleat duplus conatus centrifugus, est Perihelium. Si conatus centrifugus simplex attractioni sit æqualis, *parabola*; si major, hyberbola orietur, cujus focus intra ipsam sit Sol. Quod si Planeta non gravitate sed levitate esset præditus, nec traheretur, sed repelleretur a Sole, *hyperbola opposita* oriretur, cujus nempe focus extra ipsam Sol esset.

Duo jam in hoc argumento potissimum præstanda supersunt, unum, ut explicemus quis motus ætheris planetas graves faciat, seu versus Solem pellat, & quidem in duplicata ratione viciniarum; deinde quæ sit causa comparationis motuum inter diversos planetas systematis ejusdem, ita ut tempora periodica sint in sesquiplicata ratione mediarum distantiarum, seu quod eodem redit, axium majorum ellipticorum: id est, distinctius explicari debet motus vorticis Solaris, seu ætheris, Systema unumquodque constituentis. Sed hæc cum altius repetenda sint, brevitati hujus Schediasmatis includi non possunt; & quid nobis consentaneum visum sit, rectius separatim exponetur.

DIONYSII PAPINI DESCRIPTIO TORCULA-ris, cujus in Actis Anni 1688 pag. 646 mentio facta fuit: Excerpta ex Ejusdem litteris ad — — Marburgi d. 23. Dec. A. 1688 exaratis.

Nullus dubito, quin uno jam vel altero abhinc mense transmissam a me acceperis descriptionem Machinæ, cujus beneficio fluviorum vires in loca valde remota transportari possunt multo commo-

commodius, quam per alia artificia hactenus in eundem finem inventa: adeo ut ex illa machina pateat utilitas tuborum æquabilium, quam ſupra aſſerueram. Illa autem quo poſſit ulterius confirmari, mitto jam deſcriptionem torcularis, cujus effectus ab atmoſphæræ gravitate pendet, quodque in praxi adeo commodum eſſe expertus ſum, ut parum dubitem, quin tractu temporis ad vulgares uſus quamplurimos revocetur, poſtquam ipſius præ cæteris præſtantia ſatis innotuerit. Huic machinæ inveniendæ occaſionem dederunt incommoda quædam, quibus vulgaria torcularia laborare mihi videbantur: in illis enim quæ cochlearum ope ſuccos exprimunt, frictionem maximo eſſe impedimento manifeſtiſſime patet, quandoquidem ad cochleas relaxandas eadem ferme opus eſt potentia, quæ ad ipſas conſtringendas requirebatur: dum autem laxantur cochleæ, nullam a materiis comprimendis patiuntur reſiſtentiam, ſed ſola partium frictio negotium faceſſit. In vincenda igitur illa frictione totæ ferme vires impenduntur, atque exigua ſolummodo pars ad optatum effectum producendum relinquitur. Aliud incommodum ex eo procedit, quod materiæ cochlearum ope compreſſæ brevi ab illa preſſione pro parte liberentur: dum enim ab illa potentia deprimuntur, & ſuccus exudat, remittitur tenſio partium machinæ elaſticarum, ac proinde ipſarum in comprimendo efficacia brevi decreſcit, niſi continuo novam ad conſtringendas cochleas vim adhibeamus, quod ſine magno temporis & laboris diſpendio non poteſt præſtari. Tertium vitium in vulgari methodo ex eo pendet, quod comprimendæ materiæ latæ nimis baſi innitantur: unde fit, ut potentia premens a pluribus baſis partibus ſuſtentata, minorem in ſingulas vim exerere queat. His igitur incommodis remedium ut ferrem, ſequentem machinam conſtruendam curavi, ſucceſſumque ipſius felicem ſum expertus.

AA Eſt Tubus per totam longitudinem æquabilis: cujus diameter in primo tentamine erat quinque ſolummodo digitorum: verum quo ampliores ejusmodi tubi parabuntur, eo majorem effectum producent. TAB. II. Fig. 2.

B Eſt piſtillum dicto tubo aptatum, & foramine CD pervium: foramen autem illud bacillo aliquo acuminato, ubi viſum fuerit, obturari aut aperiri poteſt.

E E Parva antlia, cujus longitudo est 10, diameter vero 2 ferme digitorum: antlia hæc mediante tubo F F F cum majori tubo A A communicat.

G G Pistillum cum manubrio aptatum antliæ E E.

Orificium tubi F F F in antlia E E obturari debet valva L, quæ aquam ex tubo in antliam admittat, eandem vero a regressu prohibeat: & pistillum G perforatum valvaque itidem ad H instructum est, prout in vulgaribus antliis suctoriis fieri solet ad aquam hauriendam. Patet igitur, quod antliam E E exercendo, aquam vel aerem ex majori tubo A A haurire licet, adeo ut pistillum B inferius a solita atmosphæræ pressione liberetur, sicque ab aere superiori parti incumbente deorsum propellatur pondere 300 librarum & amplius: in majoribus vero tubis vis illa increscet in ratione duplicata diametrorum; atque ita tubi non admodum grandes ingentium ponderum vices supplebunt: frictio autem pistilli, si machina sit affabre facta, parvo erit impedimento. Hanc autem potentiam ad exprimendos succos si adhibere velimus, apparatum ligneum, qualis in schemate exhibetur, satis commodum esse experientia comprobavit.

KK Est tabula insignis crassitiei horizontaliter sita, cujus duo extrema validis fulcris inniti debent.

I I Asser tabulæ K K infixus ad angulos rectos, ipsique firmissime inhærens.

L L Tabula asseri K K commissa & coagmentata, mediante valido axe, circa quem tota tabula potest circumrotari.

M Annulus ferreus alteri extremo tabulæ LL firmiter infixus.

NN Funis altero sui extremo pistillo B annexus, altero autem uncum ferreum alligatum amplectens, qui ferreum annulum M facillime potest subingredi, atque ita pistillum B cum tabula LL connectere.

O Foramen in tabula KK, ad transmittendum funem NN.

P P Quadratus tubus ligneus, ex quatuor validis asseribus confectus, ad continendas materias, ex quibus succum elicere cupimus: asserum autem latera non adeo exacte sibi invicem congruunt, quin facilem succis exitum permittant.

Q Q Est Pyramis lignea, cujus quadrata basis æqualis ferme est ori-

eſt orificio tubi PP, ut poſſit comprimere materias in dicto tubo contentas, dum a tabula LL ipſi incumbente deorſum truditur.

Facile jam eſt, vel ex ſola inſpectione, intelligere, quod ſi tubus PP plenus ſit materiis unde ſuccum exprimere libeat, ipſisque innitatur pyramis QQ, quæ ab incumbente tabula LL deorſum prematur; atq; alteri extremo dictæ tabulæ in M annectatur uncus N, qui mediante fune NN piſtillum B ſuſtinet: facile inquam patet, quod tota gravitas aeris, quæ piſtillum B deorſum premit, vim ſuam in materias tubo PP contentas exerat eo validius, quo major fuerit diſtantia QM, præ diſtantia QI: ſupponendo enim pondus atmoſphæræ in piſtillum B eſſe mille librarum, diſtantiam vero QM decuplam eſſe diſtantiæ QI, ſequitur pyramidem QQ deorſum premi pondere decies mille librarum. Patet igitur, hujus machinæ beneficio, quantamcunque preſſionem in tubum PP ab unico homine poſſe exeri, augendo nimirum diametrũ tubi AA, vel diſtantiam QM; aut minuendo cavitatem tubi PP, propter rationes ſupra allatas: patet præterea, quod ſupra memorata vulgarium torcularium incommoda nequaquam hic reperiantur: frictio enim erit prorſus contemnenda, parteſque machinæ uſu non atterentur, vis premens eadem perſeverabit, quanquam exercitor antliæ ad alia negotia ſe conferat, & in tubo PP etiam anguſto, magna materiarum quantitas poterit ſimul comprimi: tubi enim anguſtia longitudine compenſari poteſt. Quod ſi objiciatur, poſito tubo PP anguſto & longo, materias in dicto tubo contentas plurimum deprimi, unde fiat, ut principio operationis, dum materiæ ſucco turgent, piſtillum B ad fundum tubi A A ſæpius pertingat; tumque novæ materiæ tubo PP infra pyramidem QQ immittendæ ſint, ut dicta pyramis in legitima altitudine ſuſtineatur: ſæpius igitur rediterandam eſſe operationem: quod ſine labore & incommodo fieri nequeat. Reſpondeo, incommodum illud facile hic vitari: quia ſcilicet, dum materiæ ſucco plenæ & molles ſunt, unus homo extremitati M tabulæ LL incumbens ſufficit, ad maximam ſucci quantitatem eliciendam; neque opus eſt piſtilli B vim adhibere, niſi quum materiæ jam duriuſculæ multo minorem quam in principio depreſſionem pati poſſunt: atque ita pro certiſſimo habeo, quod quanquam major hic materiarum depreſſio fiat, nihilominus tamen ad rediterandas

N 2 randas

randas operationes minus requiratur temporis & laboris dispendium, quam in torcularibus cochlearum ope operantibus. Si quis præterea objecerit, quod vulgaria pondera annulo M appensa eosdem hic descriptos effectus possint producere; proindeque frustra recurri ad atmosphæræ pondus, quod requirit tubos admodum æquabiles, paratuque difficiles. Respondeo *primo*, propterea me in id collimare, ut ejusmodi tuborum facili negotio parandorum ars sedulo promoveatur. Respondeo *secundo*, in praxi vulgaria pondera multo plus facessere negotii: quotiescunq; enim novæ materiæ tubo PP immittendæ sunt, ad pyramidem QQ in legitima altitudine sustinendam, pondera omnia ab annulo M pendentia removere necesse est: ac deinde, quo pressio renovari possit, eadem illa omnia pondera dicto annulo iterum appendenda sunt: quod opus quantæ sit molis, nemo non videt. Verum, loco ponderum tubos aere vacuos si adhibeamus, prout in machina hic descripta factum est, sufficit ut aperiatur foramen C; unde fit, ut aere in cavitatem tubi AA penetrante, pistillum B una cum tabula LL facile possit sursum moveri, quantum satis ad pyramidem QQ ex tubo PP eximendam, novasque materias sive asserculos, prout res postulat, dicto tubo immittendos: tum iis rursus imponitur pyramis QQ brevique iterum deprimitur, dum aerem vel aquam ex inferiori parte tubi AA per antliam EE extrahimus, obturato prius foramine C.

Prolixitatis vitandæ gratia omitto hic cautelas varias, quæ tum in constructione, tum in usu ejusmodi machinæ adhibendæ sunt: quicunque enim venient ad praxin, omnia illa, duce experientia, facile reperient, & forsan meliora quam quæ ipsos monere queam: ipsa igitur, brevitatis studio, omittere consultum existimavi, quum præsertim quæ jam dicta sunt, sufficiant ad confirmandam veritatem asserti, mense Septemb. propositi, quod nimirum tubi prægrandes & æquabiles, si levi negotio conficerentur, non contemnendos in vita humana usus obtinere possint; etiamsi pulvis pyrius ad ipsos vacuandos non adhibeatur. Neque descriptionem hanc publici juris facere vereor: quandoquidem ejusmodi machina *Societati Regiæ* Londini exhibita, a tam illustri cœtu benigne accepta & approbata fuit; atque ipse, satis longo usu, ejus utilitates expertus sum. Spero tamen, ejusmodi tuborum supra vulgaria pondera præstantiam longe majorem demonstratum iri in aliis casibus

ſibus, ubi velocitas potiſſimum requiritur: prout fit in machina a Domino *Perrault* inventa, atque a Dn. *Blondel* edita, in ultimo capite libri, quem Gallice conſcripſit de projiciendis globis ferreis, pulvere pyrio repletis. Verum de his forſan alias.

D. JOHANNIS BOHN/ *ANAT. ET CHIR. Prof. Publ. de Renunciatione Vulnerum, ſeu, Vulnerum lethalium Examen, exponens horum formalitatem & cauſas, tam in genere, quam in ſpecie, ac per ſingulas corporis partes.*

Lipſiæ, apud Joh. Frid. Gleditſch, A. 1689, in 8.

TRes circiter annorum decades effluxerunt, ex quo partium corpus humanum coagmentantium textura multum a ſedula recentiorum induſtria fuit illuſtrata. Secundum horum nihilominus hypotheſes qui utiliſſimam de Vulnerum lethalitate materiam ſcripto publico dilucidarit, hactenus, quod quidem ſciamus, inventus eſt nemo. Primus proin Autor noſter celeberrimus jure cenſendus, qui ſolida Anatomiæ ſcientia excellens id negotii ſub duplici hic ſectione accurate ſiſtit expeditum, ita tamen, ut in Præfatione ad Lectorem de conatu ejusmodi inſigni aliorum in morem glorietur nequaquam, ſed cum *Bernhardo Suevo* quondam, dum Tractatum de Inſpectione vulnerum lethalium & ſanabilium Marpurgi A. 1629 emitteret, eo unice collimare ſe expreſſe fateatur, ut lucubrationum præſentium imperfectionem atque difficultatem aliis judicio, doctrina & experientia magis pollentibus, emendandam ac ſolvendam commendet. Sectione prima de Renunciatione vulnerum in genere agens, prout poſt vulnerati obitum a Medico concinnanda expetitur, vulgoque vulneris Inſpectio audit, doctrinam ejus haud prognoſticæ Medicinæ parti accenſendam eſſe, ſed Anatomiæ practicæ ſive pathologicæ ſpecimen videri aſſerit, utpote quo non de eventu futuro, ſed de facto, qualisnā plaga, num ſanabilis num inſanabilis extiterit, per autopſiam decernatur. Hæc vero provincia cum magnæ ſemper difficultati ſit expoſita, enormesq; ſæpius ab inſpectoribus vulnerū errores committantur, non immerito, quænam

personæ ad inspicienda & dijudicanda vulnera debeant admitti, primo omnium dispicit. Scilicet quamvis a Legisperitis modo Medici, modo Chirurgi hic nominentur, imo modo solis his, modo tonsoribus ac balneatoribus quoque, ubi in rebus videlicet Anatomico-Chirurgicis versatissimi fuerint, adhibeatur fides, in hypothesi tamen Autor rem considerans, ambiguus oppido hæret, an Saxonia nostra aut Germania ejusmodi vel Chirurgorum vel Barbitonsorum multos alat, qui corporis humani notitiam, muneri inspectionis gerendo adæquatam & sufficientem, omnino calleant; unde Medico a Chirurgo forsan dissentiente, ab illius magis, quam hujus, ceu minus periti, standum partibus esse. Vulneris vero hinc nomine omnem a violentia externa solidarum quarumvis partium læsionem indigitat, a Jureconsultis quibusdam Percussionis potius notione insignitam, lethalem tunc revera, si mortis insequentis causa extiterit, & quia non sanabilis mortem intulerit, pronunciandam. Etenim vulnus lethale neutiquam confundendum cum periculoso, quale interdũ exile quoq; & superficiale satis deprehendatur, sed attendi oportere ad distinctionem Medicis pariter atque Jureconsultis solennem, inter vulnus per se & per accidens lethale, quorum illud sine alterius causæ interventu mortem immediate producat, hoc vero ut tale sive immediate nulli vulneratorum vitam adimat. Prius equidem vulnus sive lethale per se denuo observari vel de necessitate sive simpliciter tale, omnem medelam detrectans ac semper brevique interimens, vel non necessario sed ut plurimum lethale, difficilem ut plurimum curationem admittens, non tamen semper, aut tardius demum interficiens. Nihilominus cum differentiæ hujus, in qua per se & simpliciter lethale vulgo confundi solent, rationem vix habeant Legislatores, ac vulnus ut plurimum lethale revera lethale dicendum esse demonstretur, consultius forsan fore, in Relationibus Anatomico-Chirurgicis distinctione hac, defensoribus homicidarum minus conscientiosis ansam saltem disceptandi suggerente, penitus supersedere, ac solummodo, an vulnus per se, an per accidens mortale, enunciare. Ast quo de vulneris lethalis per se ætiologia insuper constet, percussiones mortiferas per se appellat quascunque, quæ fluidorum universalium, sanguinis & lymphæ, solidas partes vitalitate immediate actuantium, motum intestinum & loca-

localem, aut alterutrum, aut utrumq;, eousq; ut vita totius extinguatur, perturbant. Classem primam Vulnera organis aut respirationi, aut Chyli productioni, exaltationi ac dispensationi inservientibus inflicta respicere; ad alteram vero classem plagas tam cordis cum canali sanguinis & lymphæ, quam cerebri & generis nervosi pertinere; sub tertia denique classe quorumvis totius corporis organorum continuitatem solutam comprehendi, cujus occasione fluida, nutritia non minus quam excrementitia, extra receptacula & canales suos in cavitatem sibi incongruam elabantur, ibique congesta, aut mole, aut putredine exagitationi sanguinis vitali ejusque circulationi moras nectant. Quorum vulnerum a non lethalibus aut per accidens talibus pressius dignoscendorum gratia, circumstantias porro eorundem, tam intrinsecas, quam extrinsecas nervose perpendit, observationibusque corroborat; intrinsecas vocans, quæ ipsam plagam partemque affectam spectant, scilicet (1) hujus texturam, situm & actionem, (2) vulneris magnitudinem, (3) ejusdem qualitatem, ac (4) figuram; extrinsecas vero, quæ extra percussionem hujusq; subjectum immediatum sunt, & quidem iterum vel necessarias, dispositionem videlicet corporis nativam & ætatem, morbos antecedaneos & combinatos, ac loci atmosphæram; vel contingentes, nempe symptomata, ægri diætam, & Chirurgi seu Medici peritiam ac solertiam diversam. Tandem ex circumstantiis his tanquam lethalitatis totidem & non lethalitatis causis sufficienter deductis tria elicit atque explicat porismata: (1) videlicet Inspectionem vulneris ad judicii ejusmodi rationalis concinnationem necessarium ac primarium esse instrumentum, eo quod pro lethalitate inferenda, nec mortis a percussione celeritas, nec traditas, nec instrumenti lædentis conditio, nec symptomata sola sufficiant, sed potius partis læsæ conditio sectione sit indaganda; (2) Operationem hanc in Renunciationibus rite condendis non esse instrumentum solitarium, cum & circumstantiæ, quæ circa vulnerationem & vulneratum contigerunt, debeant attendi; (3) nec sufficienter, nec pro rei exigentia, hanc de vulnerum Renunciationibus doctrinam hactenus fuisse excultam & traditam, & proin emendatione indigere: nihil namq; aut parum hactenus de lethalitate vel nervorum, vel vasorum lymphaticorum & lacteorum fuisse edoctum, ex vulne-

rum

rum autem lethalium classe præter rationem quædam exclusa, e. g. vulnera thoracem penetrantia, costarum fracturæ, ac spinalis medullæ partis inferioris vulnera; e diverso vulnera, v. g. cuncta vesicæ fundi, lethalia pronunciata, quæ tamen minus talia sunt, imo partis, quæ corpori humano non inexistit, qualem rete mirabile in mirabili ejusmodi Anatomicorum cerebro saltem effictum haberi. Atque fundamentis sic circa Renunciationes vulnerum recte adornandis solide jactis, ad secundam dilabitur Sectionem, qua de Renunciatione vulnerum in specie solicitus, regulas hactenus datas generaliores membris singulis eorumque læsionibus rite applicat, initium Cap. I. de Capitis, Spinæ, & Nervorum vulneribus lethalibus; progressum Cap. II. de Colli, Cap. III. de Thoracis, Cap. IV de Abdominis percussionibus lethalibus; finem denique Appendice de Artuum plagis lethalibus faciens. Quæ tamen innuisse magis, quam recensuisse prolixitatis evitandæ ergo, sufficiat, imprimis cum ex jam dictis satis hariolari jamdum detur, quanto judicio, quantaque experientia singula hæc ab Autore sagacissimo pertractata sint, adeo ut Lectorum neminem, nisi præjudiciis forsan occæcatum, librum ipsum consuluisse unquam pœnitere valeat.

JOH. JACOBI VVALDSCHMID INSTITUTIONES Medicinæ Rationalis, recentiorum theoriæ & praxi accommodatæ.

Marburgi, apud Frid. Knoch, 1688, in 12.

QUam A. 1682 in disputationibus quinque, Lugdunensibus etiam postea Batavorum typis A. 1685 exscriptis, sub *Fundamentorum Medicinæ* titulo, orbi literato delibandam exhibuit doctrinam Clarissimus Autor, eam curatius, auctius & limatius denuo profitetur. Etenim cum restaurandæ & corrigendæ Medicinæ sedulo incumbat, repurgatas a Veterum hypothesibus Institutiones, & brevem, at sufficientem tyroni viam tradere satagit. Hujus instituti ratione corpuscularem philosophiam, inprimis quam Renatus Cartesius explicuit, amplectitur. Siquidem phænomenorum rationem cum illis a corporum diversa magnitudine, figura, situ & motu derivat. In parte prima, quam Physiologicam inscripsit, medicinam & scientiam

entiam & artem appellat, quod Medici fit, cum morborum causas nosse, tum remedia & præparare & præparata scienter atque artificiose applicare. Postea & elementa cum nominato superius Philosopho eadem statuit, & chylificationis ætiologiam maxime ab æthere, seu materia mundi subtilissima, salivam, lympham gastricam, & alimenta, præsertim inter se differentia, ad fermentationem disponente deducit. Eidem acceptum refert Cartesio, quomodo sensus fiant, & temperamentorum diversitates rectius sint explicandæ: ut proin œconomiæ animalis integritas, missis antiquorum facultatibus, calido innato, humido radicali &c. ex apta partium fluidarum corporis nostri temperie & conformi mixtione, atque solidarum justa conformatione dependeat. Iisdem fundamentis mechanicis in parte secunda pathologica morborum & symptomatum causas & rationes, atque signorum cum diagnosticorum, tum prognosticorum in tertia parte notitiam superstruit. Hinc postquam in quarta varias omnibus ætatibus diætæ regulas, & quænam alimenta, atque ob quas particulas nutritioni nostræ convenientes vel inimicas, prosint vel noceant, præscripsisset, methodum medendi in quinta & ultima parte suppeditat. Itaque post regulas generales, in specie quæ remedia, & quomodo indicationibus suis satisfaciant, pariterque qua ratione componantur, mechanicis itidem rationibus ingeniose edisserit.

SACRA HERBA, SEU NOBILIS SALVIA, JUXTA METHODUM & leges Acad. Nat. Curios. descripta a Christiano Francisco Paulini.

Auguſt. Vindel. ap. Laurent. Kroniger, & Theophili Gœbelii hæredes 1688. in 8.

ADeo intempestivus quosdam exoticorum remediorum amor tenet, ut ea, quæ sub oculis posita, nec minoris efficaciæ sunt, negligant, at si tulisset India, aut alia miraculorum ferax commendatrixq; terra, lustrata perspectaque haberent. Idcirco melioribus exemplis collegarum quorundam Illustris *Academiæ Naturæ Curiosorum* adductus Clarissimus Auctor, herbæ indigenæ operam & oleum impendere decrevit. Hinc *salviam* elegit, herbam licet vulgarem & omnibus tritam, nihilominus exteris plantis virtutibus haud secundam. Itaque eandem, suam Academiæ N. C. in qua Arionis nomine claret, probaturus industriam, normæ ab illa præ-

ſcriptæ ſubmittit. Proin in ſect. I. quam philologico-phyſiologicam dixit, diverſis capitibus nomina, deſcriptionem, differentias, natales, culturam, qualitates, atque præparata, tum aliorum relatione uſus, tum propriæ experientiæ confiſus enumerat. In ſecunda, quæ medico-chymica audit, per tres partes quomodo diverſis humani corporis affectibus & ſupremi, & medii, & infimi ventris medeatur, exponit. Tertia ſectio, quam pharmaceutico-therapeuticam appellat, qua ratione tam in febribus, quam diverſis affectibus externis in uſum trahatur, recenſet. In omnibus hiſce diverſas Practicorum formulas, quibus ſalvia aut baſin, aut primariam ingredientium partem conſtituit, quandoque etiam proprias, aut ab aliis ſibi relatas obſervationes, collectas & congeſtas operoſe ſatis exhibet. Quibus omnibus ſectio quarta, culinari uſu commendato, colophonem imponit.

DE ROMANA REPUBLICA, SIVE DE RE Militari & Civili Romanorum, ad explicandos Scriptores antiquos, auctore Petro Joſepho Cantelio, Soc. Jeſ. Editio ſecunda, priori correctior, quamplurimis æneis figuris ornata.

Ultrajecti, apud Fr. Halma, 1688 in 12.

ROmanum populum & imperii amplitudine, & rerum geſtarum gloria cæteris cunctis gentibus ſuperiorem fuiſſe, in confeſſo eſt omnibus, qui rerum & literarum monumenta non ignorant. Quicquid enim usquam Fortuna validum conſtituit, aut ſplendore colluſtravit; quicquid & virtus ac diſciplina potuit; id Romana in ſe Reſpublica, tanquam compendium terrarum orbis & theatrum virtutis, non ad intuendum modo, verum etiam ad imitandum omnibus proponit, ut hinc præcepta petant, qui civitates & provincias regunt: exempla ſumant, qui exercitibus præfecti ſunt: & literarum quoque cultores ex juris Romani & rituum cognitione doctrinam ſuam auctiorem politioremque efficiant. Cum itaque tanti ſit notitia Romanæ Reipublicæ; bene omnino ſtudioſæ juventuti vir clariſſimus *Petrus Joſephus Cantelius* conſuluit, dum quæ diſper-

dispersa multis voluminibus erant, in brevem summam ita ordinatim collegit, ut quicquid ferme vel domi vel militiæ Romani insigne ab Urbe condita ad Augusti tempora habuerunt, in planissima quasi tabula pateret. Quartus quidem nunc annus agitur, ex quo hic liber Lutetiæ in lucem prodiit, qui vero ita rarus apud exteros fuit, ut Ultrajectinus Typographus, quod e re literaria est, fecisse omnino videatur, cum novam editionem, a doctissimo viro emendatam, elegantibusque exornatam figuris, suo sumtu procuravit. Divisus liber in duas partes, priore militares res, altera civiles Romanorum comprehendit. Utraque pars in sex Dissertationes dispensatur, & singulæ harum in minores sectiones sive capita. Prioris partis prima Dissertatio *bella* Romanorum ab origine gentis ad pugnam usque Actiacam enarrat: secunda *prælia*, præcipuum in bellis momentum, à causis, locis, ducibus, eventu distinctius definit: tertia *mortes* habet illustrium tum Romanorum, tum acie cæsorum hostium aut captorum, easque certis periodis dinumerat: quarta *provincias* Romanas recenset, ipsamque Italiam in regiones describit: quinta Romanorum diversa *jura*; ut Romanum, Latinum, Italicum, provinciale, municipale, coloniarum, præfecturarum, & fœderatarum urbium declarat: sexta denique in *militiam* se propius infundit, & delectus, exercitus, duces, ordines, aciem, arma, signa, stipendia, præmia, & in his quoq; triumphos exponit, prætermissis tantum (qua causa, nescimus) poliorceticis rebus, & ad navalem pugnam pertinentibus. Posterioris partis Dissertatione prima Romanorum *Nomina*, prænomina, cognomina, item populi *Ordines* Senatorius, Equestris, Plebejus, cum *Classibus*, *Centuriis* & *Comitiis* explicantur: secunda *Magistratus* a Consulatu ad Quæsturam: tertia *Sacerdotia* Pontificum, Augurum, Flaminum, Vestalium: quarta *Familiæ* & *Gentes*; quæ nominatim, saltem præcipuæ illarum, enumerantur: quinta rationes temporum, anni, mensis, diei, feriarum explanantur: sexta *vestimentorum* genera, *convivandi* ritus, *ludi*, *spectacula*, *theatra*, *amphitheatra*, & tandem *funera* & exequiæ illustrantur. Hæc ut planius cognosci & intelligi possint, altera hac editione ex Onuphrii Panvinii & Justi Lipsii Operibus elegantes *figuræ* atque *tabulæ* adjectæ sunt, quibus tum ipsa Urbs, gentium domina, tum ritus & consuetudines illius ante oculos proponuntur.

 EFFETS

EFFETS DE LA FORCE DE LA CONTIGUIté des corps, par lesquelles on répond aux experiences de la crainte du Vuide, & à celles de la pesanteur de l'air, par le R. P. Cherubin d'Orleans, Religieux Capucin. i. e.

Effectus virtutis contiguitatis corporum, quibus respondetur experimentis fugæ vacui & gravitatis aeris, per R. P. Cherubinum Aurelianensem, Capucinum.

Parisiis, apud Lud. Lucas, 1688. in 12.

QUemadmodum antiquis ædibus nova nonnunquam præstrui solent vestibula, ut facilius emtorem reperiant; ita veteribus quoque libris novos præfigi titulos a bibliopolis non est adeo insolens, idque vel præsentis scripti docet inspectio. Quamvis enim titulus octogesimum octavum hujus seculi annum exhibeat, ipsius tamen impressio jam anno 1679 absoluta fuit, meritoque proinde, tanquam initium Actorum nostrorum antegressum, a nobis omittendum videbatur. Sed cum ejusdem nullum ad nos exemplum nisi nunc demum pervenerit, neque in Diario Eruditorum Parisiensi, quantum recordamur, ulla ejus facta fuerit mentio; & ipsum tamen non solum vacui metum jam satis explosum ab aliis, sed etiam doctrinam de pondere & elasticitate aeris, quæ a plerisque ceu demonstrata assumitur, operose impugnet, paucis indicandum duximus, quo ipsius argumenta ad rationis & experientiæ obrussam examinari possint; quamvis dissimulandum non sit, potissimam eorum partem in scriptis celeberrimi Sturmii & in illustris Boylei contra Linum defensione jam refutatam haberi. Convenit enim, præter argumenta quædam, Cherubinus cum Lino in hoc, quod putat Mercurium ex barometri summitate suspendi a quadam substantia; in eo diversus, quod, cum Linus funiculum mercurialem confinxerit, ipse subtiles particulas ex mercurio expressas & tensionis maximæ capaces substituat. Cum enim omnia in hoc mundo contigua sint, eas esse hujus contiguitatis vires putat, ut corporum separationem prohibeat, ita ut si corpus aliquod majori vi abripiatur, nec alterum

statim

ſtatim in ejus locum ſuccedere poſſit, partes ſaltem ipſius ſubtiliores alteri contiguæ maneant,& tenſionem ſatis magnam patiantur. Fecit vero tres ſui libri partes. In *prima* illarum, de mundi plenitudine & hinc oriunda contiguitate ejusque viribus agit,negato aeris elatere pariter atque pondere, quod tantum abeſt ut concedat, ut potius putet aerem ſuſpendi ex æthere, terramque deinde ex aere eſſe pendulam; porro naturam corporum liquidorum eorumque conſiſtentiam conſiderat,quippe cum ex hujus varietate deducenda veniat diverſa aquæ & mercurii in tubis iisdem altitudo. In parte *ſecunda* defendere attractionis motum & argumenta in contrarium allata elidere nititur. In *tertia* conſequentias nonnullas examini ſubjicit, quas defenſores gravitatis aeris deduxerant ex effectibus illi adſcriptis in ſuis experientiis, easque ex illis cauſis non pendere, quibus attribuantur, probare laborat. Sequuntur appendicis loco tres diſſertatiunculæ, quarum ultima apologetica eſt pro libro Auctoris de viſione perfecta, non rite, ut putat, in Diario Pariſienſi recenſito. Secunda pro impenetrabilitate vitri pugnat, etiam contra Domini Boyle experimenta, quippe in quibus metalla calcinata non ab igne, ſed ab aere, cum vaſa aperirentur, adlabente gravitatis augmentum ſumſerint. Quæ reliqua eſt diſſertatio circa lacrymas vitri verſatur aſſerendo, nequaquam earum confractionem pendere ab aeris externi irruptione, ſed ex eo, quod ſpiritus ſalis illius, ex quo vitrum componitur, verſus interiora valide compreſſus ab aquæ frigore,maxima vi erumpit, atque infinitis ſuis cuneolis compagem lacrymæ, quoad partes interiores jam ſatis ſolutam, penitus disjicit.

LA MANIERE DE BIEN PENSER DANS LES Ouvrages d' Eſprit. i. e.

Ratio bene cogitandi in Operibus Ingenii.

Amſtelodami, apud Abrahamum Wolfgang, 1688, in 12.

TItulum elegantiſſimi hujus opuſculi inſpicienti, dubium videri poteſt, ad Logicam, an Rhetoricam referri illud debeat. Ad utramq; vero reduci non prohibet Præfationis Auctor, modo Logicam ſpinarum expertem minimeque aridam aut abſtractam, Rhe-

toricam vero facilem, & exempla potius quam præcepta suggerentem nuncupaveris. Quicquid vero ejus sit, dubitandum nequaquam est, quin tum ad judicium rectum ac ingeniosum de rebus formandum, quod ad secundam mentis operationem in scholis Logicorum pertinet, salubria monita hauriri ex libello hoc possint; tum quod ad Rhetoricam disciplinam propius accedit, addisci ex eo valeat, quomodo in componenda historia, condendo poemate, ac cujuscunque generis orationibus concinnandis (hæc enim Auctori sunt opera ingenii, *Ouvrages d'Esprit*) cogitationibus moderari debeamus, ut fœtus ingenii non deformis aut ridiculus, sed venustus elegansque prodeat. Hunc nempe in finem ex optimis quibusque tum veteribus Augustei ævi, tum recentioribus, Gallis, Italis, Hispanis scriptoribus, non selectissima tantum loca producuntur, quæ ingenium sapiunt, Musarumque cunctarum ac Gratiarum applausum merentur, sed notantur etiam, & adductis exemplis commonstrantur vitia cogitationum & defectus, quorum nec doctissimi cætera viri fuerunt immunes.

p. 1. sqq. Quatuor *Dialogis* libellus absolvitur, quorum *primo* omnium mentis conceptuum fundamentum *veritas* constituitur, sed ita ut ea salva, suus etiam fictioni Poeticæ, Æquivocationi, Hyperbolæ, locus relinquatur. Itaque quantum inter fictionem, quæ naturam imitatur & quodammodo perficit, & falsitatem intersit, explicatur: orbem nempe quendam fabulosum seu Poeticum concipi debere, meris imaginationibus superstructum, in quo Parnassus, Apollo, Musæ, Pegasus, similiaq; alia nihil sint, nisi chimæræ; ast illo systemate semel supposito, quicquid in eo finxeris, pro falso minime reputari ab eruditis. Ita ut per fabulas ipsas ingeniose & cum audientium oblectamento veritas iis insinuetur; ut metaphora velum quidem sit, sed transparens, nec rei, quam obvelat, conspectum prohibens; ut per æquivocationes, tanquam grata, ut Seneca vocat, sophismata verum dicatur; ut hyperbole, siquidem dicente Quintiliano, ultra fidem at non ultra modum sit, imo & ironia cum veritate consistat, accurate declaratur. Obiter innuit Auctor, quam diversa hominum etiam doctorum soleant esse de ali-
49. orum cogitatis judicia, idque exemplo docet non ineleganti. *Timæus* nempe (secundum Ciceronem, aut secundum Plutarchum

Hege-

Hegesias Magnesius) *cum in historia dixisset, qua nocte natus Alexander M. esset, eadem Diana Ephesia templum deflagravisse; adjunxerat, minime id esse mirandum, quod Diana, cum in partu Olympiadis adesse voluisset, absfuisset domo.* Id quod veluti concinne dictum laudavit *Cicero* l. 2 de Nat. Deorum; damnavit ut ineptum *Plutarchus* in Alexandri vita: etsi hic eo ipso loco, quo Hegesiam reprehendere sustinuit, censuram videri potest acriorem promeritus, dum Hegesiæ declamationem adeo dixit frigidam, ut incendio templi exstinguendo sufficere potuisset; monstrosa utique & indigna Plutarcho hyperbole.

Dialogo secundo, præsupposita jam cogitationum veritate, de iis agitur, quæ decus illis ac ornamentum conciliant. Eorum vero tria constituuntur genera, 1. sublimitas & magnificentia. 2. jucunditas. 3. delicium. (*la sublimité, l' agrement, la delicatesse.*) Et *sublimitas* quidem primo loco laudatur, sed ea quæ materiæ subjectæ respondeat: quod ineptum æque sit de rebus parvi momenti sublimiter, ac de grandibus tenuiter & mediocriter cogitare. Inter exempla alia commendatur illud *Jani Vitalis* epigramma, ad peregrinatorem quendam, qui Romam perlustrabat, directum: pag. 89.

Aspice murorum moles præruptaque saxa,
Obrutaque horrenti vasta theatra situ.
Hæc sunt Roma: viden', velut ipsa cadavera tanta
Urbis adhuc spirent imperiosa minas.

Jucunditatem varia pariunt, e. g. si figurata dictio propriæ misceatur, velut in epigrammate alio, quo Dux Mommorantius, quem A. 1632 Parisiis ante statuam marmoream Henrici IV, filius hujus Ludovicus XIII capite plecti inexorabilis curaverat, ita loquens 133.
sistitur:

Ante Patris statuam Nati implacabilis ira
Occubui, indigna morte manuque cadens.
Illorum ingemuit neuter mea fata videndo:
Ora Patris, Nati pectora marmor erant.

Etsi utplurimum gratiam orationi sola præstat ingenuitas (*naïveté*) nil habens affectati, qualem Auctor deprehendisse se in Epigrammatibus Græcis memorat, quæ in Anthologia collecta sunt, sal quidem Martialis non habentia, nec insipida tamen. Denique

delicium

delicium etiam, cujus quidem notionem exprimi vix posse Auctor non dissimulat, exemplis quamplurimis explicatur, quæ inter & illud est, ex Anthologiæ jamjam memoratæ libro 7. depromptum,
pag. 188. quo Dercylin quandam ingeniose Poeta laudat:

Τέσσαρες αἱ Χάριτες, Παφίαι δύο καὶ δέκα Μοῦσαι.
Δερκυλὶς ἐν πάσαις Μοῦσα, Χάρις, Παφίη.

Qualis fere cogitatio cuidam etiam nostri seculi poetæ obtigit, hisce versiculis simulacro Comitissæ de la Suze, quo curru per aerem vecta repræsentabatur, subscriptis:

189. *Quæ Dea sublimi rapitur per inania curru,*
An Juno, an Pallas, an Venus ipsa venit?
Si genus inspicias, Juno; si scripta, Minerva:
Si spectes oculos, Mater Amoris erit.

Ubi denuo Auctor & solicite monet, cogitationes, tametsi sublimes, venustas, delicatas, laudem tamen non mereri, nisi simul naturali quadam pulchritudine exurgant; omnemque adeo abesse jubet affectationem, omnium in eloquentia vitiorum pessimum.

Dialogo III. de excessu in quovis cogitationum genere vitando tractatur. Nam & hic Gellii illud locum habet: *unumquodque genus cum ornatur caste pudiceque, fit illustrius; cum fucatur & prælinitur, fit præstigiosum.* (Noct. Att. l. 17. c. 14.) Itaque in *sublimitate* peccatur, si supra modum elata sit oratio, ut dum granditatem ipsam quasi superare gestit, in nugas evadat. Ubi quatuor, inter exempla alia, exhibentur epigrammata, quibus Regium, quod Lutetiæ est palatium (Lu-
266. param vocant) mire extollitur. Primum hoc est:

Nec tales Roma vidit sibi Jupiter ædes:
Nec talem coluit Roma superba Jovem.

Alterum:

Attoniti tantæ molis novitate nepotes
Mirari cessent: Regia Solis erat.

Tertium:

Pande fores populis sublimis Lupara: non est
Terrarum imperio dignior ulla domus.

Quartum denique:

Quid valeat bello Ludoix, centum oppida monstrant:
Monstrat quid valeat pace vel una domus.

Horum

Horum duo priora displicent Auctori, tanquam tumida nimis; probantur vero duo posteriora, quod modum servent. Sed & circa *jucunditatem* excedi posse, etsi id videatur paradoxum, exemplis demonstratur, Gallicorum inprimis & Italorum poetarum, quibus hoc in genere, ut circa sublimitatem Hispanis, peccare familiare est. Elegantis, sed moderatæ allegoriæ exemplum præbent versiculi, cum Maphæus Barberinus Pontifex Romanus factus esset, Urbanus VIII exin dictus, vulgati, quibus de futuro ipsius regimine Gallus, Hispanus, Italus diversa sic ominantur, ut ad apes, quas in insignibus Barberina Domus habet, singuli alludant. Ita enim Gallus: Pag. 289.

Gallis mella dabunt, Hispanis spicula figent:

Hispanus vero:

Spicula si figent, emorientur Apes.

Italus denique:

Mella dabunt cunctis, nulli sua spicula figent:
Spicula nam Princeps figere nescit Apum.

Tandem & in affectandis cogitationum *deliciis* quantum peccetur sæpe, exemplis declaratur, Taciti inter alia, qui dum politicis animadversionibus, quas historiæ passim immiscet, præter modum indulget, & ex suo ingenio Principum consilia metitur, tædium subinde lectori adfert affectatæ sapientiæ: quo nomine Varillasius 309.
etiam haud obscure notatur.

Dialogo quarto de perspicuitate, prima illa secundum Quintilianum eloquentiæ virtute agitur, qua destituta sententia, etsi cæteris ornamentis omnibus nitescat, merito exploditur. Videas hic obscurarum cogitationum exempla bene multa; præ cæteris vero *Balthasarem Gracianum*, celebrem Hispanum scriptorem, de cujus operibus in Actis A. 1685 mense Februario pag. 89. quædam dicta sunt, nec minus interpretem ejus *Amelotum Hussæum*, cujus versio Gallica libri de Viro Aulico ipsum archetypum obscuritate superare dicitur, hujus vitii redargui.

HISTOIRE CRITIQUE DU TEXTE DU NOUveau Testament. i. e.

Historia Critica textus Novi Testamenti, qua veritas monumentorum, quibus superstructa est Christiana religio, statuminatur; opera *Richardi Simonis* Presbyteri.

Roterodami, apud Regnerum Leerium, 1689, in 4.

PRodiit tandem diu expectatæ *HISTORIÆ CRITICÆ N.T. liber primus*, quem, (nisi opinio nostra nos fallit,) *secundus* propediem excipiet. Citius utrumque procul dubio edidisset celeberrimus Auctor, si per *Carolum Mariam de Veil*, *Ezechielem Spanhemium*, *Isaacum Vossium*, *Johannem Clericum*, *Thomam Smithum*, aliosque non paucos adversarios licuisset; utpote quorum objectionibus, toto illo decennio ab editione Historiæ Criticæ V. T. hactenus elapso, respondendum fuit; quas doctissimorum virorum controversias latius recensuimus A. 1685. p. 2. A. 1686. p. 101. 104. 106. 432. 439. A. 1687. p. 92. 217. 363. 367. Nec parum temporis impensum *operibus* aliis, quibus interea bene de re literaria meritus est, quæque ad Acta A. 1683. p. 1[illegible] 137. A. 1684. p. 490. A. 1688. p. 132. retulimus.

Absolvitur Opus præsens capitibus omnino *triginta tribus*, quorum contenta ordine enarrabimus, idque paulo prolixius, cum e Nostratibus complures Gallicæ linguæ imperitos moram Latinæ versionis, (quam in Belgio aliquando confectum iri, nulli ambigimus,) ægre laturos, plenioremq; adeo, antequam illa prodeat, libri notitiam habere non leviter desideraturos esse, persuasissimi simus.

Cap. I. Auspicatur autem Auctor Criticam suam a vindiciis veritatis librorum N. T. contra veteres hæreticos. Hanc non ex interno aliquo Spiritus Sancti testimonio, quod cum Arminianis & Socinianis vehementer habet ludibrio, sed solo ecclesiæ testimonio externo, (non tam ob ecclesiæ auctoritatem, quam ob actorum veterum, queis testimonium de γνησιότητι libri sacri innititur, recipien-
Cap. II. do,) cognosci contendit. Libris N. T. titulos suos non abs auctoribus Θεοπνεύστοις ipsismet, verum a primitiva ecclesia, cui de auctoribus librorum optime constabat, præfixos esse, auctoritate
Cap. III. Chrysostomi probat. Recenset supposititia evangelia, acta & itineraria

neraria apostolorum, apocalypses ac hujus furfuris alia. Archetypa librorum N. T. in ecclesiis nonnullis (vel Tertulliani ipsius ævo) asservata fuisse, cum Rigaltio adversus Pamelium, Waltonum, Grotium, Huetium, Clericum, adhuedum negat, *Authenticas*que adeo *literas* a Tertulliano de Præscript. c. 36. memoratas, Græca esse dicit apographa, quæ (respectu ad versionem Latinam in ecclesiis Africanis receptam, habito) *authentica* vocari mereantur eodem jure, quo Hieronymus Ebræos V. T. codices, (utut non αὐτογράφυς,) *Ebraicam veritatem* passim, & *Authenticos libros* commentario in *Isai. LXIV.* appellat. Confert hac fini parallelum Tertulliani locum in *de Monogamia* c. XI: *Sciamus plane non esse sic in Græco authentico.* Sublestæ fidei, aut saltem ex errore populari ortas esse arbitratur traditiones Veterum, de Evangelio Matthæi Ebraico archetypo a Pantæno apud Æthiopes reperto, de ejusdem apographo manu Barnabæ apostoli exarato, ac ab Anthymo Constantiensi episcopo ex Barnabæ apud Cyprios sepulchro in lucem protracto, de autographo denique Johannis Ephesi tempore Petri Alexandrini episcopi extante. Cap. IV.

His generatim dictis, progreditur ad singulos N. T. libros; & primo quidem universæ Antiquitati, *Matthæi* Evangelium *Ebraice* (h. e. Syro-Chaldaice) primitus conscriptum, ac dein ab incerto interprete Græce redditum esse affirmanti, fidem absque contradictione haberi cupit, & ad singulas *Erasmi*, *Cajetani*, *Flacii*, *Chamierii* objectiones responsionis aliquid reponit. Frustra ad *providentiam divinam* & *primitivæ ecclesiæ pietatem* recurri monet, quasi neutra ex his admittere potuerit, ut authenticus libri sacri textus toto passim orbe deperderetur. Quod si enim *divina providentia* alios libros sacros perire siverit ita, ut ne quidem versio inde restaret nobis; quanto magis Evangelium illud Ebræum, quod ad minimum Græce idque *satis* accurate versum hodienum superstit? Nec obstitisse *Christianorum pietatem.* Matthæum namque in gratiam primævorum *Nazaræorum* (h. e. Christianorum ex Palæstina oriundorum *Actor. XXIV, 5.*) vernacule (i. e. Syro-Chaldaice) scripsisse. Hanc Nazaræorum ecclesiam vertente tempore in sectam degenerasse Judaizantem, quæ itidem editione illa Ebræa, eaque quidem (quod *Cap. VII.* contra Casaubonum prolixius adstruitur,) *incorrupta* usa Cap. V.

 fuerit.

fuerit. Huic tamen cum cæteris Christianis Græca sacra habentibus parum commercii intercessisse. Mox Evangelium ipsum ab Ebionitis pessime habitum, atque immane quantum interpolatum fuisse. Cum igitur successu temporis Nazaræi æque ac Ebionitæ plane periissent, Orthodoxos tum ignorantia linguæ Chaldææ, tum odio sectariorum, tum metu corruptelarum inde in libros suos derivandarum, exemplaria Ebræo-Chaldaica digna non habuisse, quæ ab interitu vindicare conarentur. *Wolzogenio* tandem Sociniano critices sacræ imperitiam, *Lightfooto* Rabbinicas, quas putat, ineptias exprobrat, eoque nomine neutrum responsione quantulacunque dignatur.

Cap. VI. Redorditur deinceps veterem illam litem, quam de *vernacula* Christi & Apostolorum *lingua* movit *Isaacus Vossius*. Id vero honoris linguæ *Chaldaicæ*, ex Babylonica captivitate in Palæstinam apportatæ, & Actor. XXI, 40. XXII, 1. I. 19. *Ebrææ* titulo insignitæ, deberi, intrepide asserit Simon, quicquid Vossius de *Græca* iterum iterumque dicat. Censet igitur, Græce equidem Judæos cœpisse loqui, ex quo Græcis ac dein Romanis paruerunt; retinuisse tamen simul *patriam* h. e. Chaldæam linguam: idque ex *2. Maccab. VII, 21. 27.* ubi mater septem martyrum Antiochum Græce, vernacule gnatum alloquitur, probari posse confidit. Confert cum veteribus modernos Judæos Hispanienses aut Lusitanos, *Constantinopoli* ac *Amstelodami* commorantes, quorum illi præter linguam Turcicam, partim vulgari Græca, partim Hispanica; hi, præter Belgicam, Hispanica adhuc aut Lusitana lingua, in libris suis, concionibus precibusque utuntur. Memorat hac fini, *Pentateuchum* tum *Hispanice*, tum *Barbaro-Græce*, una cum textu Ebræo & Paraphraste Chaldæo Constantinopoli A. 1547. impressum, *Ebræaque* Biblia cum scholiis *Hispanicis* a Lombroso Venetiis A. 1639. edita, Judæis in Oriente familiarissima esse; *librum* denique *Precum* (ספר תפלות) *Hispanice* sub titulo *Orden de Oraciones* Amstelodami prodiisse. Monet porro Criticus noster, nomina linguæ *Chaldaicæ* & linguæ *Syriacæ* nimis scrupulose a Vossio distingui; cum tamen precatio קדיש *Kaddisch*, quæ in Talmude ארמית *Syriace* scripta dicitur, *Chaldaica* revera sit; ac e contrario Missale *Syriacum* A. 1594. Romæ editum, hunc titulum præ se ferat: *Missale Chaldaicum juxta ritum ecclesiæ nationis Maronitarum*; ut taceamus argumenta ex *Georgii*

orgii Amiræ Maronitæ *Grammatica Syriaca SIVE Chaldæa* deprompta. Regesserat olim Vossius, *Actor. XXI, 37.* non legendum: *Græce scis?* quasi Claudius Lysias Paulum percontatus fuisset, num Græcam linguam, (quæ Vossio judice Judæorum illius ævi vernacula fuit,) calleret? sed sic: *Græce scis. Non ergo es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitavit.* Respondet Simon, accentus equidem, commata & puncta a Critico parum attendi merito solere, temere tamen h. l. interrogationem haud tollendam esse, cum universi Actorum interpretes verba hæc *interrogative* acceperint. Cum igitur Paulum Lysias interroget, num *Græce* fari possit, liquere videtur, Græcam linguam eo tempore universis Judæis haudquaquam vernaculam fuisse.

Recenset postea, quæ Epiphanius ac Hieronymus de *secta* & *Hebraico Evangelio Nazaræorum* memoriæ prodidere, & auctoritate hujus Evangelii motus, vocem ἐπιούσιον Matth. VI, 11. *crastinum* (מחר) reddendam, ac pro Zacharia Barachiæ filio *Zachariam Jojadæ filium* Matth. XXIII, 35. reponendum esse asseverat. Addit Ebionitarum ac Ebraici Evangelii ab Ebionitis misere depravati historiam ex Epiphanio contextam. Dissentit vero abs eo, quod ille *Ebionem* quendam caput sectæ constituat, qua in parte sua sententia æque cespitarit, ac *Illescas* Hispanus Historiæ Pontificiæ scriptor, qui lib. VI. p. 453. *Hugonis hæresiarchæ sacramentarii* meminit, *a quo hæretici in Gallia nomen traxerint.* Refert, orthodoxos olim Christianos ob spontaneam *paupertatem* a Judæis אביונים *Ebionitas* (i. e. *pauperes*) contumeliæ caussa appellatos fuisse. Ex his deinde ortos ait hæreticos illos *Ebionitas*, qui veterum Ebionitarum nomen sibi arrogarint, doctrinam autem gravissimis contaminarint erroribus. Contra Casaubonum negat, *Græcam* Matthæi *versionem* ab apostolo aliquo profectam aut a Spiritu Sancto inspiratam, quia *Papias* Johannis Evangelistæ discipulus apud *Eusebium* l. III. H. E. c. 39. tradat, quemlibet versionem aliquam ex Ebræo, prout potuerit, sibi confecisse; quod facturos fuisse Christianos, vero non sit simile, si eo jam tempore authentica aliqua extitisset. Authoritatem itaque Græci nostri textus a constanti ecclesiæ testimonio unice arcessit.

Cap. VII. C. VIII. C. IX.

In sequentibus veterum traditiones exhibet de ætate & ordine Cap. X.

IV. Evangeliorum, ac speciatim *S. Marci*; ætatemque incertam esse fatetur, quamvis librarii Græci ad *Manuscriptum Bibliotheca Colbertina n. 5149.* & ad aliud *Bibliotheca Regia n. 2871.* sub finem evangelii cujusvis adnotarint, Matthæum anno a Christi ascensione *VIII*, Marcum A. *X*, Lucam A. *XV*, Johannem A. *XXX* Evangelia sua evulgasse. Observat, locum *secundum* Marco dari communiter; in Cantabrigiensi tamen & quibusdam aliis venerandæ antiquitatis codicibus hoc ordine sese Evangelistas excipere: *Matthaus, Johannes, Marcus, Lucas. Marcum* apud Petrum, & *Titum* apud Paulum *interpretum Gracorum* munere functos, eo quod Apostoli Græcam linguam aut non adeo perfecte loqui, aut saltem non adeo accurate pronuntiare noverint; quemadmodum *Josephus* Antiqu. l. XX. c. ult. (quamvis linguæ Græcæ peritissimus) non diffitetur, non posse sese satis concinne pronuntiare Græca. Nil tamen respondet ad objectionem, quam ex Baronii Annalibus ad A. C. 45. n. 35. ipsemet formaverat, Apostolos nimirum linguam Græcam eadem facilitate pronuntiasse, qua Ebræam, cum divinitus eam assecuti fuerint, Dei autem dona *perfecta* esse soleant.

Cap. XI. Marcum *Grace*, non *Latine* scripsisse, contra eundem Cardinalem disputat. *Duodecim* posteriores *versus* Marci antiquissimos esse, *Irenai* allegatione evincit; neque tamen Patrum quorundam & MSCtorum codicum dissensum ea de re dissimulat.

C. XII. Ad *Lucam* progressus, fuse ex Epiphanio non sine ἐπιχειρήσεως refert, quibusnam Evangelii locis tum *Marcion*, tum *catholici* quidam, lacrymas aut sudorem sanguineum Christo non convenire rati, manus criticas inferre ausi fuerint.

C. XIII. Hinc, *Johannis* auctoritate contra Alogos asserta, de *versibus duodecim* prioribus *capitis VIII.* curatius agit, ac Maldonati, qui genuinos eos judicarat, sententiæ subscribit, simulque ei amplissimam lucem fœneratur. *Caput* etiam *XXI.* ipsum Johannem auctorem agnoscere, nullus dubitat.

C. XIV. De *Actis Apostolorum* tum genuinis, tum apocryphis, ut & de *Epistolarum Paulinarum* numero & ordine,

C. XV. nec non Ἀποστολικῷ, seu sylloge epistolarum Pauli a *Marcione* consarcinata, ex historicis ecclesiasticis non pauca affert.

C. XVI. *Epistolam ad Hebraos* canonicam esse, probat consensu omnium Orientalium & S. Clementis Romani testimonio, quod potioris ei habetur auctoritatis, quam spississima Occidentalium secus sentientium

tientium nubes. Utrum vero, (quod post Eusebium Hieronymus affirmaverat,) ab Occidentalibus ecclesiis recepta lectaque non fuerit, Baronius in dubium vocaverat, eo quod circa Hieronymi tempora florentes Hilarius, Optatus, Ambrosius, Augustinus pro canonica ac Paulina ἀναντιῤῥήτως habuerint. Regerit Simon, locum equidem inter Paulinas epistolas epistolæ huic privatis Occidentalium horum sententiis decretum; publice eam tamen nullatenus prælectam fuisse; id quod solum Hieronymus affirmarit. Hanc ob rem etiam in antiquissimis epistolarum Græcarum codicibus, (quos a Latinis descriptos inferius probat,) extra epistolarum Paulinarum syntagma constitutam deprehendi. Ebraice a Paulo conscriptam, improbabile censet; probabile vero ei post Origenem videtur ob styli elegantiam, aliquem *amanuensium* sive interpretum Pauli *Græce* eam primitus exarasse. Ob sublimitatem vero *sententiarum*, quæ non nisi a *Pharisæo* aliquo erudito ea ratione excogitari digerique potuisse visæ sint, abs universa pene antiquitate Paulo adscriptam fuisse, perhibet.

Sequuntur observationes de *epistolis VII. catholicis*, non nisi C.XVII.
ab aliis dudum observata complexæ. Majori cura capiteque pecu- C.XVIII.
liari excutitur notissimus locus *1. Joh. V, 7.* Hunc neque in Græco, neq; in versione Latina ante Hieronymi tempora extitisse, sed ex scholio marginali, quod in textum deinde irrepserit, enatum esse, opinatur. Id quod non tantum ex quamplurimis Regiis & Colbertinis MSCtis confirmat, in quibus nec vola nec vestigium hujus comparet; sed & cumprimis ex illis codicibus, in quibus id genus scholia reperire est, quæ facili negotio e margine in textum referri potuissent. Sic enim testatur, in codice Regio 2247. ante quingentos circiter annos descripto e regione verborum istorum textualium: ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ, τὸ πνεῦμα καὶ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ αἷμα, hoc scholion legi: τουτέστι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ ὁ πατὴρ καὶ αὐτὸς ἑαυτοῦ. Et e regione sequentium: καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν, hanc haberi notulam: τουτέστι μία θεότης, εἷς θεός. Unde pateat, scholiasten per spiritum, aquam, & sanguinem, tres Trinitatis personas indigitatas autumasse. Simile quid reperiri in Colbertino 871. nisi quod post μία θεότης εἷς θεὸς adhuc legantur isthæc: μαρτυρία τοῦ Θεοῦ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Inter Patres ante *Victorem Vitensem* & *Fulgentium* (centum fere annis Hierony-

mo re-

mo recentiores) neminem fuiſſe, qui hoc teſtimonio uſus fuerit. Nam præfationem Hieronymi, epiſtolis catholicis in antiquioribus bibliorum Latinorum editionibus præmiſſam, ψευδεπίγραφον eſſe arbitratur. Nec *Johanni* epiſcopo *Oxonienſi* & *Amelotto* Patri Oratorii Pariſienſis concedit, *Cæcilium Cyprianum*, (qui longe ante exortam Arianam hæreſin vixit,) in *de unitate eccleſia*, hunc locum allegaſſe. Quamvis enim dicat: *De Patre & Filio & Spiritu Sancto ſcriptum eſt: Et hi tres unum ſunt*; reſpexiſſe tamen hac allegatione non ad illa Apoſtoli de tribus teſtibus cœleſtibus, quæ tantum in controverſiam veniunt, ſed ad ſequentia de tribus teſtibus in terra, quos tres eſſe Trinitatis perſonas crediderit, uti ex *Facundo* (Africanæ itidem eccleſiæ Patre) liqueat. Sic enim ille libro I. *pro defenſ. trium capit. c.3. De Patre & Filio & Spiritu Sancto dicit: Tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua & ſanguis, & hi tres unum ſunt; in ſpiritu ſignificans patrem, in aqua Spiritum Sanctum, in ſanguine vero filium ſignificans. Quod* (addit Facundus) *Johannis Apoſtoli teſtimonium Beatus Cyprianus Carthaginenſis antiſtes & martyr in epiſtola ſive libro, quem de Trinitate* * *ſcripſit, de Patre & Filio & Spiritu Sancto dictum intelligit.* Nullus tamen veretur Richardus Simon, verbis illis ex Johanne expunctis, Antitrinitariorum opinioni aliquid acceſſurum emolumenti. *Nam* (inquit) *doctiſſimi interpretum Novi Teſtamenti de Trinitate haudquaquam exponunt. Veteres autem ſcriptores eccleſiaſtici, qui ea huic myſterio applicarunt, ſuorum temporum morem ſequuntur, quo certi ſenſus theologici, ad normam fidei in eccleſia receptæ, Scripturæ dari ſolebant. Sive igitur, (quod moderni Græci & Latini univerſi faciunt) huncce verſum legas, ſive legere nolis, dogma tamen ab Antitrinitariis impugnatum probabitur inde, quod Patres a primis eccleſiæ ſeculis teſtimonium ſpiritus, aquæ & ſanguinis, Patri, Filio & Spiritui Sancto applicarint, & perſonas Trinitatis unum eſſe per unitatem trium teſtium poſteriorum comprobarint.*

* *Unitate*

C. XIX. Progreditur denique ad *Apocalypſin*, quam & canonicam & Johanneam ſtatuit, ac, quæ *Epiphanius*, & ab Euſebio citatus *Dionyſius Alexandrinus* hanc in rem dixere, fuſe ſatis repetit. Quæ reſtant ex hoc Simonis opere, Excerpta menſe Martio cum benevolo Lectore communicabimus.



ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ
Calendis Martii Anni M DC LXXXIX.

DAVIDIS PEIFERI LIPSIA, SEU ORIGINUM Lipsiensium libri IV, cum quibusdam additamentis; curante Adamo Rechenberg.

Martisburgi & Lipsiæ, apud Reinhardum Wæchtlerum, 1689, in 8.

CUm nulla fere urbs clara in Germania sit, cujus descriptio non sub Chronici aut Annalium nomine publicata prostet; dignum cive patriæ suæ amantissimo opus se facturum putavit Vir, dum viveret, summus & de Saxonia præclarissime meritus, *David Peiferus*, si Lipsiæ nostræ origines ac fata prospera & adversa accuratius, quam vulgo in chronicis fieri solet, posteritati traderet. Et magnam certe gratiam apud rerum peritos & historiæ amantes hoc libro iniit; quippe qui illum passim descripserunt, aut ut tandem lucem aspiceret publicam, optarunt: inprimis cum prudenter & eleganter satis scriptus sit, ac multa, quæ ad historiam nostræ gentis faciunt illustrandam, contineat. Nam in *primo libro*, paullo altius historiæ suæ telam exorsus, de antiquis Germaniæ populis, qui Hermundurorum terras olim insederunt, ubi Lipsia postea exstructa fuit, disserit: deinde qui Hermunduris successerunt, Soraborum sedes persequitur; ubi & ostendit, Hermunduros, inter Marcomannos & Cattos medios, non a Gothis, quorum originem ex Chersoneso Cimbrica accersit, ortum trahere. Postea ad Sorabos rediens, Lipsiam ab ipsis conditam fuisse probat. Inde Slavorum, Soraborum ac Venedorum res (quæ quidem haberi potuerunt) usque ad Carolum M. attingit; quem obstruendis Soraborum latrociniis, duo Albis & Salæ fluminum ripis castella superimposuisse memorat, constituto Vitekindo juniore Sorabiæ præ-

Q fecto.

fecto. Post extinctam Caroli M. stirpem masculam, Henrico
Aucupe rerum in Germania potiente, Hunnorum a Sorabis & Slavis
in Germaniam sollicitatorum; devastationem ac cladem describit,
ludorumq; & prædiorum equestrium in Misnia originem ex Sorabo-
rum oppressione derivat. Qua occasione multa ad antiquum Li-
psiæ statum pertinentia annotat. Inde ad *secundum librum*, quo
Lipsiam togatam exhibet, progressus, urbis laudatæ statum civilem,
jurisdictionem, magistratus, senatum, judicia, leges varias, mer-
catus, privilegia tum a Pontificibus R. olim & Imperatoribus, tum
a Marchionibus Misniæ & Electoribus Saxoniæ concessa distinctim
refert. Quæ licet in Chronico Germanico Schneideri etiam trans-
scripta compareant; a nostro tamen Autore, stylo terso & puro de-
scripta, jucundius in hoc libello leguntur. Horum epitomen Clar. *Edi-*
tor libro huic, ut ceteris etiam, memoriæ juvandæ causa, præmisit. In
tertio libro, qui *Lipsia religiosa* inscribitur, tum veterum Lipsiæ incola-
rum superstitio, tum Christianæ religionis per Ostlandiam opera Bo-
nifacii propagatio, & quæ templa, monasteria & sacella Lipsiæ extru-
cta sint, enarrantur. Hinc monachorum & sacrificulorum studium
res suas amplificandi notat Autor, & Academiæ Lipsiensis originem,
statum, jura, collegia atque leges recenset. Inde occasionem re-
formandi corruptum Ecclesiæ statum Martino Luthero a Tezelio
præbitam, cum colloquio Lipsiæ ipsum inter & Eccium in arce Plis-
senburgica, postulante Duce Georgio, instituto describit. Post Du-
cis memorati obitum, frater ejus Henricus, Luthero & aliis ortho-
doxis Theologis Lipsiam vocatis, Ecclesiam & Academiam ab ido-
lomania Pontificia repurgare instituit. Quod institutum Mauriti-
us heros fortissimus, & in Academiam inprimis munificus, deinde lau-
dabili studio persecutus est; licet dissidia propter formulam *interim*
juxta enata sint, quæ ab *Autore* etiam notantur. In *quarto libro*
Lipsiam armatam sistit, hoc est, bella quibus Lipsia vel implicita vel
petita fuit, graphice delineat. Inter quæ præcipue notari meren-
tur prælium prope Luccam, quo Suevi profligati sunt; irruptio
Hussitarum; & obsidio Lipsiensis, qua Joh. Fridericus Elector urbem
hanc cinxit, in qua obsessorum virtus maxime eminuit. Sub finem
Editor Panegyricum secularem, complectentem originem, incremen-
ta & fortunam Academiæ Lipsicæ a *Johanne Friedericho* Prof. Publ. o-
im

lim ſcriptam adjecit, & Peiferi vitam lectu ſane digniſſimam, ac a Peifero ipſo compoſitam, cum carmine ad Erſtenbergium JCtum ab illo ſcripto præmiſit, additis ſub calcem libri indicibus rerum & verborum neceſſariis.

EXERCITATIO THEOLOGICO - ECCLESIAſtica, in qua ecloga Eulogii apud Photium Cod. 226 de variis Oeconomiæ Sacræ potiſſimum eccleſiaſticæ generibus illuſtratur, ſimulque de thronis & cathedris Pontificalibus uberius diſſeritur. Auctore Elia Veielio SS. Theol. D. Prof. & Superint. Ulmenſi.

Ulmæ, apud Georgium Wilhelmum Kühn, A. 1688, in 4.

INter Scriptores in *Photii* bibliotheca excerptos *Eulogius Alexandrinus*, qui ſeculo ſexto labente claruit, aliquoties occurrit. Verum clariſſimo Autori eam tantum eclogam ſeligere placuit, qua Eulogius varia οἰκονομίας ſeu diſpenſationis eccleſiaſticæ genera exponit. Legitur illa in myriobiblo ſeu bibliotheca Photii codice non 226, qui numerus ex Typographi errato in titulo hujus exercitationis expreſſus legitur, ſed 227. Hanc eclogam illuſtraturus venerandus Eccleſiæ Ulmenſis Præſul, primum vocem τῆς οἰκονομίας explicat, & varias ejus ſignificationes refert, ea inprimis tangens, quæ a *Suicero* in theſauro eccleſiaſtico prætermiſſa ſunt. Deinde ad ipſam Eulogii eclogam accedit, & quantum ea a Latino interprete *Andrea Schotto* obſcurata fuerit, oſtendit, quod etiam ab *Henrico Valeſio* in notis ad Philoſtorgium jam pridem obſervatum monet. Origo obſcuritatis inde potiſſimum nata, quod Vir alioqui doctiſſimus οἰκονομίας vocem in hac pericopa aliquoties per incarnationem reddidit, cum hic Eulogius non de incarnatione, ſed de poteſtate aliqua Eccleſiæ loquatur. Quod cum Valeſius jam olim *Franciſco Florenti* non incelebri Juriſconſulto indicaſſet, id ille in ſuos Juris Canonici commentarios retulit, & præfationem integram de diſpenſationibus eccleſiaſticis ex illo Eulogii loco concinnavit, Valeſio, a quo illud acceperat, ne nominato quidem; qua de re prædictæ ad Philoſtorgium notæ p. 142. videri poterunt.

Ex iſta Franciſci Florentis præfatione de diſpenſationibus eccleſi-

clesiasticis haud pauca doctissimus Veielius excerpit, & inter alia observat, si monita Florentis, & quæ *Petrus de Marca* libr. 3. de concordia Sacerd. & Imp. c. 13, 14, & 15. de dispensationibus disserit, ad historiam reformationis applicentur, manifesto constare, quod causa schismatis non ad Lutherum, sed ad Lutheri adversarios referri debeat. Cum vero Florens eam tantum dispensationis ecclesiasticæ speciem explicandam sibi sumat, quæ περὶ τὰ ἔξωθεν seu circa mores, ritus, & disciplinam ecclesiasticam versatur, qualem Eulogius a Paulo Timotheum circumcidente, & seipsum juxta ritus Judaicos purificante, ad lucrandos Judæos usurpatam affirmat, celeberrimo exercitationis hujus Autori etiam ad reliquas indulgentiæ ecclesiasticæ species Eulogii ductu progredi libuit. Et altera quidem œconomiæ seu dispensationis species περὶ τὰς λέξεις, seu circa varium & liberum de dogmatibus & rebus fidei loquendi modum occupatur, cujusmodi œconomiam Athanasii & Gregorii Nazianzeni exemplo Eulogius illustrat, quorum ille orientales & occidentales de voce hypostaseos litigantes, post exploratum utriusque partis in ipso dogmate consensum, mutua diversarum loquendi formularum tolerantia conciliavit; hic vero cum Macedonianis agens, in verbis se facilem futurum asserit, modo in reipsa secum consentire, & Spiritus Sancti potentiam & Divinitatem agnoscere non recusent. Athanasio & Nazianzeno ab Eulogio memoratis Veielius Basilium M. addit, qui non modo Pneumatomachos mitiores, Spiritum Sanctum creaturam esse negantes, in communionem recipi permisit, verum etiam cum hæreticos ipsum, quam primum aperte Spiritum Sanctum Deum profiteretur, urbe expulsuros, & Pastore sublato totum gregem invasuros animadverteret, aliquantisper a formula ista abstinuit, re ipsa interim retenta & aliis verbis explicata, ut publicæ utilitatis causa hac œconomia hostium insidias declinaret. Ubi tamen etiam observat, alias Basilium aliosque Ecclesiæ Doctores a tali œconomia, si in veritatis detrimentum cessuram animadverterent, abhorruisse, & vocum hæreticis invisarum retinentissimos fuisse. Tertia œconomiæ species juxta Eulogium τὰ πρόσωπα seu personas respicit, & locum habet, cum illi, qui ab aliquibus Doctoribus & ecclesiis excommunicati sunt, ab aliis recipiuntur & in communionem admittuntur, fidei unitate & concordia utrinque integra manente. Exempli loco ponit Cyrillum

rillum, qui Theodori Mopsvestem communione non abstinuerit, & Theophilum cum Gelasio communicantem, etsi hic Eusebii Palæstini nomen in suis tabulis scriptum retineret. Quis vero ille Theophilus, quis Gelasius, cujus Eulogius h. l. meminit, Romanusne Pontifex, an alius, sibi non constare Vir doctissimus fatetur, grato accepturus animo, si quis ipsum hoc docuerit. Tribus his œconomiæ speciebus ab Eulogio explicatis Franciscus Florens quartam superaddit, eam nimirum, quæ περὶ τὰ ἐπιτίμια seu criminum commissorum & canonicarum pœnarum relaxationem versatur. Verum cum ea ab Eulogio prætermissa fuerit, Autor etiam noster lectores suos ad Petrum de Marca ablegare, quam quicquam de ea commentari maluit.

Potius de thronis episcopalibus agendum sibi duxit, cum Eulogius potestatem dispensationum ecclesiasticarum imprimis penes eos, qui thronis episcopalibus insident, sitam asserat. Hac igitur occasione de thronis sive cathedris Apostolorum, Patriarcharum, Episcoporum, Presbyterorum, & Doctorum breviter disserit, & postea ad Petri cathedram accedit. Imprimis vero *Francisci Mariæ Phœbei* tractatum de identitate cathedræ, in qua S. Petrus Romæ primum sedit, A. 1666. Romæ editum, ad examen vocat, eamque dissertationem nugis potius, quam solidis argumentis refertam esse probat, cum ea, quæ de cathedræ Petrinæ origine, materia, forma, ornamentis & miraculis, deque prærogativis, quas Romana Petri cathedra præ Antiochena tenet, nec non de solennitate in Petrinæ cathedræ memoriam instituta tradit, neque inter se cohæreant, neque cum iis, quæ *Chimentellus* in dissertatione de honore Bisellii circa Petrinam cathedram observavit.

Post examen hoc absolutum, *Pamelio* in notis ad Tertullianum de Novatoribus autoritatem cathedræ Romanæ aspernantibus querenti respondet, omnino veritatis cathedram ob malos unius ac alterius Doctoris in ea sedentis mores haud deserendam esse, secus tamen agendum, si ipsi veritati vis inferatur, quod Apostolorum exemplo, cathedram Pharisæorum tanquam adulteram dimittentium confirmat. Addit majores nostros a Petri fide & ecclesia catholica minime descivisse, & προεδρίαν Pontifici Romano per antiquos canones concessam libenter agnituros fuisse, si cætera paria

 fuissent.

fuissent. Dolet præterea, Romanensium culpa non modo orientales ecclesias ab occidentalibus avulsas, verum ipsam etiam occidentalium ecclesiarum compagem adeo solutam fuisse, ut omnia remedia sanando vulneri schismatis adhibita, membris ægris medicinam respuentibus, frustranea fuerint. Cassandrum & alios pacis conciliatores dum enumerat, *Matthæi* quoque *Prætorii* meminit, qui paucis abhinc annis tubam pacis ad dissidentes in occidente ecclesias emisit. Hunc Autorem in tractatu de reunione Protestantium Argentinæ impresso, perperam tanquam Lutheranum produci notat, cum ob vitam minus honeste transactam loco motus a Lutheranis ad Pontificios transierit, quod se ab amicis hujus rei gnaris accepisse scribit. Misso igitur hoc tubicine, *Georgium Principem Anhaltinum*, & modum conciliationis ab ipso præscriptum commendat, de quo argumento se in alio opere ex scriptis Sanctissimi Principis deprompto, & propediem in lucem emittendo egisse indicat. Cæterum an tollendi schismatis adhuc spes aliqua supersit, vehementer dubitat; interim calculo suo approbat, quæ illustris Dn. *Seckendorfius* in Præloquio ad historiam Lutheranismi commentatus est.

Ultima hujus dissertationis sectio eruditorum plagia concernit. Cum enim jam supra Franciscum Florentem a Valesio plagii cujusdam argui notasset, nunc coronidis loco alia quædam ejusmodi plagiorum exempla adjungere voluit. Observat ergo ex Dorscheo, *Schottum* omnia *Zebneri* summo ejus silentio compilasse. Ex eodem *Zebnero* multa mutuatum *Delrionem*, jam pridem a Geiero observatum monet. Addit *Petavium* a Decano quodam Aurelianensi nec non ab *Huetio* plagii postulari, & *Balthasarem Corderium* suum in Jobum commentarium ipsissimis *Calvini* verbis, nulla ejus mentione facta, exornasse. Imprimis vero etiam *Maimburgium* hujus artis peritum fuisse, *Eugenii Lombardi* verbis asserit.

Quod superest, optamus, ut Vir maxime Reverendus commentationes suas in Damasceni libros de orthodoxa fide, quos ope duorum MSC. codicum, ex Augustana bibliotheca concessorum, innumeris in locis emendavit, quamprimum edat, quarum specimen hac ipsa dissertatione præmittere voluit.

VIAG-

VIAGGIO DI LEVANTE, DATO IN LUCE dal Sign. Abbate Michaele Benvenga.

id eſt:

Iter in Orientem, editum a Michaële Benvenga.

Bononiæ, apud Jac. Monti, 1688, in 12.

ITineris, quod *Petrus Ciurani*, a Ser. Rep. Veneta ad Aulam Turcicam ablegatus, Conſtantinopolin verſus ſuſcepit, ſeriem ſtylo tropis & alluſionibus referto deſcriptam libellus hic exhibet. Cur Legatus Venetus ſingulari, præ aliis Chriſtianorum Principum Miniſtris, axiomate, *Bailo* ſcilicet inſigniatur, ratio affertur, quod vo- pag. 27.
cabulum hoc, quod *Gubernatorem* denotat, in memoriam veteris juriſdictionis & dominii, quo Veneti olim ibidem gaviſi fuerint, non ſine omine hucusque retineatur. In inſulæ *Corfù* angulo *Caſopo*
miraculoſæ B. Virginis imagini tribuitur, quod moneta ipſi applica- 41.
ta, ſi adhæreat, felicem, ſi decidat, ſiniſtrum negotiorum ſucceſſum, item abſentium, quorum ſaluti quis timet, vel vitam vel mor-
tem præſagiat. Montis *Athonis* (quaſi alti) hodie *Monte ſanto* dicti 67.
incolas Eremitas a *S. Baſilio* nomen habentes, ſexum fœmineum adeo abhorrere, ut nullius animalis, nec columbarum quidem, fœmellas inter ſe verſari patiantur. Quæ ruderum *Trojanorum*, nec non ipſius *Conſtantinopolis* facies A. 1680. extiterit; qua pompa *Bailo* introductus, quam contemptim contra Legatus Moſcoviticus a Vezirio habitus, literisque credentialibus, quarum titulum perfidus interpres ſe inſpecturum ſimulaverat, ſurreptis, aditu ad Sultanum prohibitus fuerit; Turcarum itidem mores, & Sultani genium; Muhammedis, qui per mortem equo pallido inſidentem in Apocalypſi præfiguretur, prodigia ſarcaſtice explicata; 19. denique Religionis Turcicæ ſectas, & id genus alia, qui his talibus delectatur, fuſius ibi recenſita reperire poterit.

LES OEUVRES POSTHUMES DE MR. Claude. Tome IV. i. e.

Operum poſthumorum Dn. Claudii Tomus IV.

Amſtelod. apud P. Savouret, 1688 in 8. Qui

QUi prioribus, in Actis A. 1688 p.582. & Anni præsentis p. 17.
seqq. recensitis, nunc accensendus occurrit *Operum Clau-*
dii Tomus IV. *septem* Tractatibus, I. de Peccato in Spiritum San-
ctum. II. de Justificatione. III. de Lapsu Angelorum. IV. in
tria priora Capp. Ep. ad Rom. & quidem usque ad v. 24. saltem Cap.
3. V. de Electione & Reprobatione. VI. de Statu Innocentiæ pri-
mi hominis. VII de Lapsu primorum Parentum, ejusq; pœnis, qui
una cum III, V & VI Latine conscriptus est, absolvitur. Circa
Peccatum in Spiritum Sanctum 1. de natura fidei temporariæ, 2. de
natura ipsius peccati in Spiritum Sanctum, 3. de hujus consequenti-
pag. 6. bus agitur. In *prima* Sectione *differentia* inter vere fideles, & tem-
porarios, circa apprehensionem verbi Evangelici, triplicis officii
Christi, conditionum saluti obtinendæ appositarum, & bonorum
22. Evangelicorum; *effectus* porro fidei temporariæ, & quam longe a
26. veræ fidei effectibus abeant, discutiuntur. In sensu fidei tempora-
riæ, cum hæc ad communionem cum Christo producendam non
sufficiat, morientium salutem desperatam esse, nisi bonitate Dei ad
veram fidem eleventur, quod ipsum, cum ab Electionis Divinæ de-
creto dependeat, cognitionem & curiositatem nostram transgre-
27. diatur. Ex Parabola Matth. 13, 5. & Ep. ad Ebr. 6. & 10. diversis
34. fidei temporariæ characteribus subjectis, in *secunda* sectione, pri-
mũ de peccatis, quæ cum communione Dei compatibilia vel incom-
43. patibilia, actus item simplicis vel habitus, dispicitur. Conceditur,
etiam in pium hominem omnium actuum pietatis suspensionem, &
generalem virtutum neglectum cadere posse, sed ob incorruptibile
regenerationis semen brevissimæ durationis esse. Secretum quip-
pe timoris divini sensum in intimo cordis recessu remanere, haud
secus ac in deliquium animi patiente levis palpitatio cordis & calor
46. vitalis observatur. Hinc cum David Deum invocat, ne Spiritum
Sanctitatis a se auferat, satis elucescere, illum non plane eundem
50. amisisse. Sic, qui religione mutata per plures annos, cum animi
tamen anxietate, in defectione persistunt, licet nunquam vere re-
geniti dici possint, a levioribus tamen gratiæ in corde conservatæ
impressionibus, ut ad veram religionem regrediantur, stimulari,
easque, juxta Es. 42, 3. ad operandam salutem eorum a Deo adhibe-
53. ri. Peccatum ipsum in Spiritum Sanctum non esse 1. impietatem
corum,

eorum, qui gratiam Dei nunquam senserunt. 2. nec incredulitatem, qualis Judæorum & Paganorum sit. 3. nec falsum cultum. 4. nec hæresin. 5. nec peccata contra legem moralem commissa. 6. nec peccandi habitum. 7. nec finalem impœnitentiam; sed in *defectione a Christo ejusq; communione cum consensu deliberato* consistere, ejusque characterem esse rejectionem Christi finalem, explicitam, immediatam, totalem, ex corde, non præcipitatam sed deliberatam, contra lumen cognitionis, quod Christus unicus Salvator mundi sit, & postquam hic aliquo modo receptus fuerat. Et hoc peccatum pag. 55.
possibile & frequens satis esse, cum maxima pars Christianorum Christum & Evangelium non recipiat, quam quatenus cum mundo consistere possit. Quod si persecutione ingruente, in persuasione sua se deceptos sentiant, ac Christum & mundum simul retinere non possint, ipsis non insolens esse, ut post internos conflictus Christum, qui summum bonum suum perdendi causa existat, cum indignatione rejiciant. Recensentur deinde variæ eæque ordinariæ circumstantiæ, quæ lapsum eorum præcedere, comitari & sequi 57.
soleant, citatis locis Scripturæ, ubi de natura hujus peccati agatur: imprimis Ebr. 3. & 4. pro typo ejus allegari seditionem, qua Israelitæ 58.
in deserto contra Mosen insurrexerint. *Tertia* Sectio *Consectaria* 65.
sistit, quæ sunt I. non dari regressum ad pœnitentiam. Ebr. VI, 4. 5. 6. Spiritum Sanctum enim, quia operationem suam turbari ac repelli videat, ejusmodi hominem, ceu materiam impressione gratiæ suæ indignam, relinquere, eoq; nihil amplius suppetere, unde pœnitentia progerminare possit; eodem modo, quo natura embryonem formans, si interruptione quadam turbetur, eum penitus deserat. II. non remitti. III. extraordinaria illud manere supplicia. Eb. 10, 26-29. Marc. 3, 29. 2. Pet. 2, 20. 21. IV. non esse rogandum pro illo, 1. Joh. 71.
5, 16. Coronidis loco, quomodo verba Ebr. 10, 29. ἐν ᾧ ἡγιάσθη, vel ad Filium Dei, vel ad Fœdus, vel ad peccatorem in Spiritum Sanctum referri possint, ostenditur.

Tractatio materiæ de *Justificatione* quinque partibus includitur, II.
quarum I. agit de *Dispositionibus*, quarum aliæ *Deum* respiciunt, 76.
ut 1. conservatio mundi, non obstante peccato primi hominis. 2. consilium mittendi filium. 3. consilium aliquos ad actualem reconciliationem adducendi, largiendo fidem & alias qualitates ad

salutem necessarias; aliæ *Hominem* attinent. Quæ iterum sunt vel 1. *remotæ*, ex generali Providentiæ œconomia oriundæ, e.g. esse Deum, eumque magnum, bonum, sapientem, sanctum, justum; homines religioni debere esse addictos; inter bonum & malum, virtutem & vitium realem differentiam esse; homines ad reddendam actionum suarum rationem teneri &c. vel 2. *propinquæ* ex œconomia Legali, Israelitis propriæ; ubi jam enumeratis dispositionibus remotis promissio Messiæ, oracula, figuræ, promissiones vocationis gentilium, & extensio fœderis Dei addenda; vel 3. *proximæ* ex œconomia Evangelica emergentes, magis nempe vivide in Evangelio, quam in Lege propositæ. Unde etiam plures
pag. 87. motus ad Christum vera fide amplectendum resultant. Examinatur Quæstio: an Deus dispositionibus sub œconomia *providentiæ* contentus fuerit, licet ipsam justificationem non addiderit? & doctrina Pontificiorum quorundam de salute Philosophorum aliquo-
92. rum gentilium affirmativæ superstructa refellitur, addito de *virtuti-*
III. *bus* gentilium judicio, an & quatenus Deo gratæ fuerint? II. agit de *Justificatione* in se considerata. Ubi iterum 1. terminus justificationis explicatur, & acceptione ejus in sensu *judiciali* solide adstructa, quam male Pontificii sensum *Philosophicum* de *justitia inhærente* tueantur, & quod cum isto plane consistere nequeat, dilucide demonstratur, simulque ad loca I. Cor 6. Tit. 3, 5. 6. 7. Apoc. 22, 11. qui-
135. bus Adversarii assertionem suam corroborant, respondetur. Controversiam porro inter nos & Pontificios circa Justificationem tantopere hactenus agitatam, non verbalem, sed realem, & intuitu salutis & ædificationis, maximi momenti esse, ex Disputationibus Lutheri
140. sub initium Reformationis obortis, & ideam Ecclesiæ Romanæ illi, quam nos ex Scriptura formamus, directe oppositam esse, 17 rationibus evincitur. Sequitur 2. ipsa Justificationis *Natura*, quæ X. considerationibus Definitionem istius ingredientibus explicanda proponitur. 1. esse actum judiciarium. 2. esse actum Dei, & quidem 3. ut supremi magistratus; ubi Adversarii, pastores Ecclesiæ, ceu judices subalternos hic concurrere statuentes refutantur. 4. esse actum misericordiæ; ubi an & quatenus creatura peccatrix ejus objectum sit, disquiritur. 5. actus hujus posterioris duas esse partes, remissionem peccatorum, & jus ad vitam æternam; ubi diversæ utriusq; expressiones Scripturæ familiares enucleantur. 6. remissionem

nem

nem peccatorum satisfactione Christi; 7. jus vero ad vitam æternam merito ejus niti. 8. tam satisfactionem, quam meritum per fidem nobis imputari seu applicari. 9. necesse esse, ut Deus pœnitentiam in nobis inveniat. 10. Deum sanctitatem & perseverantiam imposterum a nobis exigere. Sed quod posteriorum nonnullarum Considerationum, ut & reliquarum, quas Tractatus frontispicium promittit, partium, utpote III. de conditionibus, quas Deus in homine justificando necessario præsupponat, & actualiter invenire debeat; IV. de conditionibus, quas Deus homini in justificatione imponat posthac observandas; V. de veræ justificationis effectibus, consequentibus, proprietatibus & characteribus, ulterior elaboratio hic desideretur, morti clarissimo Autori calamum excutienti, aut impedimentis aliis tribuendum opinamur.

In Tractatu de *Lapsu Angelorum*, quid Ægyptii, Græci, Latini & Hæretici nonnulli de principio *Bono* & *Malo* statuerint, præmittitur; item quomodo Græci quidā Patres, Origene duce, liberum arbitrium, τὸ αὐτεξούσιον, seu τὸ ἐφ' ἡμῖν, pro prima in unoquoque peccati causa, de peccato originali alias parum solliciti venditaverint; quomodo igitur Pelagius opinionis suæ de libero arbitrio primus Auctor perperam a quibusdam habeatur, Jesuitæ vero Pelagianismū aut saltim Semi-Pelagianismum cum Socinianis & Arminianis a mortuis resuscitaverint. Scripturæ conformius esse, ut corruptio nativa pro peccati, pro corruptionis hujus origine corruptio primorum parentum habeatur; hæc porro lapsui eorum, lapsus vero tentationi diaboli tribuatur. Hunc creaturam rectam & innocentem fuisse, & non ex voluntate (quam indifferentiæ ad utrumlibet libertatē in se non habere, decem argumentis Autor probare nititur) & libero arbitrio peccasse, nisi præeunte aliquo intellectus errore, cujus causa festinatum de objecto judicium, non perspectis omnibus ad ultimum judicium faciendum necessariis; objectum vero (secundum verisimilem Autoris libri Sapientiæ conjecturam, quod diabolus invidia adversus hominem commotus fuerit) dominium in ceteras creaturas homini, non Angelo, creaturæ licet quoad essentialia homine excellentiori, collatum extiterit. Atque hinc fieri potuisse, ut, cum talis œconomia divina angelico intellectui, abstracte a summa Dei auctoritate & libertate, sub ideā violatæ justitiæ harmonicæ

III. pag. 193. 196. 198. 210.

nicæ obverſaretur, in errorem lapſus Angelus pravum de hoc opere Dei judicium tulerit, nataque inde invidia ceciderit, multisque aliis rebellionis in Deum dux & autor evaſerit. Ut vero tale de
pag. 213. Dei œconomia judicium ferret, ex incogitantia, per quam, utpote a creatura finita non alienam, jus Dei *ἀνυπεύθυνον* animo non obverſabatur, & agendi velocitate contigiſſe.

IV. Commentarium in *Ep. ad Rom.* (quam anno poſt Chr. n.57. ſcri-
219. ptam, utraq; ad *Corinthios*, priori *ad Timotheum*, & utraque ad *Theſſalonicenſes* poſteriorem; ob materiarum vero dignitatem, & cœleſtem plane eas tractandi modum, adeoque expreſſionem eorum, quæ in Paradiſum raptus Apoſtolus viderit, reliquis Paulinis Epiſtolis præpoſitam eſſe innuit,) ita adornare cœpit, ut ſingulos *terminos* & *ſen-*
296, 415. *ſum* (quorum utriusque perpetuus in Scriptura corruptor *Grotius* ipſi audit) illuſtrare ſibi Auctor propoſuerit. Nec, præter uſum paſſim interſperſum, quæ circa verſionem tam vulgatam quam vernaculam, & aliorum Interpretum explicationes monere viſum fuit,
393. omiſſa reperies. Ita, ut unum ſaltem e multis allegemus, c. 3, 4. verborum *ἐν τῷ κρίνεσθαί σε*, ſignificationem activam idiomati Ebraico, ut & ſenſui Davidis Pſ. 51, 6. & Pauli convenientiorem eſſe, contra dictas Verſiones contendit. Primæ itaque, quæ hic ductæ apparent, lineæ maximam partem ita legentibus ſe commendant, ut totius operis, ſi per fata ad umbilicum id deducere Autori licuiſſet, deſiderium merito relinquant.

V. Expoſitionis materiæ de *Electione* & *Reprobatione*, 13. Propoſi-
433. tionibus & aliquot Corollariis comprehenſæ, ſumma eo tendit, ut utramque non ad præviſiones futuræ fidei, ſed ad liberrimam Dei, qui in *illa* ut Oeconomus, in *hac* ut Judex agat, voluntatem referendam eſſe, ſtatuatur. Decreta vero æterna, quorum unicuiq; an-
488. nectenda eſt executio ejus, quæ fit in tempore, hoc ordine ſe invicem ex Auctoris ſententia excipiunt. I. Decretum de creando mundo, & actualis creatio. II. Decretum de non impediendo lapſu primi hominis, & actualis primi hominis lapſus. III. Decretum de mittendo Filio in mundum, & actualis adventus Chriſti. IV. Decretum de vocandis omnibus hominibus ad fidem & pœnitentiam, & per fidem & pœnitentiam ad ſalutem, cum actuali hujusmodi vocatione. V. Decretum Electionis quorundam hominum ad fidem & converſionem

sionem per Spiritum Sanctum, una cum derelictione ceterorum; & actualis Spiritus Sancti convertentis communicatio Electis facta, una cum denegatione ejusdem gratiæ ceteris. Tandem destinatio Reproborum ad mortem æternam, propter impœnitentiam, & finalis & actualis eorum damnatio.

Dissertatio de *Statu innocentiæ* primi hominis sex quæstionibus definitur. I. In quibus imago Dei *physica, moralis, & politica* sita fuerit? II. An justitia ejus fuerit naturalis an supernaturalis? Hanc quæstionem ab *Amyraldo* de Tribus fœderibus, & *Placæo* de Statu Adæ ante lapsum, item de Libero Arbitrio, fuse tractatam esse. III. An justitia Adæ mutabilis fuerit nec ne? IV. Quo sensu beatus & immortalis fuerit? Fuit nempe *immortalis*, i.e. a necessitate moriendi solutus. *Beatitudo* fuit naturalis, terrestris, & animalis. Deum post aliquot secula hominem in cœlum evecturum fuisse, neq; ex Scriptura, neq; ex recta ratione potest evinci. V. Quomodo Deus Adæ officium suum patefecerit externa aliqua declaratione? Nimirum per opera universi, per ipsam hominis naturam, dotes concessas, colloquia familiaria. Insuper Deum fœderi suo cum homine duo *Sacramenta*, nimirum *Arborem vitæ*, & *Arborem Scientiæ Boni & Mali* addidisse; in *priori* studium omnis virtutis ejusque remunerationem; in *posteriori* omne peccatum, a quo abstinendum erat, symbolice comprehensum fuisse. Adamum, non cum infusa omnium rerum scientia, sed in statu recto creatum, successu temporis facultatum aptitudinem ad objecta applicaturum fuisse. VI. Quis & qualis concursus divinus ad actiones Adami fuerit? Nimirum physicus, non moralis.

VI. pag. 494. 497. 500. 503.

Circa *Lapsum primorum Parentum* expenditur 1. qua via, quibusve artibus Diabolus usus fuerit? 2. quænam lapsus initia, progressus & gradus? 3. quid egerit Divina providentia circa hunc lapsum? Unicum nempe peccati primorum Parentũ auctorem Satanam fuisse, non vero Deum, qui & peccatum vetuerat, & pœnam interminatus fuerat. 4. an lapsus fuerit possibilis, contingens aut necessarius? 5. an adeo grave peccatum fuerit, ut maximas, quæ inde secutæ, pœnas peccando sibi meruerint? *Pœna* scilicet peccati fuit mors temporaria & æterna. *Temporariam* non naturalem, sed peccati sequelam, contra *Socinianos*: *æternam* in cruciatibus æternis, &

VII. 509. 522. 528.

non in extinctione τῦ εἶναι, i. e. in annihilatione seu in privatione illius esse, quod Deus ab initio homini concesserat, consistere, contra eosdem, & *Arminianos* quosdam, ex Scriptura defenditur.

ELIÆ AUGUSTI STRYCKII DISQUISITIO Forensis de Efficacia Renunciationis Fori hodierna, ad l. 29. C. d. Pact. contra communem Practicorum Germanorum & Italorum opinionem defensa.

Francofurti ad Viadrum, apud Jerem. Schrey & Henr. Joh. Meierum, A. 1688 in 4.

Virtutem hodiernæ renunciationis Fori ostensurus Auctor, hoc ordine incedit. Ab initio facti speciem, qua invitatus in effectum modernæ fori renunciationis inquisivit, recenset; deinde tractationem suam in tria membra dispescit, quorum primum licitam illicitamve fori renunciationem de Jure communi, secundum Germanorum JCtorum opiniones de illicita fori renunciatione hodierna, tertium autem veram de eadem renunciatione sententiam commemorat, eamque defendit. Facti species hæc fuit: Mercator quidam Hamburgensis, institutis cum ejusdem civitatis mercatore pariationibus, in summa 1800 thalerorum illius debitor inventus est: placuit ire in creditum, ea lege, ut summa hæc proximis nundinis Lipsiensibus solveretur, &, si soluta non esset, debitor coram quovis judice semet sisteret, nulliusque jurisdictionē declinaret, adjecta speciali renunciatione fori Hamburgensis. Cum debitor promissis non stetisset, creditore petente, adversus ipsum, Francofurti deprehensum, arrestum quoad personam & bona illic inventa decretum est. Unde quæsitum, utrum causa hæc in judicio Francofurtano peragenda, an vero ad forum Hamburgense remittenda esset. Casu hoc præmisso ad membrum primum accedit, ibique docet, secundum jus Romanum licitam esse renunciationem fori, etiam per privilegium concessi, *L. 29. C. de Pact.* sive renunciatio expresse sive tacite facta sit. Postea Jus Canonicum cum Civili convenire ostendit, & *c. 12. X. d. for. comp.* quod Clericorum renunciationem fori, etiam vinculo jurisjurandi corroboratam, improbat, suis

ſuis rationibus æquitatem diſpoſitionis JCtorum ſcholæ nondum perſuaſiſſe monet. In membro II. uſitatiſſimam eſſe in obligationibus hodie fori renunciationem, ſed ex vulgari Dd. ſententia inanem, fatetur; quod poſtremum ut confirmet, primum originem in dubium vocatæ fori renunciationis efficaciæ ab *Andrea Gailio* repetit; deinde triplicem præcipue ſententiam Dd. Germanorum affert. Prima, communi fere conſenſu recepta, prorogationem jurisdictionis non admittit, Magiſtratui jus ſubditos ſuos mandatis pœnalibus cum cauſa ad ſe retrahendi tribuit, & ſi Judex requiſitioni locum relinquere nolit, facultatem appellandi ad Cameram largitur. Hæc præſidium petit partim a rationibus, partim ab exemplis. Rationes Jurisdictionis ac Magiſtratuum Romanorum diverſam a moribus noſtris conditionem indicant, (cum hodie fere omnis jurisdictio ſit Patrimonialis, omnesque judices jus capiendi ſportulas habeant, ſecus ac jure Romano) & Jurisdictionem, tam in favorem Magiſtratus, quam ſubditorum conceſſam, ſola ſubditorum renunciatione extingui non poſſe recenſent. Exempla clericorum, ſtudioſorum, militum, vaſallorum ſubjiciuntur, nec omittitur Statutarii juris & privilegii de non evocando allegatio, quo Hamburgi, Lubecæ &c. jurisdictionis renunciatio & fori prorogatio ſpecialiter prohibita eſt. Secunda ſententia *Bachovii* eſt, qui in comment. ad ff. t. d. Jurisdict. cap. de prorogat. jurisdict. n. 2. inter Magiſtratus diverſos, qui eidem ſuperiori ſubſunt, & inter Magiſtratus, qui ſimul ſunt Domini Terrarum, ut noſtri Principes, diſtinguit, & reſpectu illorum concedit, reſpectu horum denegat hodie jus prorogandi jurisdictionem, eo quod Princeps, qui fons eſt jurisdictionis, ex quo omnes Magiſtratus jus ſuum hauriunt, hanc prorogationem permiſiſſe videatur. Tertia *Mynſingeri* imprimis eſt, Cent. 1. Obſ. 88. propoſita, eaque renunciationem fori generalem non ſufficere, ſed ſpecialem requiri aſtruitur, qua ſuo foro renuncians in forum certum conſentiat, quandoquidem generalis renunciatio fori jus experiundi ſolum in foro competente, non in quolibet incompetente, tribuat. Membrum tertium ſtatum controverſiæ format, decidit, & diſſentientium argumenta reſolvit. Status controverſiæ hic eſt: an non in certis caſibus pacto effici poſſit, ut quis coram alterius foro conveniri, & ibi, volente creditore,

tore, ad solutionem compelli possit? Hunc decidit affirmative, siquidem ea sententia fundamentum inveniat in *l. 29. C. d. pact.* cui tanquam Juri Justinianeo recepto standum sit, donec doceatur mutatio. Addit, quod fori nostri usus jurisdictionis prorogationem non damnet, reconventionem vero & competentiam fori in loco contractus, vel destinatæ solutionis ratione absentis quoque, si contrahens in absentiæ eventum se specialiter ad illud forum obstrinxerit, frequentet. Tandem curam adhibet, ut dissentientibus, in membro secundo relatis, satisfaciat; unde Primam sententiam, quæ Jurisdictionis prorogationem & fori renunciationem ex usu hodierno improbat, ex eo convellit, quod neque rationes neque exempla eidem defendendæ sufficiant, eaque opinio persuasione exterorum JCtorum, ut Italorum & Hispanorum in Germaniam traducta esse videatur. Non omnis enim, ait, jurisdictio moribus est Patrimonialis, sed quædam personalis jure Magistratus competens, & ea, quæ Patrimonialis est, exiguum hinc sentit detrimentum, quia persona renuncians se jurisdictioni Judicis non omnino subducit, sed tantum in causa certa alieni judicis sententiæ stare promittit; &, si Patrimonialis Jurisdictio plenissimum avocandi jus concederet, in criminalibus quoque, contra quotidianam Germaniæ Praxin, remissiones delinquentium virtute juris avocandi necessitatis essent. Jus percipiendi sportulas cum Jurisdictione ipsa non essentialiter hodienum cohæret, ob facilem fructuum a proprietate separationem; ubi vero cum Jurisdictione conjunctum est, avocandi jus speciale non largitur, ceu denegata in criminalibus causis avocandi potestas, & jus adeundi alienum judicem in actibus voluntariæ jurisdictionis, docet. In favorem Magistratus & subditorum tum demum dici concessam Jurisdictionem subjicit, quando speciale privilegium Jurisdictionem habentem ejusque subditos a certo judicio exemit, qualis exemptio non paucis a Judicio Rotvvilensi contigit. Rationibus perpensis ad exempla se convertit. Clericorum renunciationem fieri in causa profana permittit, studiosisque eandem potestatem jure communi concedit; in militibus vero, propter strictissimam eorum disciplinam, in Vasallis, propter juramentum fidelitatis & præjudicium Domini, exceptioni locum relinquit, idemque in Statutis & Privilegiis de non evocando asserit, cum

erit, cum ea hanc limitationem accipiant ex Jure Communi Justinianeo, nisi quis per obligationem omni foro se subjecerit. Secundam sententiam Bachovii & asseclarum, inter Magistratus ejusdem & diversi Principis distinguentium, ex eo fundamento rejicit, quod & ii, qui ab eodem Principe Jurisdictionem sunt consecuti, eam ut patrimonialem non raro possideant, modusque habendi nullam diversitatem constituat inter eos, qui jure Magistratus & jure Patrimonii jurisdictionem nacti sunt, cum utrique pari in subditos potestate utantur. Tertiam Mynsingeri opinionem, qui renunciationem fori specialem requirit, quia non sufficere putatur renunciatio generalis, nisi specialis praecesserit; eam, inquam, & fundamento non satis solido inniti, &, si eidem innitatur, de renunciatione in genere generalissimo, non subalterno vel determinato, ut hoc loco, ad forum, intelligendam esse arbitratur. Sub finem igitur Auctor in Statu Controversiae ab initio commemorato, Magistratum Francofurtanum judicem competentem fuisse, causamque penitus composuisse, Senatum Hamburgensem vero ipsam avocationem urgere desiisse recenset.

EXERCITATIONES DE VATICINIIS SIBYLLINIS pluribusque, quotquot Christi natalem praecessisse leguntur, ad libellum bis editum Viri Clariss. Isaaci Vossii conscripta ab M. Johanne Reiskio. Accessit de nummis duobus Sibyllinis dissertatio.

Lipsiae, apud Frid. Lüdervvald, A. 1688 in 8.

INgentes inter eruditos dividiae fuerunt de Sibyllinis, aliisq; oraculis, quae Christi natalem praecessere. Communis Casauboni, Blondelli, Vossii patris, Gallaei, recentissimi scriptoris, (cujus de Sibyllis earumq; oraculis dissertationes in Actis hujusce anni Januariis p. 15. & seqq. sed strictim, & per summa tantum capita recensuimus) pluriumque aliorum opinio est, ea supposititia esse, & non nisi a Christianis conficta. Sed id opinionis dilutum ivit *Isaacus Vossius*, magni parentis non minor filius, libroque de Sibyllinis oraculis bis edito ostendere id allaboravit, Sibyllina a Christianis non potuisse fingi.

Est autem nova hæc ejus sententia, oracula ista non potuisse ab aliis, quam a Judæis vulgari, & hos quidem sub nomine fatidicarum mulierum, quarum apud gentes nunquam non magna fuerit autoritas, in lucem edidisse ea, quæ ex Prophetarum suorum oraculis deprompsissent; idque tum factum esse cum maxime, cum Hierosolyma occuparat Pompejus, LIX videlicet ante Christum natum annis, completaque exacte LXII, nisi calculus fallat, Danielis hebdomade. Quæ Isaaci Vossii sententia uti non firmis satis hypothesibus inniti visa est, ita tum a Johanne Marckio, Theol. D. & Professore Groningensium clarissimo, qui disputationes de carminibus Sibyllinis Academicas XII ante quinquennium divulgavit, tum a Theologo anonymo Parisiensi, quem Simonium ex ordine Congregationis Oratoriæ Parisinum Theologum non falso suspicati sumus, in Castigationibus ad opusculum de Sibyllinis oraculis, fuit infestata. His tertium se jam jungit Clariss. Reiskius, quanquam aliis, atque illi, armis, addo & alio modo contra Vossium depugnans. Agit autem, ut in rem veniamus, contra illum primum ἐλεγκτικῶς, ostendens quippe, quibus argumentis refelli ac labefactari queat hæc nova Vossii sententia; deinde ἀνασκευαστικῶς, vel ad contrarias ejus rationes respondendo; & denique κατασκευαστικῶς, vel demonstrando, quis carminum Sibyllinorum sit autor, & quo ea in pretio sint habenda. Inter ἐλεγκτικὰ argumenta primum est nimia Oraculorum Sibyllinorum perspicuitas, rerumque futurarum claritas, qualis in libris propheticis iisque divinitus inspiratis non effulgeat, de Messia maxime aut Christo Jesu, ejusque persona, munere & gestis ad stuporem omnium rebus. Vero enim simile non esse, hæc talia, quæ prophetas ipsos perspicuitate superant, emitti in publicum a Judæis potuisse, paulo ante, quam Messias nasci debuit; quo tempore utique & Respublica & Synagoga Judaica, ob invalescentes, Sadducæam, Pharisaicam, Essæam & Samaritanam hæreses prolapsa in pejus fuerit. II Argumentum arcessitur ab ipsa Sibyllinorum carminum materia, seu, ut philosophi vocant, objecto. Comprehenduntur autem in illis non multa tantum historica & vaticinia, quæ in libris Propheticis non extant, sed & multa fabulosa, illisque plane contraria. Nam in libris VIII Carminum Sibyllinorum, prout hodie prostant, non rerum tantum Novo Testamento pro-

to propriarum, verum etiam Deorum, nominumque Poeticorum tam Græcorum, quam Romanorum fit mentio; v. g. in I, ubi sex hominum ætates commemorantur, Neptuni, Nerei, Acherontis, Gehennæ, Gigantum, eorumque principis Noæ, Titanum, Jesu, Herodis, Johannis Baptistæ, & Romanorum, qui templum Hierosolymitanum everterunt; in II Eliæ, Eromielis, Urielis, Sanielis, Azaelis ex angelorum cœtu; nec non campi Elysii & lacus Acherusidis; in III Belialis, Belieris, Monarchici & quidem muliebris imperii, Saturni, Titanis, Telluris, Veneris, Vestæ, Cerêris, Dianæ, Jovis cum tota ferme deastrorum familia; monarchiarum 4. vulgarium, Ilii item eversi, Hectoris, Helenæ, Homeri, Achillis, Rhodi, Sami, Italiæ, Gogi & Magogi &c. in IV Isidis, Romæ, Romanorumque Cæsarum, Neronis, Vespasiani, Tiberii; in libro V Alexandri Macedonis, Æneæ, Romuli, Julii Cæsaris, & quotquot ei ad Hadrianum usque successerunt; in lib. VI Christi in Jordane baptizati, coronæ spineæ, & crucis seu ligni, Deique in eo penduli &c. nam de reliquorum librorum contentis plura addere non attinet. Hæc talia autem ex libris propheticis, ac Hebræo codice deprompta a Judæis Christi nativitatem antegressis fuisse, induci Autor clarissimus minime potest, ut credat. III argumentum ἐλεγκτικὸν ipsi enatum est ex verbis & loquendi generibus in opusculo Sibyllinorum occurrentibus. Reperiuntur enim in illis verba, epitheta, phrases, descriptiones, & elegantiæ, quæ nec scholam Judaicam, nec priscam Hebræorum poesin redolent, v. g. μὴ Καμαρῖναν κίνει, h. e. ne Camarinam move. Nam plura huc transcribere, brevitatis studium institutumque nostrum haud permittit. IV argumentum desumptum est a divino præcepto. Cum enim Deus in Levitico duobus capitibus expresse vetuerit, ne pythones atque haruspices a Judæis consulerentur, Autor Judæos substituere carmina id genus pro Sibyllinis non potuisse contendit, nisi leges sanctissimas sibi datas violare voluissent, præsertim cum non ignorarent, Regem Saulum, eo quod non Pythones tantum, hariolosque ac magos in regno suo tolerasset, sed & Pythonissam Endoream consuluisset, in offensam divini Numinis incurrisse. Ἐλεγκτικοῖς argumentis hisce cap. II, III & IV. præmissis pergit Autor ἀνασκευαστικῶς, & primum quidem Vossii rationes omnes conjunctim, dein-

de singulas & speciatim discutit. Prima Vossii ratio petita est ex LXX Prophetæ Danielis hebdomadibus, quas ab anno Xerxis vigesimo quinto initium cepisse existimat. Sed quanquam concludi posse non abnuat Reiskius, Judæos, quotquot vixerunt spatio hebdomadum definito, doceri potuisse de annis, qui adventum Christi proxime antecedere debuerunt, sequi tamen exinde negat, eos carmina Græca composuisse, compositaque sub Sibyllarum schemate per Asiam, Græciam atque Italiam dispersisse: deinde initium hebdomadum non ponendum esse in anno Xerxis XXV, sed in tempore illo, quo edictum restaurandæ urbis causa exierit, a scriptore illius ætatis, sive Esdras is fuerit, sive Nehemias, expresso. II. Vossii ratio nititur vaticinio Jacobi Gen. XLIX, exitusque ejus a Judæis ante adventum Messiæ cognitio. Sed nec hanc aliquid ponderis habere ostendit Autor. Quamvis enim illustre illud ac splendidum de Christo adventuro vaticinium esse non diffiteatur, magnas tamen adhuc circa illud tum Judæorum, tum Christianorum ipsorum esse dissensiones; deinde, utut intellectum Jacobi oraculum, exitusque hujus inter Judæos tum fuerit cognitus, non sequi tamen, Sibyllina inde pendere oracula, eaque non alios quam Judæos habuisse autores. III. Vossii ratio ab Herodianis, eorumque secta, est arcessita. Scilicet cum vaticinia de Christo attributa Herodi fuerint, Herodianique eum pro Messia agnoverint, probabile ipsi visum est, Judæos carmina sub Sibyllarum nomine & scripsisse & propalasse. Sed Reiskius ex adverso ostendit, Herodianos non peculiarem fuisse sectam, sed partem potius Sadducææ hæreseos, eosq; Herodis fuisse domesticos sive asseclas; nec Herodem, tanquam ferocissimũ & atrocissimũ tyrannum, apud Judæos unquam pro Messia fuisse habitum; qua occasione & clarissimus Huetius refellitur, qui in Demonstratione Evangelica dicere non dubitarat, Herodem Christi nomen ac dignitatem impie sibi vindicasse, aut ab se novam Herodianorum sectam denominari passum. Neque enim ullibi hujus rei extat vestigium, quemadmodum nec illius assertionis, quam tertiæ huic rationi suæ Vossius addidit. Statuit autem, sectam Herodianorum, etiam eversis jam Hierosolymis, extinctaque Herodum familia & dominatione, mansisse superstitem, quin revixisse apud Judæos, & in Hispania quidem maxime, argumento a vocabulo *Mira*

apud

apud veteres Hispanos usitatæ desumpto. Nam Æra ipsi eadem est cum Hegira; Herodem autem a Judæis Hager h. e. proselytum seu peregrinum fuisse dictum. Verum hanc Vossii assertionem nulla genuina ratione ex historicis suffultam levi veluti flatu displodit Autor, ostendendo, Æram Latinum esse vocabulum, non Hebraicum. Nam rationum capita, quæ *æra* plurali numero dixere Lucilius & Cicero, Scriptores seculi IV circiter & quinti mutato genere *æras* appellasse; æram autem illam potissimum epocham fuisse dictam, quæ apud Hispanos ab imperio Augusti Cæsaris invaluit, annisque XXVIII natalem Christi antevertit; deinde Hegiram sexto demum seculo ab Arabibus fuisse introductam, fugamque illam denotare, qua Mahummedes, impostor ille orientis, ejectus e patria fuerat. Denique si vel maxime locum aliquem haberet hæc Vossii assertio, concludi tamen inde haud posse, carmina Sibyllina a Judæis composita fuisse ac quaquaversum divulgata. Rationibus Vossii sic eversis, speciatim in sequentibus ad alia respondet a Vossio nimis quam confidenter asserta. Nimirum cum persuasissimum penes se habeat Vossius, Sibyllina carmina ante natalem Christi a Judæis fuisse consuta, certum illis tempus audacter tribuit, illud scilicet, quo Hierosolyma occuparat Pompejus, h. e. LIX annis ante N. C. completaque LXII Danielis hebdomade. Sed peti τὸ ἐν ἀρχῇ reponit Autor. Nam illud in quæstione adhuc esse, an Judæi Sibyllinorum carminum autores fuerint? Posterius itaque æque ac prius esse adhucdum in dubio. Tametsi enim oraculum, teste Romana historia, ante natum Christum Romæ increbuerit, naturam populo Romano regem aliquem parturire, de autore tamen, loco item & tempore oraculi illius altum inter scriptores Romanos esse silentium. Quod Eclogam Virgilii IV attinet, in qua Cumææ vatis fit mentio (nam illam quoque pro se allegat Vossius, & verba Virgilii cum Sibyllinis comparata Christo, hujusque ortui late accommodat) ex ea quoque parum præsidii accedere, ostendit Autor. Et vero Ecloga illa XL annos ante natum Christum Asinio Pollioni, Romano Consuli, ejusque tum nato filiolo Salonino fuit dedicata, ostensumque jamdudum a Buchnero, Bœclero, & Rappolto nostro in peculiaribus dissertationibus, quam absona ea, quæ in Ecloga dicta continentur, ad Christum, matrem-

que ejus ac regnum perpetuum applicentur. Vindicato postea cap. XI ab accusationibus quibusdam Vossianis Casaubono, in cap. XII Clementem Alexandrinum refellit, qui Paulum Apostolum Sibyllina legere jussisse scripserat, quem & alibi non semel a sacris literis aberrasse, ideoque veterum pariter ac novorum censuram sustinuisse condocet. In cap. XIII plurimum Sibyllinis decedere omnino contendit, quod inter Apocryphos relati fuerint, deque his erudite admodum contra Vossium disserit. Cæterum cum negare nequeat Vossius, in libris, quos a Judæis ante natum Christum statuerat compositos ac evulgatos (partim sub patriarcharum & prophetarum, partim sub Hystaspis, Hermetis Trismegisti, Zoroastris, Sibyllarum, Orphei, aliorumque, quorum magna apud gentiles erat existimatio, nominibus) superstitiosa ac magica multa contineri, objectionem præventurus, Balaami, & Magorum exemplis ex historia nati Christi se tuetur. Nam Balaamum, incantatorem licet celeberrimũ, Christi mysteria clarius, quam Prophetarum quemquam, prædixisse; nec alius professionis fuisse Magos, qui Christum adoraturi venerant. Ast clarius Balaamum, quam cæteros Prophetas, de Christo fuisse vaticinatum, negat Autor; nihil enim prædixisse, nisi stellam ex Jacobo orituram, & sceptrum ex Israele surrecturum; dein Magos illos non fuisse præstigiatores vel hariolos, sed Persarum Philosophos, Astrologos inprimis ac Physicos, docet. In cap. XV Autor Sibyllinos libros tribus includit classibus. Primos ac vetustissimos vocat Tarquinianos, ab emtore scilicet Tarquinio, secundos seu medios Erythræos, tertios Christianos. Tarquinianos igne periisse ait, in Capitolino nempe incendio A. U. C. DC LXXI. His successisse Erythræos. Nam restaurato post septennium Capitolio, tres legatos ex SCto Erythras fuisse missos ad carmina Sibyllina, quæ extarent, conquirenda. Tertios tandem seu Christianos partim ante adventum Christi fuisse conscriptos, eosque e media classe esse reliquos, partim centum & viginti annis præterpropter post N. C. quam sententiam rationibus non unis Autor comprobat. Sed hæc ex parte libri hujus κατασκευαςικῇ excerpsisse sufficiat. Nam & reliquas Vossii assertiones, quibus sententiam suam coloratum ivit, solide, ut solet, doctissimus Autor a cap. XVI usque ad XXI diluit. In reliquis IV capitibus ἀνασκευαςικῶς tandem agit

agit de Sibyllinorum carminum autoribus,& cujus ea nobis debeant esse pretii. Horum autores, Clariss. Reiskio judice, alii Ethnici, iiq; utriusque sexus tum fœminæ, tum poetæ, qui Phœbadum responsa mox carminibus consignarunt (id enim ex Historia tam Græca, quam Romana constare;) alii Christiani, qui vel primo, vel secundo seculo post N. C. vixerint; quod vero mixta carmina attinet, h. e. ea, quæ divinas veteris Testamenti historias, aut vaticinia de Christo rebusque N. T. propriis complectuntur, eorum ipsos Ethnicos, Phœbades scilicet ac Poetas fuisse autores. Plagiarium enim egisse Dæmonem existimat cum maximis, quos allegat, viris, nec multa tantum gesta, sed & vaticinia Prophetarum, quæ ex sacro codice suffuratus sit, cum vatibus suis communicasse. Neque enim aliunde, quam ex divino fonte hauriri hæc talia potuisse; præsertim cum ex Pausania constet, Sibyllam Persicam sive Babylonicam consuetudine Hebræorum supra Palæstinam habitantium fuisse usam. Inter Christianos autem carminum Sibyllinorum autores alios esse orthodoxos, alios cacodoxos seu hæreticos, quales secundum quosdam Hermes & Montanus, Priscilla & Maximilla, Papias & Gnostici fuerint; id enim manifestissime ex libris hodiernis patere, nec deesse multorũ Eruditorum hac de re consensum; nec alia fini Sibyllinis carminibus alia a Christianis fuisse adsuta, quam ut vera religio inter Ethnicos tanto facilius admitteretur. Concidisse equidem jam tum, cum oracula adhuc vigerent, Sibyllinorum autoritatem, id quod ex Cicerone, Porphyrio aliisque probat; Patres tamen autoritatem horum contra paganos, tanquam argumentum πρὸς τόνδε ἢ κατ᾽ ἄνθρωπον usurpasse.

His exercitationibus suis Autor appendicem annexuit, cum argumento hactenus tractato apprime convenientem. Nam in hac de Sibyllis agit, & primum quidem, non abs re conqueritur, non nomen tantum Sibyllarum, sed & numerum adhuc incertum esse, ubi item & quo tempore quæque floruerint. Ostendit autem vocem Sibyllæ neque Latinæ nec Hebraicæ, sed Græcanicæ esse originis; dici enim Σίβυλλαν quasi Σιοβουλὴν h. e. Dei consilium; deinde non unam tantũ fuisse Sibyllam, quod Salmasius cum Petro Petito adstruxerat, sed plures fuisse, & tres quidem celebriores, Delphicam, Erythræam & Cumanam. De Cumana nummos duos argenteos ex Hub,

ex Hub. Golzio adducit, Sibyllinos ab eo appellatos, quibus caput fœminæ insculptum cum inscriptione: ΚΥΜΑΕΩΝ h. e. *Cumanorum*. Sed parum Sibyllini in hoc capite agnoscit Autor. Ex Tristano autem & Patino mox alium producit nummum æneum, qui in antica parte Commodum exhibet, incommodissimum Imperatorem, in altera COL. AUG. TROAD. cum muliere nuda, cujus corpus obliquum ac pronum, coma in nodum composita, pes dexter scabello innixus, manus dextera exserta laureum ramusculum tenens. Herophilen sic repræsentari in nummo non male suspicati sunt Duumviri jam dicti, antiquitatis nummariæ gnarissimi. Nec aliam in eodem agnoscit cum illis Reiskius, sex argumentis permotus. Et vero Herophile Sibylla non in petra tantum fuit vaticinata, laurumque in furore tenere in manu suevit, sed & in Alexandria Troadis fuit frequens, ut argumenta cætera ab eo allegata taceamus. Appendici huic dissertatio annexa reperitur de Nummo Sibyllino Imp. Commodi & Cumanorum. Sed ecce! hæc dissertatio plane eadem est cum antecedente Appendice, & iisdem verbis summariisque ac paragraphis per omnia repetita; quæ crambe bis cocta si non incuriæ typographi, certe correctori minus oculato adscribenda est. Nam duas plagulas bis fuisse impressas, semel quidem *Appendicis*, altera vice *Dissertationis* titulo, ipsa *αὐτοψία* lectorem quemq; edocet.

JOANNIS SAMUELIS SCHODERI GERMAni Franci de Publ. Virgilii Mar. editione luminosa, communi Juventutis sacrata bono Imaginum formis recens exhibita, Epistola præmonitoria ad Principes Juventutis summos Orbis Europæi observanter scripta &c.

Noribergæ, apud Leonardum Loschge, A. 1688.

HOmerum ac Virgilium Poetarum principes, illum quidem in Græca, hunc in Latina antiquitate Sapientiæ omnis, vel ut communiter audit, Philosophiæ fontes esse, nemo non eruditorum agnovit. Et Homerus quidem jam olim a Metrodoro, Stesimbroto, Longino, aliisque pluribus, uti ex Platone & Suida *Jacobus Duportus*,

portus, Gnomologiæ Homericæ autor observavit, tanquam Philosophus fuit repræsentatus. Virgilius etiam, quamvis & ipse Poeta tantum, si metra spectes, esse videatur: Philosophum tamen in Georgicis theoreticum agit vel Physicum, de cœli quippe ac terræ genio, de meteoris, de peste ejusq; causis, de equorum aliorumq; armentorū natura, deq; apibus quam eruditissime disserens; in Æneide vero Philosophum practicum; in Ænea siquidem uno & boni viri, & boni civis, & boni principis, & boni ducis ideam, imo virtutes omnes qua togatas, qua castrenses exacte delineat; ut non abs re dixerit Baptista Mantuanus in Apologetico suo: *Cum Virgilii Georgica legis, Philosophiam legis. Tota Æneis Ethica est; docet enim, quo pacto vir fortis omnes casus ferre debeat, quid in omni fortuna sentiendum, quid dicendum, quidve tenendum sit. Et magnus est in eo libro cæterisque similibus non eloquentiæ solum, sed omnis scientiæ sapientiæque thesaurus; & licet ista pueris tradantur, sunt tamen VIRILES SENILESQUE LECTIONES.* Quod ipsum quoq; ostendit clarissimus *Fellerus* noster, in Floribus Philosophicis ex Virgilio excerptis & A. 1682 Lipsiæ in 12 editis, quibus orationem a se A. 1678 ipso die Virgilii habitam, in qua Virgilius ut Philosophus repræsentatur, præfloravit. Nam in libello illo non dogmata tantum Physica ex Bucolicis & Georgicis, sed & ex libris XII Æneidos Ideam boni principis, imo Ethicam ac Politicam exhibuit. Nec aliorsum spectat Schoderi, quam hic sistimus, epistola præmonitoria ad Principes juventutis summos Europæi orbis scripta. Nam ostenso primum, nihil non in Homero & Virgilio, quod ad excelsæ virtutis studium excitandum pertineat, contineri; Virgilium post deinceps unice & quam enixissime commendat, ut qui in unico Ænea suo pietatem, justitiam, fortitudinem bellicam & gloriam militarem, verbo, excelsam quamque ac summis Principibus dignam virtutem exacte adumbraverit. Epistolam hanc præmonitoriam, satis copiosam ac prolixam & varia eruditione plenam, excipit *Peplus Virtutum Romanarum in Ænea Virgiliano, ejusque rebus fortiter gestis*; & primum quidem præmittuntur argumenta cujusque libri Æneidos Latino-Germanica. (Latinorum autem hactenus probatissimorum autor est Paulus Manutius, quæ Schoderus noster Germanice non infeliciter reddidit.) Sequuntur ad majorem antiquitatis & rerum lucem

(unde & hæc editio Virgilii luminosa in titulo dicitur) imagines elegantissimæ LI in ære renitentes rerum potiorum ac notabiliorum, in XII libris Æneidos descriptarum.

L' AMERIQUE ANGLOISE, &c.

sive:

Descriptio Insularum & Regionum Americanarum, Angliæ Regi subjectarum &c.

Amstelodami, apud Abr. Wolffgang, prope Bursam, A. 1688 in 12.

PRodiit hic liber Anglico primum idiomate, ab autore *Richardo Blome*, excitandis præcipue popularium suorum animis, quibus peregrinum natali solo potius est, aut benignius speratur, scriptus: ut translatis eo domiciliis, sub Anglico imperio, & juxta colonias ab hac natione hinc inde constitutas, sedem fortunarum suarum tanto impensius amarent collocare. Huic fini *Autor* eximie commendavit commoda, quæ novos ejus mundi colonos expectant: descriptis insuper regionum situ, cœli temperie; portubus, oppidis; fructibus, leguminibus, frumentis, herbis, radicibus, arboribus; pecoribus, feris, avibus, piscibus; politia, legibus, moribus, religione, ritibus, commerciis & numero veterũ novorumq; incolarum. Continentur autem hæ terræ, cum insulis, *Jamaica*, pluribus *Caraibicarum*, *astivis* sive *Bermudicis* & *Terra nova* (*Terraneuf*, *Neu Foundland*) tum continentis Americæ septentrionalis partibus, *Carolina*, *Virginia*, *Marylandia*, *Pensylvania*, *Nova Cæsarea* (*Neu Jersey*) *Novo Eboraco* & *Nova Anglia*. Harum plerarumque chartæ geographicæ Libello sunt insertæ, cæteris omnibus, quæ hucusque prodiere, *Autoris* effato, accuratiores; mendorum etiam immunes, quæ Anglicis exemplaribus irrepserant.

Quanquam vero primarium *Autoris* institutum est, eo commigraturos de rebus suis ibidem dextre constituendis edocere; plerorumque tamen ab eo commemoratorum cognitio nostrum etiam mundum incolentibus prodest, & vel historiæ naturali ac geographiæ, vel aliis vitæ communis usibus inservit. Horum complura, ex recentioribus scriptoribus, jamdum consignavit *Dapperus* in *America* sua; multa etiam *Robertus Morden* in *Geographia correcta*, Anglico

Anglice conscripta, & Londini anno 1680 edita: potiora nos ex *Autore* nostro strictim recensebimus.

Insularum prima describitur *Jamaica*, inter *Antillas* Sinui pag. 1.
Mexicano prætentas non ignobilis, ab Hispanis post *Columbum* habi- seqq.
tata, a Cromvvello anno 1655, ejectis pristinis colonis, Angliæ juris 28.
facta, indeque ab Anglis quiete possessa, & diversis coloniis exor- 30.
nata; maxime postquam submissis ex Anglia novis auxiliis, com- 33.
meatu, armis aliisque necessariis Insulæ prospectum est, Regisque Angliæ protectio accessit, quam eidem dotes & prærogativæ, quibus Jamaica quascunque alias Americanas regiones antecellit, & spes locupletandi regii fisci (huic enim brevi annuum censum centies mille librarum Anglicarum accessurum *Autor* pollicetur) facile conciliarunt.

Defert enim *Autor* huic Insulæ primas ex coloniis Anglicis,
ob summam soli fertilitatem; saluberrimam aeris temperiem, per- 4, 6.
petuo veri simillimam; immunitatem ab horrendis procellarum turbinibus (*Houragans*) & terræ motibus, qui circumjectas insulas
& continentes misere depopulantur. *Sacchari* tantus hic est pro- 16.
ventus, ut annuatim ejus ducenties mille pondo conficiantur; nec
exiguus *Zingiberis*, *Piperis*, *Tabaci*, *Gossypii*, *Indigo*, *Salis*, *Nitri*, 17.
Scutellarum testudinearum, *Lignorum tinctoriorum* diversorum, *Herbarum*, *Succorum* & *Lignorum medicinalium*; *Guaiaci*, *Sarsaparillæ*, *Ebeni*, *Cassiæ*, *Tamarindæ*, *Anisi*, *Aloes*, *Asæ fœtidæ*, *Acaciæ*, *Opobalsami*,
Concenillæ: speratur etiam, detectum iri mineras cupri & argenti- 21.
feras. Maximus tamen colonis quæstus est ex plantatione & cultura arboris, cujus fructus est nux *Cacao*, ex qua famosa hodie *Chocolata* conficitur: ita ut jugerum Batavicum hac arbore consitum cultori suo annuatim mille pondo ferat, quæ 40 libras sive 160 coro-
natos Anglicos valent. *Pecora*, *feras*, *aves*, *pisces* Insula magno 22.
alit numero; destituitur tamen *leporibus*, *cervis*, & fere *venenatis* 24.
plantis & *animalibus*. *Noxiarum ferarum* solus prope *Crocodilus* in- 25.
sulanis, nec hominibus tamen æque ac bestiis, infestus est: at hæ 26. 183.
ipsæ odore testiculorum ejus, supra moschum fragrantissimo, & ad centum usque passus pertingente, instinctu naturali admonitæ, a vicino sibi hoste facile cavent: ipse vero damna subinde illata adipe suo, leniendis juncturarum dorsique internis doloribus præsentissi-

pag. 27. mo remedio abunde compensat. *Morbos* Jamaica cum Angliæ communes habet: præcipue *hydrops* & *febres* incolis sunt familiares, desidia tamen & intemperantia utplurimum contractæ: hæ etiam, utcunque acutæ, raro letales deprehenduntur.
27. *Horti* & *viridaria* floribus elegantissimis superbiunt, & oleribus, herbis medicinalibus, leguminibus & fructibus quibusvis sunt prægnantissima.
11. seqq. *Urbes* Insulæ, Hispanis rerum potientibus, fuere diversæ; Angli hodie tres præcipuas incolunt, *Sancti Jacobi*, *Portum Regalem*, *Trajectum* (*Passage*) & sub curiis ac magistratibus suis legibus vivunt Anglicis conformibus.

Jamaicam insequuntur *Caraibicæ* decem: *Barbados*, *Sancti Christophori*, *Mevis*, *Antego*, *S. Vincentii*, *Dominici*, *Montisserrati*, *Anguilla*, *Barbada*, *Tabaci*; pleræque facchari, gossypii, indigo &
36. zingiberis feraces. Princeps earum est *Barbados* (*Barbade*, *Bar-*
37. *bades*) sub latitudine boreali 13°. 20′, a *Guilielmo Curteenio*, tempestate ad hanc insulam rejecto, sub Jacobi I. imperio detecta, &
53. Anglis eo evocatis incoli cœpta; hodie ita frequens, ut domicilia per totam insulam sparsa unam verius civitatem, quam diversas colonias referant. *Supra memoratarum mercium* adeo ferax est, ut onerandis annuatim ducentis circiter navibus sufficiant. Octo leucas in longum, quinque in latum extenditur, & quinquaginta
36. millibus *hominum* inhabitatur; præter mancipia ex Nigritis (gen-
47. tilibus) quorum duplus est numerus *Mordenio*, at conditio juxta *Autorem* miserrima: tolerabilior tamen servitiorum Christianorum,
40. qui quinquennio elapso sui juris redduntur. *Commercia* hic solis
38, 41. Anglis aut Regi Angliæ subditis patent. *Cæli temperies* caloris est intensi at simul humidissimi, ut ferramenta, ni continue exerceantur, rubigo protinus erodat.
43. Ex *Insectis* Autor *scorpiones* & *mu-*
53. *sca noctiluca* genus *Cucuyos*, itineribus non solum noctu conficiendis, sed & lectioni scriptionique per tenebras inserviens hic memo-
46. rat, soricum magnitudine, sed penitus innoxios; *testudines* vero *marinas*, ubi cultrum in cædem suam stringi videant, profundos
53. edere gemitus, & lachrymas profundere largissimas. Mentione *sacchari* toto hinc inde libro repetita, curiosis commendat *Richardi Ligonis descriptionem hujus insulæ*, in quo natura cannæ saccharinæ, ejus colendæ, conficiendique facchari ratio, & quæ huc spectant, accurate exponantur.

S. Christo-

S. Christophori insulam, aquis fontibusque calidis & sulphureis divitem, Angli & Galli, sub auspiciis regum suorum, eodem anni 1625 die intravere; eandemque inter se partiti, primariis indigenarum, metu conjurationis de expellendis hospitibus cum Hispanis initæ comprehensis, cæteros decedere patria, & in vicinas insulas commigrare coegerunt: ingenti classe Hispanorum quadriennio post frustra connitente utramque nationem colonia hac sua dejicere. Est hæc patria bellissimæ aviculæ odoriferæ *Tomineii* (*Colibry*, *Hummingbort*) cujus descriptio quædam supplet, clarissimo *Willoughbeio* Ornithologiæ p. 165 circa hoc naturæ miraculum omissa. pag. 54. 56. 58. 62.

Mevis (*Nevis*, *Nievis*) *Muscicapam* (*Flycatcher*) producit, animalculum quadrupes pulcherrimum, adeo cicur, ut prædam suam super mensa prandentium, & manibus vestibusque hominum persequatur. Pellicula integitur velut ex auro argentoque contexta, viridi aliisque coloribus venuste intermixtis. Mortuo formæ perit gratia, & in pallorem mutatur: cæterum chamæleonti geminum est, colores enim adsciscit earum rerum, quibus insidet. 64. 70.

Antego canes seu *lupi marini* nobilitant, immanissimi hominum pisciumque devoratores; quorum tamen cerebrum calculo renum salutariter medetur: commendatior autem est ab avium formosissima *Canada*, *Willoughbeio*, quod mirum, non descripta. Magnitudine ea est phasiani, subtus alas, & in ventre, collo & pectore colorem vibrans auroræ undulantis: dorsum mediæque alæ cœruleum serenum æmulantur; alarum vero pennæ remiges & cauda carneo rubore splendidissimo cyaneum dorsum interstinguunt, thalassinis insuper, nigrolucentibus, luteis, sapphirinisque plumis mire variegatæ. Longe vero maxima capitis est pulchritudo, cujus plumea lanugo fusca, prasino, luteo, croceo & subcœruleo colore venuste tessellata est, rostro maculis undulantibus picto: e candidis oculorum ciliis pupilla flavorubea bellissima, carbunculi instar ex auro, emicat; cristaque plumatilis cinnabarinominiata carbonis accensi fulgorem referens, & plumulis gemmei coloris fasciata vertici supereminet. 72. 73. 77.

S. Vincentii & *Dominici* paucis Anglis, pluribus Caraibis sive Canibalibus habitantur, quorum mores simplices ferosque, quippe qui 78.

hostium captivorum carnibus vescuntur, *Autor* describit, dudum
pag. 93. aliis memoratos. Posterioris incolas *Arovaguas* a *castitate* eximia
94. extollit: dolens tamen pravis exterorum Christianorum exemplis corruptos, a prisca virtute hodie descivisse, factosque insignes scortatores.

175. *Montisserrati* insula Irlandorum colonia oram maritimam
176. frequentem habet a *monstris marinis*, *Diabolo marino*, cujus caro venenatæ qualitatis atroces vomitus provocat, & animi deliquia letalia; *unicornu* itidem *marino*, tantæ magnitudinis, ut caro ejus delicati saporis cibandis trecentis hominibus sufficiat.

179. *Anguilla*, *Tabacum* optimæ omnium notæ profert. *Aprorum*
180. speciem alit, umbilicum & spiraculum narium loco in dorso habens,
181. ob quod infatigabilis cursus & capturæ difficillimæ habetur. Sunt & hic sorices moschati, quorum odor in melancholiam conjicere perhibetur.

184. *Barbada* (*Barbude*) incursionibus Canibalum infesta est, & ob hanc causam parum frequentatur: cæteroqui plurimorum terræ nascentium feracissima; quæ, ut & cæterarum insularum regionumque enumerare nimis longum, & præter institutum nostrum foret.

314. Ultima, omniumque meridionalissima *Tabago*, cœli mitissi-
318. mi, continuis auræ flabris æstum Solis temperantibus, legumina & fructus varios toto anno profert. *Aprorum* tantus hic est numerus, ut quamvis quotannis ad minimum 20000 occidantur, exci-
319. di tamen arte nulla queant. Inveniuntur etiam *cuniculi* pellis odo-
311. riferæ, & *vaccæ marinæ* (quarum dentes paria cum unicornu facere
319. juxta Autorem creduntur) prodigiosæ magnitudinis, libras 1200 pendentes; cochlearum item genus, quarum pinguedo vulnerum ex venenatis sagittis excellens est remedium; & *testudines virides*, quas *piscem divinum* physicos appellare *Autor* affirmat, ob insignem
328. virtutem alexipharmacam, inque curanda gonorrhœa, tremore & lue venerea. Donata est hæc insula a Carolo secundo proxime defuncto Angliæ Rege Jacobo Curlandiæ Duci, qui partem ejus aliquam, 120000 jugera, Johanni Poyntz sociisque ejus hæreditario jure concessit. Conditiones & privilegia, quibus a præfato Duce dictæ Societati colonia ista permissa est; & hæc vicissim partem ejus, vel emtionis vel conductionis jure, eo migraturis assignet, quibusq;
com-

commercia eo instituta gaudeant immunitatibus, quidq; commodi, luculentissimi sane, polliceri sibi advenæ ibidem possint, *Autor* noster fusius persequitur.

Post Caraibicas sunt Insulæ *Bermudes* sive *Æstiva*, a continenti *Carolina* 300 leucis ortum versus distantes: ab inventoribus *Joanne Bermuda* & *Georgio Summers* Anglo nomen sortitæ, numero 400, binis per annum messibus supra modum fertiles. Stupendam hic *avium varietatem & numerum* deprehendit *Summerus*, spatioque trium horarum earum plus quam mille species cepit. Destituitur insula *fontibus* & *fluviis*, sed & *venenatis animalibus*. *Aeris serena temperies* longævos reddit incolas, ut solo fere senio confecti moriantur. Angli eandem, diversis ab anno 1612 coloniis deductis, in certas tribus divisas hodie tenent. pag. 190. 191. 192, 193.

Terra nova, ab Anglia sexcentis leucis distans, æqualis cum ea magnitudinis censetur, & a Nova Francia angusto freto disjungitur. *Portubus sinubusque* præstantissimis instructa est: ab ortu vero *Syrti* vallatur trecentorum millium longitudine, quam minores *insulæ* circumcingunt, a *copia testudinum*, quæ navibus accessum intercipere perhibentur, onerandisque quadringentis navigiis quotannis sufficiunt, *los Boocaloos* cognominatæ. Sebastiano Caboto primo detecta est vergente seculo decimo quinto: post a diversis subinde repetita nationibus; hodie Angli eam sibi vendicarunt. Sani *climatis* prædicatur; utut brumæ nimius rigor æstiviq; calores intensi plus satis incolis incommodent. *Indigenæ* incantationibus sunt dediti, filiabusq; suis ab anno decimo quarto vagas libidines permittunt, quæ quinis aut sex annis sic peractis, maritum quem libet deligunt, quo cum reliquam ætatem caste transigunt, sola huic divortii libertate ob sterilitatem relicta. Semen rapi hic prognatum, catholicum adversus scorbuti labem remedium Angli eo appellentes experti sunt. 304. 311. 305. 309. 308. 310.

Continentis Americæ Anglicæ provincia australissima est *Carolina*, pars Floridæ meridionalior Virginiæ contermina, a 29 ad 36 lat. boreæ gradum porrecta, secundum *Autorem*, ortum occasumque versus oceanis, Atlantico & pacifico, alluitur. A defuncto Angliæ Rege Carolo secundo, cujus nomen gerit, diversis Angliæ Optimatibus, Clarendoniæ Comiti Angliæ Cancellario, Albemarliæ 195. 195, 211.

bemarliæ Duci &c. anno 1663 amplissima cum potestate tradita, horum ope sumtuque *duabus coloniis* firmata est. Primam *Albemar-*
pag. 197. *liam* prope fluvium cognominem, ad boream latusque Virginiæ, anno 1670 deduxere, colonis primum omni commeatu cæterisque necessitatibus adjutis, qui nunc temporis quarumvis rerum copia affluunt. Præstat ea aeris sanitate, ubertate terræ nascentium, & hyemis mollitie vicina Virginia; cui cæteroquin soli genio aliisque
98. naturæ dotibus utplurimum respondet. Altera sub lat. 32° ad confluentes fluviorum Ashley & Cooper excitato anno 1680 oppido *Carolovilla* (*Charles Toron*) exornatur, cujus cives fortuna propitia indies proficiunt.

200. Commendatur Provincia ab auræ salubritate, ob quam primis novem coloniæ annis nonnisi senex 75 annorum fatis functus est, plures affectæ valetudinis & animam agentes, postquam eo perve-
201. nerunt, reconvaluere. Magna *cervorum* pascitur hic copia, ut uno die venator Indus facile novem configat, eximio Anglorum commodo. Solent enim ejusmodi venatorem conducere colonorum præcipui, annuo viginti solidorum seu libræ Anglicæ salario, qui familiæ quantumvis numerosæ, de ferina prædaque aviaria delica-
203. tiori abunde valet prospicere. *Indigenis* optime cum Anglis convenit; suntq; illi ingenii festivi, honestatis amantes, & frugi ac mediocri sorte contenti; cætera bellicosi & inter se continuis bellis exerciti. Deum venerantur unũ, sed cui res humanæ curæ non sint, inferiori-
204. busq; Diis (bonis malisque spiritibus) demandentur. Sunt & hic *Viperæ caudisonæ*, de quibus in Actis A.1684. p.138 diximus: quarũ quæ-
208. dam duas cum semisse ulnas longa, cubitum humanũ crassa, integrũ deglutivisse sciurum deprehensa est: narrant vero Indi, insidiari istud genus innoxio huic animalculo, obtutuq;, si quod super arbore conspiciat, in id defixo, idem ita conterrefacere, ut in terram sponte delapsum, ad fauces hostis prædæ suæ inhiantis se provolvat. Feles etiam sylvestres subflavorutilæ ferocissimæ cervos in sylvis hic venantur: de ramis enim arborum subtercurrentis cervi dorso insiliunt, eique mordicus inhærentes, sanguinem tamdiu exsugunt, donec viribus defectus concidat: harum pelles in pretio habentur,
207. carnibus vero indigenæ vescuntur. Ex uvis cum sponte hic nascentibus quinque diversorum generum, tum vitium exoticarum

Rhenen-

Rhenensium, Gallicarum, Canariensium, Moschatarum, Hispanicarum, Madericarum vinum exprimitur generosum.

Carolinæ boream versus adjacens *Virginia*, ad eandem plagam *Marylandiæ* conjungitur. Varia eam fortuna per annos complures Angli tentaverunt, priusquam fixam in ea sedem constituerent: hodie in novendecim *comitatus* divisa, sub Gubernatore *Howardo* Dynasta *Effinghamio*, 40000 Anglorum circiter habitatur. Genium provinciæ quæque huc spectant, cum diaria expeditionum nauticarum, rerumque Americanarum scriptores dudum consignaverint, supervacuum foret ex *Autore* huc repetere. pag. 231. 245.

Marylandia a Virginia (cui per omnia fere similis est) fluvio Patovvmeck distinguitur, intra 37 & 40 latitudinis, ad septentrionem Pensylvania; ad ortum Oceano Atlantico & fluvio Delavvare clauditur: mediam sinus Chesapeack intersecat. *Climatis* est Anglis convenientissimi, nec æstu nec brumæ nimio rigore advenis gravis; quorum pauci inde a primo eorum ingressu morbis regioni familiaribus extincti sunt. *Indigenarum* mores, habitus, religio &c. Virginianis sunt conformes. Provinciam jure hæreditario ab Angliæ Rege A. 1632 acceptam Cæcilius Calvertus Dynasta Baltemorius tenet, & libertate conscientiæ incolis indulta amplificare studet. *Comitatibus* decem, quibus continetur, sedecim millia colonorum numerat. Inter *oppida* hinc inde extructa *S. Mariæ* eminet, ad fluvium S. Georgii situm, dicasterii & conventuum provincialium sedes. 249. 250. 251. 254. 255. 256.

Novam Cæsaream fluvius Delavvare a Marylandia & Pensylvania sejungit, qui cum Oceano & fluvio Hudsonis totam fere intra 39 & 41 lat. gradum circumcingit. Et hanc Angliæ Rex anno 1672 quibusdam subditorum suorum concessit. Angliam fertilitate soli superare censetur, cujus *fructus* & pleraque alia terræ nascentia longe præstantius hic proveniunt: *arboribus* ita plerumque prægnantibus, ut fructuum onere rami a trunco revellantur. *Persica*, quæ racematim crescunt, saporis suavissimi perhibentur. Terram quam Angli colunt, ab indigenis redimunt; quos eapropter ad officia quævis, capiendas præcipue feras, aves & pisces, promtissimos amicissimosque experiuntur. 94. 104.

Cæsareæ borealiori ad latus occiduum, tenus fluvium Delavvare, 106.

vvare, eſt *Penſylvania* a 40 ad 43° borealis lat. porrecta, & in lon-
gum quinq; gradus occupans: olim Virginiæ accenſa, nunc peculia-
pag. 107. ris provinciæ jure, ſub hoc titulo & his limitibus, a Carolo ſecundo A.
1681 *Guilielmo Penn* donata eſt, & ampliſſima cum poteſtate, quam
115, 135. literæ regiæ explicant, permiſſa. *Aeris* eſt ſereni, & gratæ tempe-
riei; æſtas tamen longior & intenſior, hyems brevior & aliquando
rigidior, quam Angliæ. Solum non inferioris bonitatis atque ſub
pari latitudine, puta Monſpelii & Neapoleos, Europæum eſſe ſolet.

116, 137, Ex *arboribus* fert Quercus, Cedros, Moros, Caſtaneas, Nu-
172. ces, Abietes, Cupreſſos, Fraxinos, Fagos, Populos, Saſſafras;
Meſpilum, Prunum, Malum Perſicum, Vitem. *Sylvæ* hic abundant
avibus, Phaſianis, Perdicibus, Palumbis & Gallinis Indicis prodigioſæ
140. magnitudinis & pondere 50 librarum; *flumina*, quorum inſignis
116, 140. copia, piſcibus, Sturione, Aloſa, Anguilla, Aburno, Raia, Mulla,
Trutta, Salmone, Balenis, Cancris, Oſtreis, Teſtudinibus; ut & Cy-
gnis, Anſeribus, Anatibus, Fulicis. *Fructus* cum Anglia Italiaque
172. communes habet: *frumenti*, tritici, ſecalis, hordei, avenæ uber-
116, 139. rimus proventus, & meſſis ſexagecuplum, plus minus, ſeminis re-
ferens, de Indico frumento quadringentuplum: atque inde anno-
117, 140, næ vilitas & pretia rerum modica. Ex *feris* Alces, Cervi, Capreæ,
173. Pantheræ, Lupi, Vulpes, Caſtores, Lutræ, Feles Sylveſtres, Martes,
Sorices odoriferi numeroſi, alimentis partim, partim aliis inhabi-
tantium commodis ſerviunt.

118. Commerciis inſtituendis Penſylvania præter memorata ſup-
peditat ſericum, crocum, oleum, tabacum, linum, cannabin, ru-
biam, glycyrrhizam, herbas tinctorias, cineres ſaponi conficiendo,
138. ferrum: uvæ etiam Frontiniacis ſapore vix concedentes, vinum
cultoribus pollicentur, nulli Europæorum ſecundum.

143. *Indigenæ* ſtaturæ ſunt juſtæ, inceſſus firmi & decentis, vultu ere-
cto, oculis parvis & nigris: labiorum prominentium & naſi de-
preſſi raro inter eos deprehenduntur. Faciei in utroque ſexu non
minor ſæpe venuſtas, quam apud Europæos. Atrum colorem ex
unctura adipis urſini ſibi contrahunt, cæteroquin Italis non nigrio-
res. *Lingua* eorum maſcula, conciſa, aſtricta, & plena energiæ,
Hebrææ multum affinis eſt. Voce una expreſſa plures premunt,
audientis intellectu ſupplendas. Deficit in temporibus, modis,
parti-

participiis & cæteris orationis partibus; sublimitate tamen & dulcedine Europæis omnibus Autori præfertur. *Mares* ad annum 15 piscaturæ, inde ad 18 venationi incumbunt: post fortitudinis & virium experimentis editis conjugio digni habentur, sine quibus infamiæ censetur uxorem solicitare. *Puellæ* matres in cultura agrorum adjuvant, mature etiam artificio alicui assuescunt, cui toto dein vitæ tempore mancipantur; anno ætatis 14 circiter nuptũ dantur, Quædam earum corpore quæstum facientes dotem colligunt, postea conjugatæ adeo continentes, ut gravidæ maritis porro non cohabitent, nisi mense post puerperium exacto. *Domicilia* sua ex corticibus arborum aut storeis parant, palisque fulciunt. *Torus* arundine aut gramine insternitur. *Cibum* ex frumento Indico diversimode præparato, mane & vesperi sumunt. *Potui* indulgere exemplis advenarum edocti, generosiorem tam impense amant, ut pretiosissima quæ possident eodem permutent. Cæterum liberales sunt, mobilis animi, affectuum vehementium, sed minime durabilium; sensus suos apprime norunt premere, & vindictæ sunt cupidi. Laboris diuturni impatientes, choreis & lætitiæ student; divitias parum pensi habent, pauxillo contenti, quod ex venatione & piscatura consequuntur. *Deum credunt*, animæque immortalitatem; illumque in regione australi fortunatissima vivere, eoque animas proborum commigrare. *Religio* eorum consistit in oblationibus primitiarum & cervi pinguis, cantationibusque. *Regulis* gubernantur, quorum succesio per stemma maternum continuatur, ut regi non filii succedant, sed vel frater uterinus, vel sororis filius: cavendo scilicet spuriorum regimini. *Delicta* iis mulcta pecuniaria luuntur, habita ratione sexus & dignitatis offensæ personæ; ita ut injuria fœminæ illata duplo æstimetur. *Originis Judaicæ* Autori creduntur, & ex reliquiis decem tribuum Israelis descendere: quod, præcipue liberi eorum, facie cum Judæis exacte conveniant; quodque ceremonias & consuetudines complures cum Judæis communes habeant: tempora enim per Lunas numerant, primitias fructuum offerunt, speciem habent festi tabernaculorum, altaria ex duodecim lapidibus construunt, luctum annuo tempore absolvunt &c.

[Margin notes: pag. 145. / 146. / 149. / 150. / 148. / 151. / 152. / 155. / 156.]

Primi *Europaeorum* hanc regionem frequentarunt *Batavi*; 157.

U 2 post

post *Sueci*, *Finnique*: *illi* sinum Chesapeack accolentes, mercaturæ;
160. 167. *hi* tenus litora fluvii Delavvare, agriculturæ potissimum dediti.
His postea *Angli* accessere, qui hodie primas ibi tenent. Quo successu vero Pennius novique ejus coloni provinciam habitare cœperint;
164. quæ forma & conditio urbis Philadelphiæ ibidem novissime
121. extructæ; quod genus hominum artificumque incolendæ huic ter-
122. ræ maxime accommodum; quo sumtu illuc transvehantur, quibus-
119. 125. que rebus instructi esse debeant peregrinatores; quæ conditiones acquirendæ possessionis aut conducendorum agrorum; quid-
128. que generaliter legibus, Consilio Status & in Comitiis provincialibus pactis, cautum sit, *Autor* Lectorem pluribus instruit.

256. Pensylvaniæ ad septentrionem sed magis ortum versus adjacet *Novum Eboracum*, Jacobo II Angliæ Regi, cum adhuc Dux Eboracensis esset, a fratre concessum. Pars est Novæ Angliæ, fluviis Hudsonis & Connecticut interjecta. Vendiderat eam Batavis Hudsonius anno 1608, neglecta Regis Angliæ autoritate, a quibus *Germania Inferior Nova* (*Nieu Neederland*) cognominata est: sed armis eam repetiere Angli, pulsis inde anno 1664 Batavis, & coloniis eorum occupatis. Mutata inde coloniarum nomina, ut quæ olim *Novum Amstelodamum* Batavis nuncupabatur, hodie *Novum Eboracum*; quæ tum *Villa Auriaca*, ad fontes fluminis Hudsonii, nunc *Nova Albania* audiat. Rerum adeo ibidem hoc tempore Angli potiuntur, paribus ac in Marylandia commoditatibus & soli bonitate
258. gaudentes: nam & hic messis frumentorum centuplum cultoribus præstat.

267. Extrema Continentis Anglicanæ boream versus *Nova Anglia* intra 40 & 45 gradum latitudinis tenditur: a *Sebastiano Caboto*, uti reliqua Americæ septentrionalis ora maritima, primum detecta; sed integro fere post eum seculo ab Anglis, Elisabethæ reginæ auspiciis, repetita. Ab ortu & meridie mari Atlantico alluitur; Novo Eboraco vero ad occasum, & ad septentrionem Novæ Franciæ con-
268. jungitur. Aliis eandem limitibus *Autor*, sed parum congrue, circumscribit; nisi Interpretis lapsus is censeri debet. *Cœli temperies* hic varia est & inconstans, secus atque sub iisdem per Europam parallelis solet; aer tamen salubris, & genio Anglorum apprime conve-

conveniens. Diversis *populis* inhabitatur, quorum originem *Autor* ad Tartaros Samoiedos, Russis vicinos, refert, eorumque linguam dialectum Tartaricam arbitratur. Aquam, Ignem, Fulgura, Tonitrua, Tormenta bellica, Equos, aliaque, a quibus sibi metuunt, *divino cultu* prosequuntur; *supremi* vero *Numinis* loco Diabolum venerantur, quem *Okee* appellant. Christianæ religionis osores sunt pertinacissimi; inconstantis præterea animi, & meticulosi, iracundi & injuriarum tenacissimi; immanes etiam carnium humanarum edones. Sagittandi peritia excellunt, adeo valido ictu, ut hominem per medias scapulas trajiciant. Pro viribus corporum duas tresve *uxores* sibi sociant, quæ nullo pene labore partus suos enituntur. Liberis, parentibusque nimium indulgent; hos tamen senio confectos vel inedia necant, vel vivos defodiunt. *Terra nascentia*, & *animalia* communia fere habet cum vicinis regionibus. *Anglis* hodie magno numero incolitur, quibus validæ hic sunt plurimæque coloniæ, diversis oppidis, quorum princeps *Bostonia* vocatur, exornatæ. *Regimen Anglorum ecclesiasticum* & *civile* est penes Independentes & Presbyterianos. Indos incolas hi advenæ iniquiores, quin infensissimos identidem hostes sunt experti. Casus eorum varios, & belli pacisque negotia, quæ utrique nationi intercessere, Autor describit: ex quo tamen non satis constat, amiciusne hodie, atque olim utriusque gentis incolæ inter se degant.

pag. 296. 270. 277. 297. 272. 298. 299. 301. 302. 272.

HISTOIRE DES VARIATIONS DES EGLISES Protestantes, par Messire Jacques Benigne Bossuet &c. Tome second. i. e.

Jacobi Benigni Bossueti Meldensis Episcopi &c. de Variationibus Protestantium Ecclesiarum, Tomus Secundus.

Juxta exemplar Parisiense, 1688 in 12.

De primo Operis hujus tomo, Illustrissimique Autoris instituto, mense Februario pag. 65. seqq. diximus. Secundi, quem nunc sistimus, tomi *libro primo* (operis nono) ab anno 1561 inchoato, *Johannis Calvini* ingenium & doctrina describitur, & in quibus pun-

ctis a Luthero dissenserit, indicatur; nempe in dogmate de certitudine salutis & inamissibilitate gratiæ, itemque de necessitate Baptismi ad infantum salutem non exigendi. In his argutius quam Lutherus disputasse dicitur, sed & majoribus difficultatibus sese implicuisse. Refertur inde, ut in articulo de præsentia Christi in Sacra-
n. 24. sqq. mento non supra Lutherum saltem, sed & Zvinglium & socios sapere voluerit. Mediam enim quæsivisse inter illorum & Romano-Catholicorum sententiam, & ita aliquando locutum, ac si præsentiam per se & absque fidei interventu, adeoque ineffabilem & mira-
n. 57. 62. culosam admitteret; alibi autem & inprimis cum contra Lutheranos scriberet, ista enervasse. Itaque desertam ejus subtilitatem a discipulis, & quæ de substantia Christi in cœna præsentis, grandibus verbis jactasset, ita explicata, aut ab ipso potius non aliter intellecta fuisse, quam ut fides ipsum Christum, non alium, pro objecto
n. 68. apprehenderet. Taxat postea superbiam & ambitionem hominis acriorem, quam Lutheri; hunc enim impetu quodam, illum pervi-
n. 82. cacius & meditatum peccasse. De variationibus ejus, maxime in articulo de S. Cœna, exempla ex conscriptis ab eo confessionibus ad-
n. 86. 87. ducuntur. Ad colloquium Possiacenum non accessisse dicitur, ne austeritate & fervore suo partibus noceret. Multa ex illius collo-
n. 91. sqq. quii historia annotantur, inter alia de *Cardinale Lotharingo*, *Montlucio Valentiæ Episcopo*, *Espencæo*, *Beza*, aliisque, quorum & dotes & nævi memorantur, Reformatorum maxime, quibus omnibus callida hypocrisis imputatur, quod Augustanæ confessioni subscripturos se esse simulaverint, excepto Artic. X; quanquam & hunc aliquando admissuros se esse dictitassent, dum Germanorum benevolentiam captare vellent.

Libro X ab anno 1558 ad 1570 de variationibus in Reformatione Anglicana agitur, circa articulum de præsentia in Sacramento Cœnæ. Improbatur arrogatus reluctanti Elisabethæ Reginæ primatus Ecclesiæ, & Parlamentis jus decidendi de sacris controversiis. Utitur hic aliquatenus Autor D. *Burneti* testimoniis, & dogma de
n. 22. inamissibilitate gratiæ ab Anglis rejectum esse statuit. Regressus inde ad res Gallicas, tumultus & rebelliones omnes Reformatis, non ut privatis & impetu agentibus, sed ut proceribus & Ecclesiastis in Synodis decernentibus imputat multis argumentis, refutatque

Burne-

Burnetum (cui magnam Gallicæ historiæ imperitiam objicit) & n.42.sqq.
Jurium, ita ut spiritum violentiæ religioni reformatæ naturalem esse putet, exempla sævitiæ allegans, qua in Catholicos in Gallia n 49.
grassati sint; quæ tamen reticere se voluisse ait, nisi exules Galli querelis de Catholicorum rigore totam Europam implerent. Calvini mortem narrans, placidam fuisse non negat, neque tamen illum divino judicio subtrahit, quod excitata hæresis flamma, quam tan- 57.
ta illius causa effusa sanguinis copia extinguere nequiverit, promeritus fuerit. Renovatam iterum A. 1566 Helvetiorum confessionem, & tunc primum, ut putat, receptum de justitia imputativa dogma sugillat, cum aliis ejusdem articulis, maxime de S. cœna, 59.66.97.
in quo tamen sinceros præ aliis Helvetios agnoscit, quod figuratum sensum satis aperte profiteantur. Polonos in confessionibus suis 68.
& unionis cum Lutheranis tractatibus confusius egisse, & in erro- 69.
rem de ubiquitate delapsos esse arguit.

Liber XI cæteris prolixior, Albigensium, Valdensium, Viclefidarum, Hussitarum & Fratrum, qui dicuntur, Bohemorum historiam haud vulgari modo exhibet, magnamque illustris scriptoris peritiam probat. Id vero hac digressione agit, ut Protestantibus adminiculum omne eripiat, quod ex istarum sectarum consensu quærere aliquando voluerunt, (errore, si probari potest, facti, non doctrinæ.) Ostendit autem, *Albigenses* crassissimis Manichæorũ erroribus, ex Oriente in Bulgariam barbarasq; illius tractus gentes, & inde in Occidentem & Gallias invectis deditos fuisse. Autores allegat contemporaneos, & qui nulla ratione suspecti haberi possint, ex quibus deducit, Albigenses duo principia statuisse, conjugia improbasse, Sacramenta sprevisse, aut infando modo administrasse, & Christi incarnationem negasse; varia etiam nomina eorum refert, inter quæ usitatissimum erat *Catharorum*, unde Germanicum Ketzer formatum est: puros enim se esse jactabant. *Valdenses* ab illis quidem abominationibus absolvit, & ab initio nihil 71.
in religione Catholica mutasse dicit, quam ut paupertatem promiscuam & communionem bonorum, ut necessariam ad salutem requirerent; postea vero in alios etiam errores incidisse, difficulter detectos, quia pari cum Albigensibus astu, cultum Catholicum per hypocrisin retinuissent, magnamque morum probitatem in speciem

servas-

servassent; Donatismum etiam communem cum illis habuisse asseverat.
n.152. *Viclefi* perversa dogmata, nec Protestantibus probata, ex
libro ejus qui *Dialogus* inscribitur, recenset. De *Husso* nota fere
161. narrat, laudato Laroquio, nupero ex Gallis scriptore reformato. Negat Viclefum & Hussum de S. cœna sensisse, quæ Reformati profitentur, uti nec Valdenses; Albigenses vero plane allegari non debere, cum Sacramentum cœnæ pro ludibrio habuerint. Hussum ad
172. mortem usque Missas celebrasse, ejusque propaginem fratres Bohemos fuisse, homines nempe plebejos, qui se post compositam cum Bohemis de communione sub utraque litem, a proceribus & maxime a Rockezano ejusque sectatoribus, qui Calixtini dicebantur, separaverint. Irridet igitur Protestantes, qui sectarios illos pro antecessoribus suis venditent, in hoc uno saltem concordantes, quod Pontificem Romanum ut AntiChristum diffamaverint. Addit explicationem vaticinii Apostolici I. Tim. IV, 1, idque ad Mani-
200. chæismum accommodat, quod Protestantes de Anti-Christo Romano interpretari solent.

Libro XII ex gestis annorum 1571 ad 1579, & A. 1603 ad 1611, Reformatorum in Gallia variationes elicit, inde maxime, quod articulum de cœna ad exemplum Polonorum cum Lutheranis in concordiam, in Synodo Rupellæ anno 1571 præside Beza habita, deducere voluerint, sed Helvetiorum offensas veriti ab instituto postea recesserint: in quorum gratiam formulam de substantia, Rupellæ
10. 11. licet probatam, anno sequenti in Synodo Nemausensi denuo correxerint. Referuntur postmodum acta conventus Francofurtensis
14. inter Reformatos A. 1577, procurante *Johanne Casimiro* Principe Palatino, celebrati, in quo iterum cum Lutheranis conventionem studiose, sed frustra quæsiverint. Inprimis improbat, quod A. 1578 mutandæ confessionis facultatem Synodico decreto quatuor Theologis, sub *Vice-Comitis Turennii* directione detulerint. Taxat Bel-
9. garum literas ad Lutheranos A. 1579. datas, in quibus *Lutherum &*
22. *Melanchthonem* pro sanctis patribus suis agnoverint, cum *Capitone*, *Bucero*, *Bullingero* & *Calvino*. Decretum quoque Charentonense in censuram vocat, quo A. 1631. Lutheranis communionem suam
27. obtulerint. Sequitur narratio de opinione singulari *Johannis Piscatoris*, de justitia & satisfactione Christi. Professor is celebris inter

inter suos *Herbornæ* fuit, quod est Nassovicæ ditionis in Germania Cis-Rhenana oppidum, quanquam Autor id in fœderati Belgii provinciis situm esse putet. Piscatoris autem sententiam quatuor licet synodis Gallorum condemnatam, nihilominus unius *Petri Molinæi Sedanensis* suasu toleratam fuisse refert. Molinæo hinc magni n. 24.
inter Reformatos nominis Theologo Jurii avo materno, dicam scribit, quod dissimulandarum dissensionum magister fuerit, & Lutheranos condemnari ob *ubiquitatis* dogma noluerit. Ejusdem 77.
autoritatem infra (Lib. XIV, n. 57.) indicat, qua Calvini & Gomari rigida dogmata Synodo Dordracenæ, epistola ad eam scripta, commendaverit.

Liber XIII. opponitur Protestantium sententiæ de Anti-Christo, quam a Luthero post Augustanam confessionem in conventu Smalcaldico productam, & a Gallis in Synodo *Gapensi* A. 1603 publice receptam fuisse tradit. Insurgit maxime in librum D. Jurii *de implemento prophetiarum*, eique inter alios Grotium & Hammondũ objicit, imo Jurium Jurio, quippe cui contradictiones non unas imputare solet. Anglum vero, *Josephum Medum*, quem Jurius plerumque ita sequitur, ut aliquando tamen ab eo discedat, acriter insectatur, vanum maxime ejus de *Gustavo Adolpho* Succiæ Rege vaticinium 22. 32. 38.
& quæ de Turcis opinatus est, tum novos Prophetas, quos Jurius 41.
commendat, exagitans.

Libro XIV. prolixe agitur de sententia Calvini & sequacium, de necessitate peccati Adamitici, itemque de certitudine perseverationis & inamissibilitate gratiæ, etiam in peccato mortali, & ut hæc omnia a Lutheranis & a *Jacobo Arminio* impugnata fuerint. Subjungitur narratio dissidii *Arminiani*, in Belgio enati, & actorum Synodi *Dordracenæ*, itemque expositio doctrinæ Romano-Catholicæ 17. seqq.
& oppositarum ei opinionum censura. Processus contra Arminianos 32.
principiis Protestantium contrarius esse dicitur, eosque illius exemplo ad decreta conciliorum recipienda obligari. Notatur, 68.
a Reformatis Gallis decreta synodi, licet ad illam non venerint, & tunc approbata, & nuper exules ex Gallia ad illa subscribenda 74. 79.
adactos fuisse. Taxatur *Jurii*, ut & *Matthiæ Bocharti* mitior de Arminianis & tolerando in iis Pelagianismo sententia, & Jurius Pelagianæ hæresis manifeste accusatur. Iterum exprobratur Re- 83. 88.

formatis Gallis *Charentonense* decretum A. 1631. ad demulcendos
n. 95. Lutheranos,& inani spe ex successu belli Suecici, compositum. Maximum inde de instabilitate doctrinæ argumentum elicitur, quo si-
99.& sqq. mul agnosci asseritur, salvari homines in Ecclesia Romana. Sequi-
ad 112. tur relatio de concordia inter *Cassellanos & Rintelenses* A. 1661. pacta, & de opinione *Cameronis* de universalitate gratiæ ab *Amyraldo* & *Testardo* Salmurii defensa, secuto magno inter Reformatos dis-
117. sidio: annotantur etiam, quæ Genevæ ea occasione acta sunt. De-
119. nique famigeratum Parlamenti Anglicani decretum A. 1678. publi-
122. catum, quod *Testificatio*, vulgo *Test*, vocatur, in examen venit. Ex eo tamen mitius de Romana religione judicium colligitur; tum quod transsubstantiationem solum, non autem præsentiam realem rejiciat; tum quod invocationem sanctorum non simpliciter pro idololatrica habeat, sed cum restrictione ad ritum Ecclesiæ Romanæ: subtiliter enim inde concludit Autor, agnosci ab Anglis antiquitatis Ecclesiasticæ peritis cultum illum, (sive invocatio, sive sano sensu adoratio dicatur,) veteris Ecclesiæ moribus convenire; idem de Missa statuit.

Libro XV. (ut Tomo I promiserat,) ad capitalem de Ecclesiæ autoritate & infallibilitate articulum accedit Episcopus, & quibus potest ingenii atque eruditionis nervis stabilire eam & Ecclesiæ Romanæ vindicare contendit, speciatim in *D. Jurii* Systema de Ecclesia argumentorum aciem instruens. Et hic quidem, si quæ singularia & diversa ab aliis Protestantibus opinatus est, defendere ea noverit. Communis vero tam Lutheranorum quam Reformatorum doctrina de Ecclesia & ministerio, notior est & dudum evidentius firmata, quam ut consuetis ab adversa parte objectionibus convella-
4. 7. 10. tur. Neque hic enarrari possunt, quæ noviter & speciose ab Autore proponuntur, & ex ipsa Augustana confessione & ejus apologia aliisque scriptis pro asserenda visibilitate, itemque ex Gallicis
28.29.40. confessionibus adducuntur. Cum vero *Johannes Claudius* difficultates istas erudite & acute removere conatus sit, nihil omittit Episcopus, quo responsa ejus refellat. Negat inter alia, quod Lutheri tempore magna hominum & doctorum pars sententiam de Eccle-
46. sia invisibili in mente habuerit; quod nostrates ex subito tot nationum in Lutheri doctrinam consensu concludere solent. Originem hujus

hujus opinionis Socinianis tribuit, propagationem *Marco Antonio de Dominis*, dein *Calixto*, & in Gallia Ecclesiastæ Salmuriensi *D'Huisseau*, (cujus tamen liber A. 1670 publicatus solenniter a Reformatis con-
demnatus sit) nuperrime vero a *Pajonio*. Transitur inde ad refuta- 51.
tionem Jurii, *Pajonium* hactenus sectantis. Notatur ejus diversum
& secum pugnans de Socinianorum cœtu judicium, & multa argu- 52.
untur ex concessione ejus, quod in Ecclesia Romana salus acquiri 53. & 79.
possit. Rejiciuntur quæ de excommunicationibus statuit; eique 54. seqq.
imputatur, quod contra suæ Ecclesiæ decreta *Independentismum* sta- 66.
biliat, & temerario ausu adversus omnium seculorum doctrinam 68.
novum illud Ecclesiæ systema produxerit. Speciatim respondetur
ad interpretationes Symboli Apostolici in articulo de Ecclesia, & 76. seqq.
quæ ex historia schismatis Israelitici & Apostolicorum temporum
argumentatus est. Eliminatur distinctio errorum in fundamenta-
les & non-fundamentales, opposita promissione Christi de perpe- 83. 84.
tua præsentia sua, qua omnes errores evitari posse statuuntur. Ec-
clesiæ asseritur judicium de controversiis fidei, ex ipsius Jurii traditis.
Pro principio habetur, Ecclesiam semper credidisse, quod semel credi- 87. seqq.
dit. Adstruitur conciliorum infallibilitas, & Angli scriptoris *Bul-* 90.
li, Reformati licet, cujus librum in Actis A. 1688. mense Decembri
pag. 647. recensuimus, testimonium de concilio Nicæno, cum ma- 103
gno ejus elogio, votoque conversionis adducitur. Insultatur Ju- 110.
rio, quod dicere ausus sit, de veritate aliquando pacis causa remit-
tendum esse. Principium fidei ex scripturis a Protestantibus ipsis de-
seri putatur, cum fidei capita absque ejus lectione & distincta notitia,
ex prædicatione & catechesi disci posse concedunt, nec plebem alio 112.
modo instruere possunt. Ex his aliisq; facile cognoscitur, omnia tan-
dem ad autoritatē Ecclesiæ Romanæ, & ex ea unice, ut putant, depen-
dentis missionis & ordinationis Episcoporum & Pastorum reduci. U-
num saltem locum adscribemus, in quo Autor ipsam Ecclesiam intro-
ducit, his directis verbis populos Christianos alloquentem: *Vos qui-* 120.
dem populus quidam, cœtus & societas estis, sed Christus Rex vester nullum a vobis jus & potestatem, sed eam ab altiori loco accepit. Non magis vobis licet ministros constituere, quam principatum Christo ex vestro deferre arbitrio. Ut ipse, ita & ministri ejus vestrique pastores, altiorem habent ortum. Regnum ejus non est de hoc mundo, nec cum regnis mun-

di comparari a vobis debet. Uno verbo: natura vobis nihil dat, quod cum Christo & regno ejus commune sit; neque aliud jus vobis est, quam quod in legibus & consuetudinibus immemorialibus societatis vestræ deprehenditis. Hæ autem jam inde ab Apostolico tempore tales fuerunt, ut, pastores qui sunt, alios constituant. Vos eligite, nos confirmabimus, *dicunt Apostoli*, Act. VI, 6, 7. *& Paulus a Christo vocatus alios constituit antistites* Tit. I, 5. *Blandiuntur vobis, qui dicunt, consensum vestrum necessario requiri, nec ipsi credunt, quod vobis persuadere volunt, cum pro veris pastoribus habeant, qui in Anglia absque ullo populi interventu constituuntur. Exemplum Matthiæ extra ordinem divina sorte electi, ad sequelam trahi non potest, neque omnia populo permissa in eo fuere. Præsedit Petrus, pastor a Christo constitutus, neque per electionem, sed declaratione ex cœlo Matthias ad Apostolatum pervenit. In omnibus aliis casibus autoritas constituendi pastores ad constitutos pertinet. Potestatis illius cœlitus delatæ character sensibilis est manuum impositio, Ordini Ecclesiastico reservata. Ita succedunt sibi pastores: Christus qui primos stabilivit, adfuturum se illis promisit, ad quos ipsi translaturi essent potestatem suam; neque vobis Pastores obvenire possunt, quam in hac successione, quæ non magis deficere censeri debet, quam Ecclesia ipsa, & prædicatio verbi, atque usus Sacramentorum.* Ita ex ore Episcopi loquitur Ecclesia, Romana nimirum, neque ita loquitur solum, sed hæc effata omnibus suis Regumque sibi servientium viribus, & cum libet & potest, ferro & igne tuetur. Restat quæstio, an eodem modo loquatur universalis Ecclesia Christi. Protestantium Ecclesiæ recte sibi jus vindicant, pastores sibi deligendi. Non negant, ministerium quoad essentiam & vim suam a Christo ejusque æterna veritate dependere, sed illius functiones, expresso vel tacito consensu cœtuum Ecclesiasticorum, certis personis deferendi potestatem invictis argumentis demonstrarunt. Tanto igitur nixu, nec olim aliud quæsitum est ex parte Cleri Romani, nec hodie tot novis argutiis aliud quæri apparet, quam ut populus Christi in servitutem paucorum reducatur, qui vocis Christi, (quam oves ejus noverunt,) fixam certamque regulam sequi nolint, sed solo characteris sui axiomate freti credenda & facienda imperent. Hoc si divini esset instituti, & revelatum esset irrefragabiliter, neq; habuisset orbis Christianus, quod de hæresibus tantopere quereretur, neque

neque hæ ab aliis quam plebejis autoribus profectæ essent. Sed omnium, proh dolor! temporum experientia testatur, Arianorum maxime seculum,& Græcum schisma,& quicquid de Romanis lamentamur abusibus,non ab aliis magis, quam ab ipsis illis charactere & chrismate omnibusq; ceremoniis insignitis Episcopis & Sacerdotibus, nec singulis modo, sed & magno numero congregatis,quotiescunq; vel autoritatem vel opinionem humanā veritati & simplicitati Scripturæ prætulerunt,in errores inductas, imo decretorum & censurarum vi compulsas esse multas animarum myriades, totasque gentes & nationes. Pro magno igitur Dei beneficio habebunt, quotquot pie sapiunt Protestantium cœtus, quod majores sui ab ista persuasione divinitus liberati, ministeria sacra sibi constituerunt & ad posteros transmiserunt, per quæ non hominum arbitrio,aut quacunque consuetudinis & successionis allegatione, sed ex puris immotisque principiis conservatæ per divinam providentiam in Scriptura veritatis,& accedente,ubi aderat, certæ,universalis & uniformis traditionis adminiculo, fides Christi, quæ ad salutem sufficit, docetur. Reliqua hujus libri XV. meletemata hypothesibus illis superstructa sunt, quarum capita præcipua hucusque recensuimus. Speciatim traditur Argentoratensis civitatis mutatio ex Zuingliana in Lutheranam. n. 124. Ecclesiæ Romanæ constans & accurata decisionum in controversiis ratio extollitur, allato *Berengarii* exemplo. *Transsubstantiationis* vocabulum in concilio Lateranensi A. 1215 introductum, 129. seqq. sicut homousii, non fidem,sed formulam novam aptamque enunciandæ antiquæ veritatis continere dicitur. Idem de 136. *Constantiensis* concilii placitis circa communionem sub una jactatur. Sic etiam concilii Tridentini scita in aliis articulis longa serie enumeratis defenduntur, excusata laxitate & ambiguitate. 139. Quæstio de infallibilitate Papæ, ejusque supra concilium autoritate, pro tali 142. habetur, quæ in utramvis partem salva fide definiri possit. 165. In epilogo Protestantes, (qui hic & passim fratres vocantur,) maxime vero Lutherani,ad conciliationem cum Ecclesia Romana invitantur. Subjungitur additio ad Lib. XIV. magni, ut inscribitur, momenti, de scriptis *D. Jurii*, & *Danielis Severini Sculteti* Hamburgensis, 506. quibus de conciliatione Protestantium inter se contenderunt. Urgetur hic maxime dogma de necessitate absoluta humanarum a-

ctionum, & quæ ex illa sequuntur, quod Jurius Luthero tribuit; quasi hæc imputatio non innumeris vicibus refutata, & Lutheri orthodoxa & constans sententia ex ejus scriptis ostensa fuerit. Notatur hic etiam *D. Joh. Gerhardus*, jam melius Autori cognitus, quia tertium ei locum inter Lutheranismi columina assignat. Post ista & alia, propositum de conciliandis Protestantibus, ut inane & impossibile traducitur. Altera additiuncula ex *Abrahami Sculteti* Annalibus subnectitur ad Lib. XI, particula nempe colloquii A. 1530 a Bucero & Oecolampadio cum Valdensium pastoribus quibusdam habiti.

HISTOIRE CRITIQUE DU TEXTE DU N. T.

id est:

Historia Critica textus Novi Testamenti; authore *Richardo Simone* Presbytero.

Roterodami, apud Regnerum Leers, 1689, in 4.

PArti primæ excerptorum ex hoc libro proximo mense Februario pag. 133. ad Acta relatæ, alteram nunc eodem filo pertextam addere juvat.

Cap. xx. Absoluta nimirum recensione librorum N. T. aggreditur Author duplicem objectionem Judæorum Gentiliumque philosophorum, qui aut ignorantiæ, aut malitiæ dolosæ postularunt scriptores N. T. eo quod ex V. T. allegarint loca, quæ aut aliter illic legantur, aut, si ea iisdem conceptis verbis ibi extent, in alienum ab authoris mente sensum detorserint. Ad ἔγκλημα prius respondet Simon, Apostolis uti licuisse septuagintavirali versione a Judæis olim concinnata, & ab omnibus pene gentibus intellecta, utut ab Ebræo textu longiuscule haud raro recedente, postquam Ebræa biblia ne ab ipsis quidem Judæis illius ævi absque interprete intelligi possent. Cum vero Hieronymus statuat, Apostolos quandoque (speciatim, ubi dicta *Jerem.* XXXI, 15. *Hos.* XI, 1. *Zach.* XII, 10. citant,) Ebræum codicem pressius, quam interpretes Græcos secutos esse; nodos hos Simon solvit, aut si mavis, secat, dum septuaginta senes loca illa V. T. eodem plane modo vertisse author est, prout hodie in Evan-

in Evangeliis habentur, vertente vero tempore variis Glossematibus corruptos eam illic locorum induisse faciem, quam etiamnum obtinent. Adeoque si nova editio τῶν ό a Simone accuranda esset, lectionem eorum primævam ex N. T. restitutum ab eo iri patet.

Ad alteram objectionem regerit, Judæos non debere vitio vertere Apostolis, quod more inter Rabbinos recepto על דרך דרש *sensu mystico* (quin sæpiuscule per meram *allusionem* paronomasticam,) Messiæ adplicuerint veteris Instrumenti vaticinia, quæ literali sensu de eo non agant, in πατεϱπαϱάδοσει tamen Messiæ, (quicunque is tandem fiet,) adplicari pridem sueverint. Ex hac vero sola traditione avita allegationes id genus Apostolicas, (per se nihil probaturas,) probandi vim ac robur nancisci. Hujus commatis esse palmarium Esaiæ dictum de Emanuele nascituro, qui literali sensu prophetæ filius, mystico Messias sit; nec non illud *cap. XI. v. 1.* ex quo *Nazareni* nomen illustrarit Matthæus cap. II. v. ult. non aliam ob caussam, quam quia in ejus lingua paronomastica similitudo inter vocem נצר *flos* & נצרת *Nazareth* intercedat. Hoc modo sæpissime se ad silentium redegisse perhibet Judæos, cum ex ipsis quæsierit, utrum mysticum illum argumentandi processum, Apostolis non magis, quam veteribus Rabbinis in Talmude, Sohar, Targumim & Medraschim frequentatum, improbare, ac hac ratione in Sadducæorum aut Karræorum castra transire vellent? Cap. XXI. XXII.

Hinc refutare videri cupit *Grotium*, *Spinosam*, & *Theologos* illos *Hollandiæ* (vel, qui horum nomine latere creditur, *Johannem Clericum*,) qui *omnem Scripturam* collective sumtam θεόπνευστον dicendam negaverant. Negat nihilominus ipsemet, præter res verba quoque a Spiritu Sancto authoribus N. T. suggesta fuisse. Enarrat historiam acerrimarum litium, quæ superiori seculo Lovanienses ac Duacenses Theologos ex una parte, ex altera Lovanienses Jesuitas exercuerunt, horumque thesin, qua *verbalem inspirationem* impugnarunt, magno conamine defendit; nihil tamen pro ea urget singulare, nisi quod apud *Cornelium a Lapide* comm. in II. Tim. III, 16. (ad quem etiam *Simon* provocat,) Gallicæ linguæ imperiti legere poterunt. C. XXIII. XXIV. XXV.

Stylum Evangelistarum & Apostolorum, cumprimis Pauli, *humilem, salebrosum, difficilem intellectu, Ebraismis ac barbarismis refertum* C. XXVI.

furtum vocat cum *Origene*, *Hieronymo*, *Chrysostomo*, *Toleto*, *Gagnæo*, *Castalione*, *Enjedino*, quorum testimonia in vulgus nota sunt. Ignotius est judicium Scholiastæ Græci in IV Evang. (in bibliotheca Colbertina sub n. 2254 extantis) de Johannis stylo ac Græcæ linguæ imperitia: Οὗτος ὁ εὐαγγελιστὴς πατρίδος μὲν ἦν ἤτοι κώμης εὐτελοῦς ἀπὸ Βηθσαϊδὰ τῆς Γαλιλαίας, πατρὸς δὲ ἁλιέως καὶ πένητος· παιδείας δὲ τῆς ἔξωθεν οὐδοπῶν μετῆν. οὗτος ὁ ἁλιεὺς καὶ ἰδιώτης ἰδιωτείαν τὴν ἐσχάτην· ὁ γράμματα μὴ εἰδὼς, &c.

C. XXVII. XXVIII. *Linguam Hellenisticam* tuetur contra Salmasium & Crojum, monet tamen, meram λογομαχίαν de hoc argumento agitari. Neque enim proprie *linguam* aut *dialectum* dici posse loquendi ac scribendi genus, cujus verba singula Græca sint, phraseologia sola sit Ebræa, h. e. Ebraismis scateat. *Linguam* ergo *Hellenisticam*, (quam *Græcam Synagogæ idioma* vocari mallet,) ita se habere ad Græcam linguam, uti *Hispanica* lingua, qua Judæi bibliorum & liturgiarum versionem Hispanicam Ferrariæ & Constantinopoli evulgarunt, se habet ad linguam Hispanicam, qua Christiani Hispaniarum incolæ utuntur.

C. XXIX. Ultimam libri partem occupat non perfunctoria *de MSCtis N. T.* tractatio. Præmittitur recensio authorum, qui varias codicum lectiones congessere; e quibus Amelottus (Gallicus N. T. interpres) est, quem, cum tot *venerandis ac augustis MSCtis* se usum glorietur, vanitatis, imposturæ ac ignorantiæ non vulgaris haud illepidis salibus insimulat. Consentit tamen eidem, codices Græcos, ad quos *Ximenius*, *Stephanus*, *Erasmus*, *Beza*, typis impressas editiones suas adornarunt, *vulgares* aut *vulgatos* dici posse, ut distinguantur ab aliis antiquioribus nondum vulgatis, ad quos olim Vulgata Latina confecta fuerit. Juxta regulam autem *Ambrosiastri* sive *Hilarii* Diaconi Romani *Comm. in Rom. V. 14.* judicium ferendum esse, utrum Græci vulgati, an Græci alii cum Latina versione exactius conspirantes, hoc illove casu majorem fidem mereantur. *Hoc* (inquit ille,) *verum arbitror, quando & ratio & historia & auctoritas observatur.* Negat vero Noster, hanc codicum Græcorum discordiam, concordiæ inter Græcos Latinosque in Florentino Concilio initæ imputandam. Scripserat nimirum Erasmus, codicem Græcum Anglicanum, in quo *versum 7. Ep. I. Joh. c. V.* repererat, *ad Latino-*

Latinorum codices fuisse castigatum. Posteaquam enim (inquit) *Græci concordiam inierunt cum ecclesia Romana, studuerunt & hac in parte cum Romanis consentire.* Hoc probatu impossibile esse, censet Simon. Quin in contrarium urget, quod loca, quæ a Græcis Latinizantibus correcta feruntur, nihil ad controversias faciant, quæ inter utramque ecclesiam Florentiæ utcunque compositæ aut sopitæ fuerint; itemque, quod plerique ex iis, qui Florentinis decretis Florentiæ subscripserant, Constantinopolin reversi, omnia illa acta solenni protestatione resciderint; tantum abest, ut in Latinorum gratiam biblia sua corruperint. Neque concedit Scholasticorum quibusdam, Latinam Vulgatam semper præferendam Græco textui, *ideo quod Græci schismatici codices suos corruperint, veritas vero apud Romano-Catholicos illibata superfit.* Observat potius, sæpissime, sed summa injuria, bibliorum corruptorum actionem intentatam hæreticis; quemadmodum multis creditum fuerit, Arianos *1. Epist. Joh. V. 7.* criticam manum intulisse, ac τὸ *quia Deus Spiritus est* ex *Joh. III, 6.* erasisse; vocem ἅγιον Macedonianorum fraude *Joh. VII. 39.* insertam; Nestorianos denique *1. Joh. IV, 3.* pro πᾶν πνεῦμα, ὃ λύει τ̀ Ἰησοῦν, supposuisse isthæc: πᾶν πνεῦμα, ὃ μὴ ὁμολογεῖ τ̀ Ἰησοῦν. Ostendere vero satagit, quomodo imaginariæ illæ singulorum locorum corruptelæ ex orthodoxorum scholiis, quæ ex margine in textum irrepserint, nasci potuerint.

Vetustiora N. T. exempla MSCta, quotquot in Occidentali nostro orbe extant, aut pleraque saltem, a Latinis Græcæ linguæ studiosis in usum suum olim descripta esse, opinatur; cum Bibliorum editiones, quæ typorum beneficio in omnium manibus versantur, ad codices Græcos, ab ipsismet Græcis in ecclesiæ suæ usum exaratos, exactæ ac expressæ sint. Illa inter eminet famosissimum illud exemplar, *Cantabrigiensi* Academiæ a Theodoro Beza donatum, quatuor Evangelia atque Apostolorum Acta complexum. Hujus altera pars esse putatur æque celebris ille Epistolarum Paulinarum codex, Bezæ quondam nomine *codicis Claromontani* frequenter allegatus, nunc in *bibliotheca Regis Galliæ* repositus, cui plane gemellus in *bibliotheca Benedictinorum* Abbatiæ Sangermanianæ visitur. Tergemini hi codices *Græci* versionem Latinam veterem sive Ante-Hieronymianam adjunctam habent, quod (Simone judice) argumento est,

Cap. XXX. XXXI.

 to est,

to eſt, non ex Græcia eos allatos, ſed a Latinæ communionis hominibus deſcriptos fuiſſe. Hos enim, ut eo facilius, quotiescunque opus eſſet, ad fontes recurrere poſſent, exemplaribus *Græco-Latinis* uti conſueviſſe. Vero autem ſimile non videri, Græcos verſionem Latinam, quam non intelligebant, deſcripturos fuiſſe. Porro ab eadem manu & Græca & Latina profecta eſſe, ex ſimillimis literarum Græcarum ac Latinarum ductibus patere ait. Latinas quippe literas in his MSCtis minus recedere a forma literarum apud Græcos uſitatarum. Unciales enim Latinas magis quadratas, Græcas oblongiores ac graciliores eſſe ſolere. Accedit, quod in duobus illis Paulinarum epiſtolarum MSCtis, *epiſtola ad Hebræos* non in ipſam Paulinarum ſyllogen aut catalogum relata, ſed in calcem voluminis poſt catalogum rejecta deprehendatur. Hoc non alia de cauſſa contigiſſe, quam quod Latinæ eccleſiæ & *Paulinam* & *Canonicam* eam eſſe negarint, cum utrumque Græci univerſi affirmarent. (Confer excerpta noſtra ex Cap. XVI.) Nec de nihilo eſt, quod tanta ſphalmatum copia, quantam in his libris obſervaſſe ſe teſtatur Simon, arguere videatur, eos non Græcorum, ſed Latinorum Græcæ literaturæ parum peritorum opus eſſe. Rationem etiam reddit Author ſtupendæ multitudinis lectionum variarum, quibus hi codices a vulgatis Græcis diſſentiunt. In cauſſa nempe fuiſſe effrenem illam orthodoxorum nonnullorum Hieronymo antiquiorum licentiam, qua (ipſo *Hieronymo* teſte) Evangeliſtam ex Evangeliſta, Epiſtolam ex Epiſtola interpolarunt, verba ſcriptorum ſacrorum alio ſubinde ordine collocarunt, ſupplementis auxerunt, ſynonymis clarioribus explanarunt, aut in compendium redegerunt; id quod ſatis conſtat vel ex illa variarum lectionum farragine, quam ſpeciminis loco ex Evangeliſtis & Epiſtola ad Romanos excerpſit Author. Caverunt tamen utplurimum, ne genuino ſenſui gloſſematis ſuis vim inferrent. Nihilominus quandoque nulli ſunt veriti, hiſtorias ex Apocryphis γνησίῳ Evangelio infarcire, quemadmodum Lucæ VI. 5. poſt vocem σαββάτου, in Cantabrigienſi MSCto hæc leguntur: Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ θεασάμενός τινα ἐργαζόμενον τῷ σαββάτῳ εἶπεν αὐτῷ· ἄνθρωπε, εἰ μὲν οἶδας τί ποιεῖς, μακάριος εἶ· εἰ δὲ μὴ οἶδας, ἐπικατάρατος καὶ παραβάτης εἶ τοῦ νόμου.

C. XXXII. Affert poſt hæc *variantes lectiones* aliorum quoque codicum MSCto-

MSCtorum, præsertim *Colbertinorum*, & utplurimum, quid de unaquaque sentiat, non dissimulat. Sic e.c. arbitratur, *Matth. V*, 22. vocem εἰκῆ genuinam, adeoque & *sine causa* Vulgatæ Latinæ restituenda esse; orationis dominicæ epilogum *Matth. VI*, 13. ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, non Christum aut Matthæum habere authores, sed ex liturgia ecclesiæ Græcæ plerisque Matthæi codicibus insertum fuisse; denique (ut cætera taceamus,) *Matth. XXVII*, 9. pro Ἱερεμίου omnino legi oportere Ζαχαρίου, uti reapse legatur in codice Colbertino 2467. Facili enim negotio hæc confundi potuisse invicem, cum illud ΙΡΙΟΥ, hoc ΖΡΙΟΥ, per abbreviaturam in antiquis libris scriptum fuerit.

Postremo ubi de *accentibus*, & *interstitiis vocum*, de στίχοις, (*versibus*,) ῥήμασι, (*dictis*,) περικοπαῖς, (*sectionibus*,) κεφαλαίοις seu τίτλοις, (*capitibus*,) ἀναγνώσμασι, (*sectionibus*,) critices sacræ studiosis non ignota in medium attulisset, finem imponit *libro* huic *primo*. Nos de eo desinimus plura. Nulli interim dubitamus, quin philologiæ sanctioris cupidi valde desideraturi sint, ut publici juris propediem fiant *secundus tertiusque* Historiæ hujus libri, quorum illum *p*. 188. 211. 335. 367. 383. 392. hunc *p*. 327. edere spopondit Author. Ex his locis lectores curiosi argumentum illorum librorum quadantenus, si libuerit, colligere poterunt. C.XXXIII.


CONTINUATIO EPISTOLARUM, DATARUM ad longe Celeberrimam Regiam Societatem Londinensem ab Antonio de Leeuwenboek, ejusdem Societatis Membro.

Lugduni Batavorum, apud Cornel. Boutestein, 1689 in 4.

EPistolarum ab Autore industrio ad Illustrem Societatem Anglicanam exaratarum tres hactenus idiomate Latino prodierunt partes, quarum postquam primam *A*. 1685. *mense Novembri*, secundam vero in *Supplementis Sect*. 2. recensitas dedimus, operæ erit pretium e tertia nunc parte, quam Continuatio præsens *octo* ex *epistolis* compaginata exhibet, potiora nobis visa excerpere. *Ep. I*. texturam dentium evolvit in elephante, sue, homine, bove & equo, e tu- pag. 1.

bulis exilibus, ex intima eorum parte cava nervis, sanguiferis aliisque vasis oppleta initium petentibus, ac ad circumferentiam usque desinentibus, coagmentatam. Ossei vero hi tubuli, quorum fines forsan in mollia vascula per gingivam sese dispergentia denuo mutentur, si a crassa quadam destruantur materia, odontalgiam oppido excitari docet, in quantum interiora cavitatis vascula e vestigio
pag. 13. dilatata sese invicem maxime comprimant. *Ep. II.* bina scrutatur semina, Mespili videlicet & Coffi: in illis, vulgo lapillis dictis, nunquam quidem recentem plantam perfectam, ob medullam sive nucleum imperfectum, bene tamen globulos farinaceæ paucæ substantiæ ibi deprehensæ inter se counitos & ex se invicem prodeuntes apparuisse indigitans; in his vero, vulgo fabis Coffi denominatis, tum primordium ipsius plantæ, e tribus distinctis foliis ac parte in truncum & radicem abitura compositum, tum reliquum seminis non tam e materia farinacea, quam e particulis spongiosis sive ramosis, quarum cavernulas relictas multis in locis oleum occupet, contextum delineans, simulque situm folia primordii hujus plantæ aliquando obducentem, veluti multo propius cum floribus conve-
28. nientem, adumbrans. *Ep. III.* variorum seminum anatomen, figuris tantum non ubique adpositis, edocet, in quorum aliis v. g. semine tritici, secalis, hordei, avenæ, fagopyri, milii, canariæ, acetosæ, mannæ & chærefolii, recens planta in farinacea collocatur substantia, in aliis autem e. g. semine raphani, napi, brassicæ Cypricæ, Italicæ, rubræ itidem & albæ, raphani Hispanici, napæ, trifolii pratensis, sinapi, cannabis, cochleariæ, nasturtii, trifolii odorati, malvæ Bohemicæ ac erucæ, plantæ solummodo folia ac pars in radicem & truncum cessura absque ulla materia farinacea occurrunt. Semen vero betæ rubræ pro unico & simplici vulgo habitum, seminis involucrum esse, in quo 2, 3, 4. aut 5. distincta semina hæreant in-
42. clusa, animadvertitur. *Ep. IV.* mutationes circa bombycum ova pariter atque bombyces ipsos inibi adhuc delitescentes temporibus diversis annotatas commemorat, alia inter a bombycibus ova mordendo diffringi auxilio humidæ substantiæ, quam e corpusculo eru-
57. ctent, observans. *Ep. V.* quo curculionum (animalculorum frumentum comedentium) generationem univocam stabiliat, plures tradit Observationes figuris a nobis huc transscriptis partem illustra-

TAB. III. ad A. 1689. pag. 173.



lustratas, e quibus semen curculionis virile incredibili viventium animalculorum numero turgere, curculionem masculum cum fœmella coire, hanc ova parere eaque intra grana frumenti rostro perforata deponere, ex ovis istis vermes prodire, hosque demum vermes in curculiones permutari, omnino patescit. Scilicet in *Tab. III. Fig. 1.* curculionem naturali magnitudine præditum exhibet. *Fig. 2.* vero mediante microscopio rostrum curculionis delineat, ut instrumenta, quibus frumentum cum alimenti recipiendi, tum ovorum deponendorum gratia perterebratur a curculionibus, conspiciantur, ubi BCDE rostrum curculionis repræsentatur, quod alias tamen non adeo rectum, uti hic orificii D cum forficibus lustrandi ergo depictum, sed incurvatum potius decurrit, prout BID indicatur; EGH duo sunt cornua; ABF capitis existit pars, in qua B rotundi annotantur globuli, oculorum alterum juxta Autorem constituentes, qui microscopii ope ita apparuere, ac si oculo nudo exilia admodum corallia nigra in ordine concinno juxta se invicem posita deprehenderentur. *Fig. 3.* thecam sive membri virilis vaginam sistit duram, subrubram ac pellucidam, parumque incurvatam, e qua membrum virile molle alias ac flexile intra L M prodire assolet. *Fig. 4.* tam OPS eandem membri virilis vaginam, quam PQR ipsum membrum virile, cui arcte unitur, ostendit. *Fig. 5.* ABD corpus, & BCD caput indicat vermiculi non nisi magnitudinē unius arenulæ adæquantis, recenter ex ovo curculionis exclusi. *Fig. 6.* EFG unum ovorum depingit, quæ lateribus vitri curculiones sine frumenti granis aliave materia asservantis apparuerunt affixa. *Fig. 7.* HIKL caput, & KLH corpus designat alterius vermiculi ex alio ovo consimili prodeuntis, in quantum post vehementem motum parum quiescens totum corpus in sese contraxit; quatenus vero vermiculus ejusmodi corpus suum in longitudinem explicuit, *Fig. 8.* MNOP indicatur. *Ep. VI.* in formicarum ovis perquam exilibus haud formicas perfectas, sed vermes in formicas postmodum transformandos reperiri commonstrat, qui vermes pullorum instar ut hyeme sustententur, tanquam ineptissimi, qui ipsimet victum quærant, formicas adeo sedulas æstate in cibo ad nidos deferendo observari, ipsis interim formicis per totam hyemem, præsertim cum intensum frigus urget, absque ullo alimento ulloque motu sub terra

Tab. III.

pag. 76.

Y 3 degen-

degentibus; neq; formicas mordere, sed aculeo in posteriori corporis parte collocato pungere, simulq; laticem acrem per fossulam hinc inde aculeo insculptam emittere, vehementissimum in nobis dolorem excitantem.
pag. 91. *Ep. VII.* primum animalcula in succino & aqua, nec non vermes e carne cujusdã materiæ propullulantes contemplatur, quos ultimos revera ovorum a musca ibi depositorũ progeniem extitisse inde evidenter evincit, quod vermes hi in veras degenerarint muscas, a quib9 rursus ovula similes vermes temporis successu suppeditantia, exclusa fuerint; animadversione quippe dignum circa muscarum generationẽ videri, quod muscarius vermis sive acarus, in cujus intestinis chyli quoq; motum dignoscere microscopii auxilio valuit Autor, quinq; saltem dierum spatio ad perfectam magnitudinem evehatur. Hinc in urticas & millepedas (rectius erucas) Indicas inquirit, quomodo utræque ingentem corpori nostro dolorem cum extumescentia sociatum inferre possint, ibi quidem aculeos partim rigidos & excavatos humorem acrem globulorum specie exstillantes, hic vero duos forcipes sive pressores humorem pariter noxium simul emittentes respiciens, nitidisque figuris exprimens, e quibus duas solummodo quoad millepedas Indicas transferre huc liceat. *Fig. 9.* videlicet GHIKLM Millepedam sive Erucam Indicam magnã monstrat, cujus duo forcipes sive aculei IK notantur. *Fig. 10.* vero ABCDEF magnam ope microscopii declarat partem forcipis sive pressoris, a millepeda minori parvum saltem digitum circiter longa abrepti, in specie C forcipis fossulam sive foraminulum, e quo noxius inter lædendum deducitur humor, significat. Tandem
113. *Ep. IX.* Cocheniliam & Corticem Peruvianum pervestigans, Cocheniliam primo pro fructu arboris multa includente semina reputatam, partem postea internam posteriorem animalculi cujusdam e vermiculo pariter prodeuntis esse, cujus caput, ungulæ, scuta, & tota anterior corporis pars sint abjecta, detegit; in cortice autem Peruviano sive chinæ chinæ inter alia transversim dissecto, magnam copiam exilium vasorum, quæ lucidam oleosam materiam contineant, cum reliqua ejus textura recenset.

COMPENDIO DELLE VITE DE I RE' DI Napoli, con li Ritratti al naturale &c.

sive Compen-

Compendium Vitarum Regum Neapolitanorum, una cum ipsorum imaginibus ad vivum expressis, colligente Antonio Bulifon.

Neapoli, sumtibus Autoris, 1688. in 12.

ELegantuli hujus libelli (quem celeberrimi *Magliabechii* liberalitati debemus,) editor Bulifonus, jam pridem in exponendis rebus Neapolitanis versatus, utpote qui regni istius antiquitates, ut ipse in præfatione testatur, multorum jam librorum publicatione illustrare sategit; indigenis æque ac exteris gratam se operam præstiturum esse persuasum habuit, si historiam vitasque singulorum, qui regni illius habenas moderati sunt, in compendium redigeret, ipsorumque iconismis adornaret, non oculos minus lectorum oblectantibus, quam memoriam simul quadantenus juvantibus. Et imagines quidem quod attinet, magno eas a se studio e melioribus archetypis, ad vivum expressis, desumtas atque collectas prædicat: ipsas vero vitarum descriptiones maximam partem ex Compendio *Scipionis Mazzellæ* desumptas esse fatetur, de quibus adeo, cum novi nihil contineant, historiasq; præterea in brevissimam modo redactas epitomen recenseant, plura hic verba facere non erit opus. Ut vero nitidius adhuc evaderet opusculum, singulis Vitis singula subjecit epigrammata Italica, octonis versibus constantia, præcipuaque cujuslibet Regis gesta succincte & uno quasi obtutu exprimentia; qua in re methodum a *Paulo Jovio* in Elogiis suis adhibitam imitari se quodammodo voluisse ait: tametsi eatenus ab isto discrepet, quod Jovius epigrammata a variis viris eruditis composità undiquaque congesserit; hoc in libro vero expressa unum eundemque agnoscant autorem; quem utut noster nominare supersedeat, e meliorum tamen scriptorum, quos quidem nunc Neapolis alat, numero esse laudat. Cum vero Regnum hoc & olim multoties, & nunc imprimis per Proreges fere administrari sueverit, horum quoque notitiam aliqualem lectori subministrare simul, a proposito nequaquam alienum fore duxit. Hinc post Regum recensionem subnectit Catalogum singulorum Capitaneorum Generalium & Proregum, inde a Belisarii temporibus, utpote qui post occupatam anno 538 Neapolin, sub Justiniano eidem aliquandiu

diu præfuisse legitur, usque ad *Gasparum de Haro e Gusman*, cujus etiam effigies una sistitur & gesta præcipua prædicantur, quomodo nempe Rempublicam a grassante passim latronum peste liberaverit, armorum noxiorum gestationem in civitate vetuerit, monetam suæ restituerit bonitati, denique populum magnificis demulcere spectaculis, ejusque favorem & obsequium conservare sciverit. Nec omittit indicare, quomodo huic, postquam libellus jamjam ad finem perductus fuerat, subito fatis functo, in officio isto suffectus fuerit *Laurentius Onuphrius Colonna*, mense Novembri anni 1687. Reliquorum autem Proregum nuda fere nomina cum annorum numero & temporum determinatione traduntur; allegato subinde uno alterove simul autore, apud quem ipsorum gesta plenius reperiri valeant. Sub finem denique superadduntur *Tabulæ* Regum Neapolitanorum *Genealogicæ*, æri non minus nitide ac ipsæ eorundem effigies incisæ, *sex* omnino, pro numero familiarum, quæ successive istic rerum potitæ sunt. Nimirum I. sistit Reges ex linea Normannica, II. ex Suevica, III. ex Gallica, IV. ex linea Ducum Andegavensium adoptatorum, V. ex Arragonica, VI. denique ex Hispanica oriundos. Dedicatur opusculum hoc *Thomæ de Aquino*, *Principi de Feroleto & Comiti de Martorano*, in cujus antiquæ prosapiæ laudibus & meritis extollendis Autor satis prolixus est, nequaquam omissa mentione sancti istius Thomæ Aquinatis ex eodem prognati stemmate, ac per totum orbem Christianum celeberrimi: de cujus agnatione quantopere sibi gratuletur illustrissima hæc familia, vel exinde colligere est, quod verba ista, quæ ex imagine Crucifixi ad dictum sanctum aliquando prolata refert traditio: *Bene scripsisti de me*, *Thoma*, ipsi suo scuto Gentilitio (quod simul hic depingitur) duplici inscriptione inseri fecerit.

LIBRI NOVI.

J. C. Sturmii Mathesis enucleata. Noribergæ, 1689. in 8.

P. Keuchenii Annotationes in Nov Test. Amstelodami, 1689 in 4.

M. F. Geuderi Diatriba de Fermentis variarum corporis humani partium specificis. Amstelodami, 1689. in 8.

C. Cellarii Elementa Astronomiæ cum G. Schickardi Astroscopio. Merseburgi, 1689. in 8.

Fundamenta Theologiæ Didascalicæ, auctore Joh. Melchioris. Franequeræ, 1689, in 8.



ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Aprilis Anno M DC LXXXIX.

DEFENSE DES VERSIONS DE l'Ecriture sainte, &c. i.e.

Defensio versionum Scripturæ Sacræ, Officiorum ac Patrum ecclesiæ,& speciatim versionis Gallicæ recens-editæ Breviarii Romani; adversus *Sententiam* Officialis Parisiensis d.10.Apr.1688 latam. Accedit *Advocatus publicus* contra *Requisitionem Promotoris* d.3. Maji datam.

Coloniæ, apud Nicol. Schouten, 1688, in 12.

GAllica illa Breviarii Romani versio, cujus res contra *Cheronium*, Abbatem de la Chalade, Priorem ad D. Johannis de Brou, Officialem *Francisci Harlæi* Archiepiscopi Parisiensis, libello hoc apologetico agitur, authorem habet Abbatem *LE TOURNEUX*, qui & *Historia vitæ JESU Christi*, *Optimo modo audiendi Missam*, *Anno Christiano*, *Instructionibus de Sacramentis*, *sex epistolis polemicis*, *Officio denique hebdomadis sanctæ*, pietatis ac eruditionis haud vulgaris famam apud suos sibi, dum in vivis esset, conciliaverat. Decesserat quintus fere mensis, ex quo opus illud prægrande, (cujus impressio *Thierrio* bibliopolæ decem pluribusve Joachimicorum millibus constiterat,) impune & vendebatur & emebatur; cum subito in id insurrexit ejusque lectione *ex officio* d.10. Apr. 1688. interdixit Romano Catholicis *Officialis*, quem diximus, *Parisiensis*; idque quadruplici de caussa: 1.) quod suppresso authoris nomine, & quidem 2.) absque Archiepiscopi Parisiensis indultu editum fuisset; 3.) quod omnes in universum versiones Officiorum Ecclesiæ, sententia Facultatis Parisiensis & Cleri Gallicani exeunte anno 1660 congregati, da-

mnandæ ſint; denique 4.) quod propoſitiones complures erroneas, ſuſpectas, fideique catholicæ adverſas in verſione hac reperire ſit. Singulas has rationes ſub examen revocavit autor libelli anonymus, *Janſenii* partibus, æque ac *Le Tourneux*, addictus, cumque *Promotor* Cheronii d. 3. Maji 1688 ſententiæ *Officialis* ſui vindicias edidiſſet, novam reſponſionem ſub titulo *Advocati publici* (l' Avocat du public) adjecit. Nolumus autem ſingula controverſiæ momenta curatius expendere, cum nec *Breviarium*, nec *verſio* ejus *Gallica* ex illorum librorum cenſu ſint, de quibus in his Eruditorum Actis ſoliciti ſumus. De ſola quæſtione palmaria aliquid dicemus, *utrum Chriſtiani a verſionibus vernaculis S. Scripturæ, divinorum Officiorum, Patrumve eccleſiæ abhorrere debeant?* Affirmaverat id præfracte *Facultas Theologorum Pariſienſium* anno 1607, 1620, 1641, 1655, 1660, 1661; illiusque decretis ſententiam ſuam ſuperſtruxerat *Cheronius*. Negat *Anonymus*. Fatetur equidem, hæreticos, quos vocat, vernaculum Bibliorum uſum omnium maxime commendaſſe ac efflagitaſſe. Idem tamen factum a multis Romano-Catholicis, quod nec *Spiritus Roterus*, nec *Petrus a Soto*, infenſiſſimi licet verſionum hoſtes, inficias iverint. Opponit Sorbonæ *Theologos Lovanienſes*, quorum auſpiciis N. T. Gallicum Antverpiæ anno 1530. cum privilegio Caroli V. Rom. Imp. ac paulo poſt univerſa Biblia tum Gallice, tum Belgice impreſſa fuerunt. Laudat etiam ex Pariſienſibus antiquioribus *Nicolaum Oreſmium* Doctorem Collegii Navarræi, quem ſeculo XIV Johannes Rex non modo ſtudiis Caroli filii dirigendis præfecerat, ſed & author ei fuit, ut univerſa Biblia Gallice redderet, quemadmodum *Jacobus de Voragine* Archiepiſcopus Genuenſis ſeculo XIII. Biblia in Italam linguam tranſtulerat; nemine virorum inſtitutum improbante. Nec *Gerſonem* a quibusvis, ſed tantum a *maletraductis* verſionibus abhorruiſſe, adductis illius verbis evincit. Poſtquam vero Lutheri auſpiciis tot controverſiæ Pontificiis ex Scripturis fuiſſent motæ, Doctores Facultatis Pariſienſis averſiſſimo in verſiones vernaculas animo eſſe cœpiſſe, queritur; non aliud autem, ut hoc facerent, in cauſſa fuiſſe aſſeverat, quam quod, linguarum & hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſtudio neglecto, vernaculas Verſiones nudius tertius demum in eccleſiam invectas eſſe, perſuaſum haberent, quodque, cum illi ipſi Gallica lingua

gua miserum in modum barbarismis ac solœcismis depravata uterentur, nec abs aliis vernaculam confici posse versionem, quæ non injucunda lectu esset, sperarint; denique quod, quicquid ab hæreticis laudari animadvertissent, hæreseos suspectum, infelici illa tempestate, creditum fuerit. Longe his saniores fuisse observat *Perronium* & *Richelium* Cardinales, *Clerum* universum *Gallicanum* anno 1656 congregatum, Episcopos illos ac Doctores, qui *Amelotti* versioni N.T. Gallicæ cum *approbationibus* suis in publicum prodeundi potestatem fecere, quin ipsosmet *Sorbonistas modernos*, si paucos forsan eximas, universos. Sed & in Regem injurium esse adserit Cheronium. Cum enim tot myriades exemplarium N.T. Psalterii & Horarum Gallicarum, Regiis sumtibus excusæ ac inter recens e Calvinismo conversos distributæ fuerint, ex Officialis Parisiensis hypothesi consequi ait, Regem *perniciosum* aliquid, & a quo potius *abborrere* deberent, subditorum suorum manibus inseruisse. Porro notum est, in Breviario Romano non unas SS. *Patrum* homilias legi. Urserat itaque Cheronius, quod & a Patrum versionibus vernaculis abhorrere se, testati fuissent Sorbonistæ anno 1660. At regerit Noster, Patres in vernacula sua scripsisse, tantumque abesse, ut quenquam a lectione operum suorum quoquo modo arcere voluerint, ut potius ea vel ipsis fœminis inscripserint. *Confessiones* Augustini & Hieronymi *epistolas* Hispanice olim tralatas S. Theresiæ ætate extitisse, ex Breviario Romano ostendit, ubi Theresia (Latinæ linguæ ignara) utrasque lectitasse traditur.

Pro ipso denique *Breviario* vernacule vertendo, inter cætera argumenta urgetur, quod illius versio ab Abbate *Marollio* Parisiis anno 1650 edita a nemine damnata fuerit, quamvis omnia illa ambitu suo complectatur, quæ in versione habentur ab Abbate *Le Tourneux* adornata, utpote quæ quoad materiam plane gemella, cætera autem longe illa nitidior, doctior accuratiorque sit. Ne igitur quis durius Tourneusianæ fatum miretur, monet hujus hyperaspistes, Jesuitas non potuisse non Jansenistæ invidere operis bene elaborati laudem, eaque propter omnem movisse lapidem, ut inter prohibitos libros illud referretur.

JOSEPHI LANZONI, PHIL. ET MED. DOCT. Ferrarienſ. Animadverſiones variæ, ad Medicinam, Anatomiam & Chirurgiam maxime facientes.

Ferrariæ, ſumptibus & typis Theodori Schenk, 1688, in 8.

TRia hucusque Autoris hujus ad nos Ferraria pervenerunt opuſcula. Primum typis Hieronymi Filoni anno 1687 exſcriptum, *Olai Borrichii* Diſſertationem de lapidum generatione in macro- & micro-coſmo *Actor. Hafnienſ. Volum. 5. p. 184. & Boneti Medic. Septentr. Tom. I. p. 748.* divulgatam exhibet, Additione adauctam; ſecundum vero ejusdem Filoni ſumptibus ſuperiori anno editum *Henrici a Moinichen* Obſervationes Medico-Chirurgicas ſcholiis a noſtro illuſtratas, nec non *Arnoldi Bootii, Martini Bogdani, & Jacobi Seidelii* Obſervationes complectitur; tertium denique præſentes ſunt *Animadverſiones* ſive Diſſertatiunculæ numero *centum & quinquaginta*, promiſcue modo partes aliquas corporis noſtri, modo affectus nonnullos præternaturales, modo remedia quædam ac methodum medendi, tam ex autoribus, quam obſervationibus interdum propriis declarantes, e quibus ſequentes impræſentiarum adduxiſſe ſufficiat. Scilicet *Animadverſ. V.* adoleſcentulam refert ab ulcere gutturis ſive aſperæ arteriæ jugulatam. *Animadverſ. XI* militem a cephalalgia ingenti, remediis aliis incaſſum adhibitis, ope cucurbitulæ & quidem ſcarificatæ ſummitati dorſi adpoſitæ ſiſtit liberatum. *Animadv. XII* tumorem in poſtica capitis parte cujusdam Judæi tradit absq; febri & dolore materiam purulentam ſub cranio carioſo foventem. *Animadverſ. XV* cranium in adoleſcente a rheda delapſo fractum, cute leviter ſaltem contuſa, recenſet. *Animadverſ. XVI* urticæ ſuccum ad hæmoptoſin ſiſtendam ſumme proficuum confirmat. *Animadverſ. XXXI.* vaſa chylifera in cane a ductu thoracico verſus pectus & abdomen diſtributa annotat, quæ filo intercepta ductum inter thoracicum & ligaturam, neutiquam vero inter hanc & partem pectoris intumuerint. *Animadverſ. XLIII.* miram Monialis cujusdam cum teſtudinibus antipathiam deſcribit. *Animadverſ. LIV.* lienem inſignis magnitudinis in cadavere cujusdam militis pondus octo librarum adæquantem profert, cætera lauda-

laudabilis constitutionis, in publico Ferrariensi Anatomico Theatro anno 1681. demonstratum. *Animadvers. CXXV.* mulierem commemorat lac e mammis viride emittentem. *Animadvers. CXXVI.* materiam lochiorum per alvum in primipara quadam expurgatam perhibet.

LA POLITIQUE DE FERDINAND LE Catholique Roy d' Espagne. Par Mr. de Varillas. i. e.

Antonii Varillasii Politica Ferdinandi Catholici, Regis Hispaniarum. Tomi III.

Amstelodami, apud Henricum Desbordes, 1688, in 12.

AUtoris multoties nobis memorati indefessus labor libros producit nova inventione aut methodo. Illi quos hucusque recensuimus, historiarum titulum habuere, ita tamen observationibus, animadversionibus & conjecturis politicis repleti, ut mixtum aliquod scribendi genus repræsentent, sive ingenio Autoris accommodatum, sive ideo adsumtum, quod res dudum & a multis traditas, non nisi novis condimentis legentium gustui probari posse existimaret. Jam vero instituto illi suo apertius insistere, & a vinculis, quibus historiarum scriptores adstringi consueverunt, eximere se voluisse videtur, dum ex historiis politicas dissertationes elicit, & liberioribus censuris frenum laxat. De scopo quidem suo nihil in hac, quæ ad nos pervenit, editione, præfatus est; videtur tamen ex *Ferdinandi Catholici* historia congerere voluisse, quibus ad augustæ gentis Austriacæ consilia & gesta taxanda viam sterneret. Nota est, jam inde a Francisci I. temporibus, imputata Austriacis de universalis Monarchiæ molimine intentio. Illius conceptum Ferdinando confidenter assignat Autor, & anno 1501 prima istius Monarchiæ lineamenta designata ab illo fuisse, in exordio operis asserit, indeque omnia deducit, quæ, ut ait, per sesquiseculum Europam exercuerunt, motuum & bellorum mala, & quæ ne nunc quidem magis, quam olim, a fine distare arbitratur. Quo fundamento id faciat, in medio nunc relinquimus; interim quod in principio

præſuppoſuit, etiam in concluſione libri repetit, aſſeverans, a Ferdinando delineationem Monarchiæ univerſalis relictam eſſe Auſtriacis, illumque omnes ſuæ ætatis Principes arcanæ politicæ ſcientia ſuperaſſe, primumque & ſummum illius magiſtrum fuiſſe. Sub ſpecioſis tamen politicæ hujus induſtriæ vocabulis ab autore intelligi, & Regi celeberrimo tribui deprehendimus, loco legitimæ, & quæ juſtos aut Chriſtianos Reges deceat, prudentiæ, perverſiſſimam calliditatem, improbam religionis ſimulationem, livorem ignobilem, manifeſtam denique perfidiam & tyrannidem; ita, ut qui triginta has diſſertationes, *tribus Tomis* ſeu libris comprehenſas cum attentione legerit, monſtroſum potius & deteſtabile verſutiæ & perfidiæ inſtar & characterem, quam regiæ ſapientiæ ideam, ab Hiſpanis in Rege illo ſuo commendari ſolitam, deprehenſurus ſit. Imitatus eſt, ſi non ſupergreſſus Autor, Italicorum & Hiſpanorum, qui in hoc ſcribendi genere ingenium exercuerunt, ſubtilitates & argutias; unde, ſi quid judicare poſſumus, a facilitate & flore ſtyli, quem in aliis ſcriptis ſuis ſectatus eſt, ſæpe receſſiſſe videtur. Intricatiorem utique ſcholam ex Platone, Ariſtotele & Theophraſto aperit, quam amœnioribus nationis ſuæ ingeniis facile probaturus ſit. Ad Philoſophorum iſtorum regulas non ſolum actiones *Ferdinandi*, ſed & cogitata metitur, quæ non tam ex hiſtoricorum relatione percepit, quam in Regiæ mentis intimis receſſibus ipſe efformavit. Speciminis gratia unum ſaltem locum (etſi alia non minus ſpinoſa per totum opus ſparſa inveniantur) inſpiciendum Lectori commendamus, de Ferdinandi adverſus Conſalvum, qui Magni Capitanei nomen meruit, ingratitudine; ubi argutias adfert, quas qui ſatis capiet, gratulari ſibi de ingenii ſui poterit acumine. Neque tamen tam rarum aut inauditum Viri illius fatum fuit, quin id cum non paucis commune habuerit; nec affectus Regum, quo eminentes virtutes perſequuntur, tam occultus aut perplexus eſt, quin ſub invidiæ & ſuſpicionis nomine comprehendi, & brevius clariusq; a noſtro deſcribi potuiſſet. Cæterum ipſa Ferdinandi hiſtoria, cui cum Galliæ Regibus per annos 42. varia certamina, bella, fœdera etiam, ſed haud diuturna, nec fida fuerunt, notior eſt, quam ut de ea hic verba fieri opus ſit. Multo minus referri poſſunt, quæ Varillaſius contra autores Italos, Hiſpanos, Gallos etiã

Lib. II. Diſſ. IX. p. 172. ſqq.

diſpu-

disputat; paucissimos enim irreprehensos dimittit. Defensionem tamen *Guicciardini* adversus *Joh.Bapt.Leonem* Italum, & *Bardinum* Gallum suscipit, qui illi descriptionem pugnæ ad Ravennam ob stylum exactiorem abjudicarunt. In allegationibus morem suum sequitur Autor, integra plerumque volumina in margine citans, quibus pervolvendis non cuilibet otium, nec MSS. inspiciendis copia suppetit. Licet autem meditationum nonnullarum subtilitas tædium aliquibus suscitatura esse videatur, plurima tamen cum voluptate legentur, satis eleganter & perspicue exposita. Inter ea merito laudamus parallelismum morum *Ferdinandi* Hispaniarum, & *Ludovici* XII. Galliarum Regis. *Maximilianum* I. Imperatorem in hoc quoque scripto, paulo tamen mitius, persequitur Autor, quam in historia *Ludovici* XII. mense anni superioris Decembri pag. 661. sqq. a nobis relata. Pontificum nævos, inprimis *Alexandri VI.& Julii II.* non dissimulat. In disquisitione tamen de excommunicatione in *Regem Navarræ* a Julio vibrata, dextre evitavit vexatam de potestate Pontificia in Reges controversiam, neque ex ejus defectu, sed ex aliis causis decretum Pontificium oppugnat, ea maxime, quod Rex non suo, sed uxoris nomine regnum tenuerit, quæ inaudita legitime condemnari non potuerit.

Lib. III. Disc. VII. p. 153.

Lib. III. Disc. X. p. 210.

Lib. III. Disc. IX. p. 189.

D. PAPINI DE GRAVITATIS CAUSA ET proprietatibus Observationes.

AD ulterius confirmandam tuborum prægrandium & æquabilium utilitatem, quam pluribus jam exemplis astruere sum conatus: institueram proponere Machinam a *Dn.Perrault* inventam, atque a *Dn. Blondello* editam in ultimo capite libri, quem Gallice conscripsit de projiciendis globis ferreis pulvere pyrio repletis: ex computo enim evidenter demonstrari potest, quod dicta machina, cæteris paribus, multo majorem effectum sortitura sit, si tubi æquabiles, quam si vulgaria pondera ad motum ipsi imprimendum adhibeantur: verum quo facilius computi nostri evidentia elucescat, non abs re fore arbitror, si pauca quædam, circa gravitatis naturam & proprietates, hactenus parum cognita præmiserim.

Galilæus in *Dialogis* suis *mechanicis* supponit, quod *gravi cadenti æqua-*

æquales velocitatis gradus æqualibus temporibus accrescant: & Dn. Blondellus, in supra citato opere a pag. 453 usque ad 477, eandem illam veritatem experimentis multis conatur a posteriori evincere, quasi nulla dari possit demonstratio a priori. Verum illustrissimus *Hugenius* præstantiori rem methodo peregit: illam enim propositionem, quam alii pro primo principio assumunt, demonstravit ipse a priori per aliam veritatem, quæ sic se habet. *Potentia quæ gravitatis causa est, celeritatem habet infinitam præ velocitatibus gravium cadentium, quas nobis observare licet.* Posito enim hoc principio, supradicta *Galilæi* propositio sponte sequitur: etenim si celeritas quævis a gravi cadente acquisita censenda sit infinite lenta præ celeritate potentiæ moventis; satis patet, quod dictum grave, sive quiescat sive moveatur, eodem semper modo a potentia movente affici debeat: quum motus infinite lentus a quiete non possit per ullum sensibilem effectum distingui: ac proinde nulla est ratio, cur gravitatis causa eandem motus quantitatem non imprimeret secundo tempore, quam impresserat primo: curve sequentibus temporibus æqualibus eodem tenore non continuaret: superest igitur, ut per experientiam demonstretur infinita illa velocitas, quam gravitati causæ efficienti ascribimus. Experimenta vero ad id evincendum, varia institui debent, pro varietate sententiarum, quæ ad explicandam gravitatis causam proponuntur. Verum neglectis aliorum placitis, qui in explicando obscuro per æque obscurum opera abutuntur, juxta solam *Cartesianam* Hypothesin aggressus est Cl. *Hugenius* infinitam illam celeritatem experientia comprobare. In hunc finem paravit mensam, eo artificio constructam, ut in horizontali situ circa suum centrum circumrotari posset: centrum tamen ita erat perforatum, ut transitum præberet filo, cujus extremis alligati erant duo globi æquales, quorum alter infra mensam pendulus in linea axis sustinebatur; alter vero in mensa jacebat, ita ut ab alterius globi pondere statim versus centrum attraheretur, nisi ipsum vis aliqua retineret: tum circumrotabatur mensa circa axem velocissime; dum autem ad certum velocitatis gradum pervenerat globus in mensa jacens, observabatur quod tanta vi tendebat a centro sui motus recedere, ut posset globi alterius infra mensam dependentis gravitati resistere:

tunc

tunc enim non descendebat pendulus ille globus, quanquam a nulla alia potentia retineretur, nisi a vi centrifuga globi alterius cum mensa circumacti: tunc igitur, mensurando circumferentiam, a globo illo descriptam, licebat per experientiam ostendere, quanta velocitas, in data circumferentia, vim centrifugam habeat vi gravitatis æqualem. Demonstravit præterea Cl. *Hugenius*, quod in magnis circumferentiis major quam in parvis celeritas requiratur, ut æqualis utrobique centrifuga vis habeatur: in circumferentiis igitur majorum in superficie telluris circulorum, quæ circumferentias in mensa descriptas tam immani superant intervallo, necesse est ut materia gravitatem efficiens celerrime moveatur, quo possit tantam vim centrifugam habere: illa enim materia non deprimit gravia versus centrum Telluris, nisi eadem vi qua ipsa ab eodem centro conatur recedere: ac revera, calculo rite subducto, invenit idem Cl. *Hugenius*, quod materia gravitatem efficiens tanto debeat impetu moveri, ut singulis horis totum Terræ ambitum millies ferme percurrere possit: illa autem velocitas, respectu celeritatum a gravibus cadentibus acquisitarum infinita meritissime censeri potest.

Demonstrato sic perniciссimo motu materiæ, quæ gravitatis causa est, remque ab ipsis primis principiis repetendo, maxima lux affulgebit ad resolvendas difficultates, quæ prima fronte insuperabiles videbantur. Exempli gratia, plurimos vidi afferentes, quod juxta *Cartesii* sententiam gravia deberent descendere versus axem Telluris, & sola corpora sub Æquatore sita versus centrum tenderent; (quomodo hæc quæstio a Cl. Viris *Sturmio* & *Bernoullio* ventilata jampridem fuerit, videre est in *Act. Erudit. mens. Febr.* 1686) ac sane si motus diurnus Telluris circa axem sufficeret ad gravitatem efficiendam, nequaquam negari posset objectionis validitas, graviaque omnia versus parallelorum quæque suorum centra tenderent: verum tam lentus est ille motus præ velocitate materiæ quæ gravitatem efficit, ut partes in superficie Telluris quæ velocissime moventur, nimirum sub Æquatore, ipsæ etiam tanquam immotæ censeri possint, ratione habita ad perniciссimum illum motum materiæ gravitatem efficientis: Æquator enim semel tantum intra 24 horas circumvolvitur, ista vero materia ferme 24000 cir-

cuitus intra idem tempus poteſt abſolvere: nil mirum igitur, ſi diurnus ille motus nullum in deſcenſu gravium alterando ſenſibilem effectum producat, ſed omnia verſus centrum tendant, non ſecus ac ſi Terra quieſceret.

Eadem facilitate reſolvetur alia difficultas, ex proprietatibus gravium aſcendentium deſumpta, quæ a Cl. Dn. *Leibnitio* propoſita fuit in *Act. Erud. menſ. Maj.* 1686, ubi ille contra *Carteſium* demonſtrare nititur, vim motricem in corporibus a quantitate motus differre: ubi enim datur dupla quantitas motus, quadrupla ibidem vis motrix reperitur: quandoquidem per duplam motus quantitatem gravia ad quadruplam altitudinem poſſunt aſcendere: ac ſane ex *Galilei* experimentis conſtat, quod grave quodvis, dum ſurſum movetur, cum duobus velocitatis gradibus, aſcendere poteſt ad altitudinem quadruplam ejus, ad quam aſcenderet, ſi unus tantum eſſet velocitatis gradus. Irrefragabilis quoque foret objectionis hujus validitas, ſi ſpatia aſcendendo percurſa deberent, prout exiſtimat *Autbor*, eſſe ad ſe invicem ſicut vires motrices. Verum ex ſupra dictis facilis eſt reſponſio: notum enim eſt, quod in hiſce diſquiſitionibus abſtrahitur ab omnibus reſiſtentiis & impedimentis, quæ a corporis elevandi gravitate non oriuntur: quum autem infinita ſit velocitas materiæ gravitatem efficientis, ſequitur quod ipſius efficacia ſemper eadem ſit, quocunque motu gravia ferantur: ac proinde ſi celeriter aſcendant, non plures nec validiores ictus accipient a dicta materia, quam ſi eodem tempore multo lentius ſurſum moverentur: ergo temporibus æqualibus non plus detrahetur de ipſorum vi motrice, dum magna, quam dum parva ſpatia ſurſum percurruntur: male igitur exiſtimat Cl. *Leibnitius*, vires motrices, in hoc caſu, debere eſſe ad ſe invicem ſicut ſpatia aſcendendo percurſa: quum, contra, tempora aſcenſus & vires motrices in eadem ratione eſſe debeant, ut ſingulis temporum partibus ſingulæ virium motricium partes detrahantur: tempora autem ſunt in ratione ſubduplicata ſpatiorum: ergo & vires motrices.

Quod ſi regerat, in confeſſo tamen eſſe, quod vis motrix, quæ elevat 4 libras ad altitudinem 1 pedis, eadem eſt ac vis quæ elevat 1 libram ad altitudinem 4 pedum: ſic autem ſpatia aſcendendo percurſa & vires motrices, ſunt in eadem ratione: neque ulla temporis

poris mentio in determinanda vi motrice fieri ſolet: Reſpondeo, iſtud locum habere in machinis, ubi nova ſemper vis corpori aſcendenti imprimenda eſt: ibi enim tempus utrobique, pro vi motrice & pro reſiſtentia, æqualiter augetur aut minuitur: hic vero longe alia eſt ratio, corpus enim aſcendens in ſe jam habet vim ſufficientem, nullamque novam accipit; ac proinde ratio ſolummodo habenda eſt reſiſtentiæ, quæ vim illam detrahit: reſiſtentia autem non pendet a quantitate ſpatii decurſi, ut ſupra oſtendimus, ſed a quantitate temporis. Hæc faciliora ſunt, quam ut diutius illis immoremur. Quanquam autem *Carteſii* partes tueri hic videar, nolim tamen propterea exiſtimet Cl. *Leibnitius*, me reliqua *Carteſii* placita circa Naturæ leges motusque regulas itidem velle defendere. Si quid igitur in hoc meo ſcripto improbandum ipſi videbitur, ſcrupulos, ſi fieri poteſt, eximere conabor: ſin alia impugnet, ad me iſtud quicquam attinere non credam.

Interim ſcrupulos, qui circa *Carteſianam* hypotheſin ſupereſſe poſſent, ulterius removere pergam. Graviſſimum contra *Carteſianum* ſyſtema dubium propoſuit celeberrimus *Author Novellarum Reipublicæ litterariæ* in *menſ. Decembr. anno* 1685, pag. 1317. *Non videtur*, inquit, *quod materia primi Elementi, ex qua conſtat Sol, poſſit globis ſecundi Elementi novam vim circumferentiam verſus imprimere: ſi enim id poſſet, haberet igitur majorem vim, quam dicti globi, ad recedendum a centro; ac proinde ab ipſo revera recederet, reliquaque corpora verſus dictum centrum, non autem verſus circumferentiam vorticis impelleret.* Sic videtur *Carteſianum* ſyſtema nullo modo poſſe ſubſiſtere, quandoquidem materia Solaris deberet ſtatim quaqua verſum diſſilire ac diſſipari. Simili argumento probari poſſet, quod vortex Terrenus brevi tempore deberet cum vortice Solis confundi: quum enim materia in minori illo vortice contenta minores deſcribat circumferentias; ſequitur, ut ſupra dictum, quod ipſius vis centrifuga major eſſe debeat, quam vis centrifuga materiæ vicinæ, magnum vorticem conſtituentis: ac proinde nihil poteſt impedire, quominus materia minoris vorticis continuo diſſiliat, & ſtatim cum majori vortice confundatur. Ad ſolvendam hanc difficultatem, recurrendum eſſe arbitror ad congruitatem & incongruitatem partium, quæ inſignes plurimos effectus in ſenſibilibus fluidis producunt. Quid enim nos credere vetet, dari etiã in aliis ſubtiliſſi-

mis fluidis congruitatem & incongruitatem partium, qualitatumque illarum effectus in subtilioribus, quam in crassis liquidis, multo majores reperiri? Ipsarum certe vis in superficie corporum sita est; superficies autem, ratione habita ad molem, in parvis quam in magnis corporibus majores sunt. Quemadmodum igitur exigua olei guttula in media aqua, propter partium suarum homogeneitatem unita remanet, neque confunditur cum particulis aqueis, utpote ipsi incongruis: sic verisimillimum est, vorticis Terreni partes, propter congruitatem, sibi invicem remanere unitas, neque cum magni Vorticis materia, utpote ipsis incongrua, posse confundi. Sic etiam auri liquefacti fixitatem existimo ex sola partium congruitate procedere: inde enim tanta oriri potest adhæsio, ut a maximo ignearum particularum impetu vinci nequeat. Sic etiam admodum verisimile est, quod materia Solis, quantacunque vi nitatur quaquaversum dissilire, non possit tamen a se invicem divelli, propter adhæsionem ex particularum congruitate ortam: huic igitur Achilleæ objectioni satisfecisse me arbitror. Si quis tamen ulterius petat, ut clarius explicetur, quid sit illa partium congruitas, curve tanta inde adhæsio debeat oriri? uno verbo dicam, rem in sensibilibus corporibus esse manifestissimam: videmus enim corpora cuspidibus hirsuta sibi invicem magis adhærere, quam corporibus politis: polita, contra, politis melius adhærent, quam hirsutis: politi enim cum polito contiguitas major est, quam politi cum hirsuto: contiguitas autem adhæsionem necessario infert: dum enim corpora contigua sunt, externas suas superficies expositas habent pressioni fluidorum ambientium, a quibus versus se invicem impelluntur & uniuntur; superficies vero internæ, quum sint contiguæ, nullam inter se materiam admittunt, quæ possit ipsas a se invicem dispellere.

Si quis plurima experimenta videre cupiat, circa congruitatem & incongruitatem partium instituta, consulat *Transactiones Philosophicas Londinenses* anno 1674, aut 1675: memini enim tunc temporis multa de hoc argumento ab illustrissimo Dn. *Boileo* fuisse communicata, ipsumque simul innuisse, talia forsan in explicando magno mundi systemate usum aliquem habitura.

Ejus-

Ejusdem Dn.Papini Examen machinæ Dn.*Perrault*.

IN *Actis Eruditorum* mensis hujus pag.183 sqq.ostensum est, quod modo potentia,quæ gravitatis causa est, infinitam habeat velocitatem, præ velocitatibus a gravi cadente acquisitis, sequatur,quod *gravi cadenti æquales velocitatis gradus æqualibus temporibus accrescant:* facile autem patet, ex rationibus ibi allatis, quod alia quævis potentia infinita velocitate prædita, & moles aliquas impellens, ipsis etiam,secundum easdem leges,velocitatem addere debeat: verum quo minor erit differentia inter celeritatem potentiæ impellentis & celeritatem molis impulsæ, eo minus efficax esse debebit impulsio: minores ergo velocitatis gradus accrescent temporibus ab initio impulsionis remotioribus, ubi dicta differentia non poterit censeri infinita. Exempli gratia: aeris per totam atmosphæræ gravitatem impulsi velocitas tanta est,ut 1305 circiter pedes tempore 1″ possit percurrere, prout demonstratum est in *Novellis Batavis mens. Febr. anno* 1687: illa autem potentia, non sine successu, ad explodendos globos plumbeos adhibita fuit, prout videre est in *Actis Eruditorum mens. Octobr.* 1686: illi vero globi, si calculum juxta sequentem methodum ineamus, inveniuntur acquirere velocitatem percurrendi 128 pedes tempore 1″, modo tubi, per quem exploduntur, longitudo sit 4 pedum; diameter vero 1 digiti. Patet ergo, quod globi tanta velocitate fugientes minus vehementer percutiantur ab aere a tergo insequente, quam dum iidem globi lente tantum movebantur: ac proinde motus in tubo, sub finem quam initio minus velocitatis incrementum accipit æqualibus temporibus: & minus adhuc foret dictum incrementum, si globi celeritas ab aeris celeritate minus differret. Quia tamen aeris velocitas tanta est, ut 10 circiter vicibus superet maximam dictorum globorum velocitatem, sequitur quod in parva illa tuborum longitudine, non multo minorem impetum acquirant dicti globi,quam si æqualibus temporibus æquales velocitatis gradus per totam tubi longitudinem ipsis accrescerent. In computandis igitur effectibus ejusmodi possumus, brevitatis gratia, supponere, quod motus illi easdem sequantur leges, quas de gravibus descendentibus *Galileus* demonstravit ex principio supra memorato. Sub-

ducto enim sic calculo, facile deinde erit de velocitate inventa aliquid detrahere, propter defectum celeritatis in causa impellente; (*in continuatione* Digestoris, *Amstelodami apud Henr. Desbordes Gallico idiomate excusa, plura de hoc argumento continentur: ibi autem pag. 109. lin. 12. pro* 13 & demie, *legendum est* $\frac{1}{13}$) at in casibus, ubi velocitas corporis impulsi ab aere multo minor est, ut in exemplo mox afferendo, nihil ferme detrahendum: ibi enim potentia movens effectum producere potest, eundem ferme ac si ipsius velocitas respectu corporis impulsi esset infinita: in computandis igitur effectibus machinæ hic propositæ, dum ab Atmosphæræ pressione motum accipiet, potest sine scrupulo assumi hæc

Hypothesis.


Omnes Propositiones, quas de gravibus motu uniformiter accelerato descendentibus Galileus *demonstravit, possunt itidem de corporibus ab Atmosphæra impulsis asseri; quandoquidem motus in his etiam uniformiter acceleratur.*


Hoc posito, ad computandum machinæ propositæ effectum progredior: illa autem in libro Dn. *Blondelli* de projiciendis globis ferreis pulvere pyrio repletis, capite ultimo, sic describitur. (*vid. fig. 1.*)


Fig. 1. A ponderibus AA circumgyrantur rotæ B cum vecte CD, statim atque retinaculum in P solvitur: dictus vectis CD rotatione sua alliditur ad obicem in E, ibique sistitur. Globus vero D, impetu jam acquisito, ulterius avolat secundum directionem lineæ tangentis extremitatem arcus a globo descripti. Appendix autem G firmari potest propius vel remotius a puncto E, ope dentium in schemate depictorum, sicque machina magis vel minus inclinata, globum itidem emittet secundum lineas ad horizontem magis vel minus inclinatas.

Machinæ ita comparatæ quantus debeat esse effectus, sic investigo: partium ipsius examen instituo accuratum, ut inde mihi constare queat, quanta resistentia a globo D, vecte CD, rotis B, & partium frictione oritura sit, unde fiat ut pondera AA minus velociter descendant, quam si libera in aere moverentur: deinde comparando dictam resistentiam cum gravitatibus ipsorum ponderum AA, facili indagine eruo, quantum velocitas certo descensu acquisita

TAB. IV. *ad A. 1689. pag. 190. seqq.*







quisita deflecere debeat a velocitate, quam pondera in aere libera pari descensu acquirerent. Ut autem disquisitionis illius certitudo facilius innotescat, præmittam hoc

Postulatum:

Ad comparandas inter se velocitates, imprimendas gravibus æqualibus, quæ a diversis gravitatis momentis impelluntur, sufficit disquirere, quid accidere debeat gravibus per plana diversimode inclinata ex eodem puncto descendentibus: supponendo diversas planorum longitudines esse ad se invicem, sicut diversa gravitatis momenta.

Sint ex. gr. duo pondera æqualia D & E, quæ ex eodem puncto C descendant versus horizontem AB: constat quod gravitatis momentum per planum longius CB minus est, quam gravitatis momentum per CA, in eadem ratione qua CA brevius est quam CB. Sufficit igitur disquirere, quænam futura sit ratio velocitatum in corporibus D & E, ut inde cognoscamus, quænam itidem futura sit velocitatum differentia, inter alia quævis corpora æqualia, a diversis ejusmodi gravitatis momentis impulsa. Etiamsi enim, differentia momentorum gravitatis procedat ex alia causa, quam ex inclinatione planorum, perinde est: quia materiæ gravitatem efficientis velocitas infinita censeri debet, (prout supra pag. 184 ostensum est) ac proinde motus a mobilibus acquisiti nulla habenda est ratio, sed spectandum saltem, quanta sit potentia motrix, & quæ materiæ quantitas ab ea moveri debeat. *Fig. 2.*

Supponamus jam, quod partium machinæ examine rite instituto inventa sint,

Pondera AA simul sumpta, 2000 librarum, quæ descendant per spatium 4 pedum.

Longitudo vectis CD ea sit, ut velocitas globi D sit decupla velocitatis ponderum AA.

Sit pondus globi absolutum 50 librarum; ergo respectu ponderum AA erit 500 librarum, propter decuplam velocitatem.

Sint reliquæ resistentiæ (nimirum vectis CD, rotarum B, & frictionis partium) omnes simul sumptæ æquales itidem 500 librarum: tota igitur resistentia, materiæ ponderum AA addenda, erit 1000 librarum. Soluto igitur retinaculo P patet, quod gravita-

tis

tis momentum 2000 librarum, deprimens pondera AA, cogatur non ſolum movere 2000 libras materiæ, ex quibus conſtant, verum etiam vincere reſiſtentiam 1000 libris æqualem, quam aliis cauſis adſcripſimus: hic igitur habemus 3000 libras movendas a momento quodam gravitatis, quod eſt ſaltem ſubſeſquialterum ejus, quod deprimere ſolet 3000 libras in aere libero. Ut igitur inveſtigemus, quanta hic acquiri debeat velocitas percurrendo 4 pedes; ſtatuenda ſunt (juxta poſtulatum ſupra) plana duo CB, CA quæ ſint in ratione ſeſquialtera, poſita nimirum longitudine CA 4 ped. longitudo CB erit 6 ped. ſitque planum CA perpendiculare, ſive inclinationis infinite parvæ, ad Horizontem AB: tum ſupponantur pondera duo æqualia D & E per duo illa plana deſcendere: conſtat quod ſi gravitatis momentum in D ſit 3000 librarum, momentum gravitatis in E erit ſolummodo 2000 librarum. Patet igitur, quod corpus E, percurrendo 4 pedes in plano CB, acquirere debebit eandem velocitatem, quam pondera AA in machina noſtra: quandoquidem ibi etiam 8000 libræ moventur a momento gravitatis 2000 librarum. Facile autem inveniri poteſt ſupradicta velocitas corporis E quandoquidem a *Galileo* & *Torricellio* demonſtratæ ſunt *Propoſitiones* ſequentes,

Fig. 2.

Prop. 1.

Fig. 2. *Si gravia duo D & E per plana CB CA diverſimode inclinata deſcendant verſus horizontem AB, velocitates in A & B erunt æquales, ubi nimirum perpendicularis deſcenſus altitudo eadem erit.*

Prop. 2.

In eodem plano CB ſumantur ſpatia duo inæqualia CB, CF, velocitates in B & F erunt *inter ſe ſicut radices quadratæ ſpatiorum CB, CF.*

Coroll. 1.

Si ponatur CF æqualis CA, velocitates in B & F erunt inter ſe ſicut radices quadratæ ſpatiorum CB, CA; erunt igitur etiam ſicut radices quadratæ momentorum gravitatis in D & E: quum conſtet apud Mechanicos, quod ſpatia CB, CA, recte exprimant dicta gravitatis momenta.

Co-

Coroll. 2.

Quum velocitas in A æqualis sit velocitati in B (per *Prop. 1.*) *sequitur* (per *Coroll. 1.*) *quod velocitates in A & F sint inter se, sicut radices quadratæ momentorum gravitatis.* Ex hoc corollario facile est deducere Regulam generalem, quæ computandis omnibus ejusmodi machinarum effectibus inserviat, quantumcunque alterentur accidentales circumstantiæ, in machinæ fabrica observatæ.

Regula.

Si duo pondera æqualia depressa ab inæqualibus gravitatis momentis spatia æqualia percurrant, acquisita velocitates erunt inter se, sicut radices quadratæ momentorum gravitatis.

Per hanc regulam sic determinatur quæsita velocitas corporis E, dum pervenerit in F. Observo momenta gravitatis in casu proposito esse 3000 & 2000, quorum radices quadratæ neglectis fractionibus, sunt 54 & 44: has igitur radices pro duobus primis terminis regulæ proportionis constituo: tertius terminus est velocitas acquisita a corpore D descendendo per CA (illa autem velocitas ex *Galilei* experimentis nota est, quod nimirum grave liberum descendendo perpendiculariter ex altitudine 4 pedum acquirat velocitatem percurrendi 16 pedes tempore 1″) quartus terminus per operationem prodiens exhibebit velocitatem acquirendam descensu per spatium CF. Sic

$$54, \; 44 :: 16, \; 13\tfrac{1}{27}.$$

Invenitur ergo, velocitatem corporis E in F posse percurrere 13 circiter pedes tempore 1″: velocitas autem ponderum AA in machina nostra eadem esse debet, (ut supra dictum) ergo globus D cujus velocitas decupla est, poterit percurrere circiter 131 ped. dicto tempore 1″: atque illa velocitate, si nulla esset resistentia aeris, mobile posset ascendere ad altitudinem circiter 266 pedum: habemus igitur effectum a machina sic comparata expectandum.

Videamus jam, quænam differentia sequutura sit, si reliquas omnes machinæ partes easdem prorsus relinquamus, sed removeantur saltem pondera AA, ut ipsorum loco substituatur tubus aliquis aere exhaustus, cujus pistillum rotis B pariter illigatum, a pondere atmosphæræ deprimatur, machinæque motum impertiat, eodem artificio quod descriptum fuit in aliis machinis, ad evin-

cendam tuborum æquabilium utilitatem, propositis in *Actis Erudit. mense Dec. anno* 1688. *p.* 644. Sit pistilli diameter paulo major quam 1 ped. (ita ut pondus Atmosphæræ dicto pistillo incumbens sit 2000 librarum, æque ac pondera AA) sit descensus pistilli itidem 4 ped.: resistentia autem pistilli, quæ tum ab ipsius pondere, tum a frictione oritur, posset esse minor quam 50 librarum. Sed supponamus, illam esse 100 librarum, hac addita ad resistentiam 1000 librarum, quam globo & reliquis machinæ partibus supra ascripsimus, conflabitur resistentia totalis 1100 librarum, vincenda a momento gravitatis 2000 librarum (nam, per Hypothesin initio assumptam, pressio atmosphæræ & gravitatis agunt secundum easdem leges) possumus igitur (per regulam supra) disquirere, quanto major debeat esse velocitas corporis, dum impellitur a momento 2000 librarum, quam dum impellitur a momento 1100 librarum, quæ est absoluta ipsius gravitas: accipiendæ nimirum radices quadratæ duorum illorum momentorum gravitatis, pro duobus primis terminis regulæ proportionis: tertius terminus erit velocitas per momentum 1100 librarum (id est per absolutam gravitatem) impressa, prout in superiori computo factum est, nimirum 16 pedum tempore 1″: quartus terminus per operationem prodiens exhibebit numerum quæsitum, velocitatem scilicet a pistillo nostro acquirendam: Sic $33 . 44 :: 16 . 21\frac{1}{3}$.

Patet igitur quod pistillum descensu suo ex altitudine 4 pedum acquiret velocitatem percurrendi circiter $21\frac{1}{3}$ ped. temp. 1″: ergo globus D, cujus velocitas est decupla, poterit percurrere 213 ped. dicto tempore: ac proinde (juxta doctrinam *Galilei*) posset dictus globus ascendere ad altitudinem 709 pedum, qui affectus ferme triplus est ejus, qui per vim ponderum AA obtinebatur.

Si pondera AA majora supponerentur, tubique & pistilli diameter itidem augeretur, ut Atmosphæræ pressio gravitatem ponderum semper æquaret; cæteræ autem partes eædem remanerent, Subducto juxta eandem methodum calculo, præstantia tuborum supra vulgaria pondera major adhuc reperiretur: verum hæc sufficiunt ad confirmandam tuborum æquabilium utilitatem, quam aliis jam exemplis astruximus.

Finem hic facerem, nisi opus foret apud aliquos eximios & summa

ſumma veneratione dignos Viros hic me purgare, quos aſſerere memini, non ſolum contra Chriſtianam, ſed & contra moralem probitatem peccare eos, qui inventa promovent, excidia & necem generi humano inferre apta. Ac ſane, prima fronte graviſſimum hoc crimen judicetur; verum re attentius inſpecta, nihil hic mali ſubeſſe video: quid enim refert arma ſuppeditare improbis, quum plus ſatis habeant ad omnia deſtruenda? Quod ulterius non ſæviant homines, id profecto non fit ex armorum defectu, ſed ex ſolo metu, ne ipſimet lædantur ab aliis: ac proinde, ſi plura & efficaciora armorum genera parabimus, major equidem improbis dabitur inde nocendi facultas, nec tamen magis nocebunt; quia metus ipſis incuſſus ab aliis itidem augebitur. Id vel ex eo ſatis confirmatur, quod poſt inventum pulveris pyrii uſum, non magis exitialia aut cruenta bella geſta ſunt, quam dum telis & gladiis certabatur. Quæcunque igitur vel ad ratiocinandi facultatem exercendam & roborandam, vel ad corporum naturalium proprietates detegendas, vel ad mechanicam ſupellectilem locupletandam, hominumque ſagacitatem adjuvandam conferre poſſunt, nequaquam reticenda arbitror. Si qui enim inde pravi uſus ad hominum deſtructionem elici poſſunt, mala inde orta pari bonorum menſura, eo etiam nomine, compenſabuntur.

G.G.L. DE LINEA ISOCHRONA, IN QUA grave ſine acceleratione deſcendit, & de controverſia cum Dn. Abbate D.C.

CUm a me in his *Actis Martio* 1686 editis, publicata eſſet demonſtratio contra *Carteſianos*, qua vera virium æſtimatio traditur, oſtenditurque non quantitatem motus, ſed potentiæ, a quantitate motus differentem ſervari; Vir quidam doctus in Gallia, Dn. Abbas D.C. pro Carteſianis reſpondit, ſed ut poſt apparuit, vi mei argumenti non ſatis perſpecta. Credidit enim, recepta quædam alia principia a me impugnari, quæ in *Novellis Reip. Literar. menſ. Jun.* 1687 pag. 579 enumerat, & negat p. 519 ſeq. ſe agnoſcere contradictionem, quam ego in illis invenire mihi videar: cum tamen nun-

quam mihi de illis dubitare in mentem venerit, quemadmodum ipsum admonui *Novell. Reip. Lit. Septemb.* 1687. Idem ut eluderet objectionem meam, conjecerat se in diverticulum temporis, quod eo modo, quo conceptus a me erat status controversiæ, plane est accidentale. Eadem enim manente altitudine, eadem vis acquiritur aut impenditur a gravibus quocunque tempore indulto, quod pro inclinatione descensus majore minoreve augetur aut minuitur. Ea occasione, quo magis appareret, tempus atq; adeo distinctionem inter potentias isochronas vel anisochronas, hoc loco nihil ad rem facere, & ut ex disputatione nostra aliquid incrementi scientia caperet, *Problema* tale, a me inter scribendum solutum, & (ut videtur) non inelegans, ipsi proposui in *dictis Novellis Septembr.* 1687. *Invenire lineam isochronam, in qua grave descendat uniformiter, sive æqualibus temporibus æqualiter accedat ad horizontem, atque adeo sine acceleratione, & æquali semper velocitate deorsum feratur.* Sed Dn. Abbas D.C. nihil ultra reposuit, sive quod problema attingere nollet, sive quod agnita tandem mente mea, satisfactum sibi judicaret. Sed ejus loco problema hoc sua opera dignum judicavit Vir Celeberrimus *Christianus Hugenius*, cujus solutio meæ prorsus consona extat in *Novellis Reip. Literariæ Octobr.* 1687; sed suppressa demonstratione & explicatione discriminis inter diversas lineas ejusdem ut ait generis, quas satisfacere notat. Hæc igitur ego supplere hoc loco volui, facturus citius, nisi aliquid hic a Domini Abbatis industria expectavissem. *Problema:* invenire lineam planam, in
Tab. IV. qua grave sine acceleratione descendit. *Solutio:* sit linea para-
Fig.3. boloeides quadrato-cubica quæcunque βNe (nempe ubi *solidum* sub quadrato basis NM & parametro a P æquale est cubo altitudinis βM) ita sita, ut verticis β tangens βM sit perpendicularis horizonti, in cujus lineæ puncto quocunque N si ponatur grave ea descendendi ulterius celeritate præditum, quam potuit acquirere descendendo ex horizonte Aa, cujus elevatio aβ supra verticem β sit $\frac{4}{9}$ parametri curvæ, tunc idem grave descendet porro uniformiter per lineam Ne, utcunque continua tam, ut desiderabatur.

Demonstratio. Recta NT curvam βNe tangat in N, & ipsi βM occurrat in T. Utique (ex nota proprietate tangentium hujus curvæ)

curvæ) erit TM ad NM in ſubduplicata ratione aβ ad βM. Ergo TM ad TN erit in ſupduplicata ratione aβ ad aβ+βM, ſeu ad aM. Jam ratio TM ad TN eadem eſt quæ velocitatis *per curvam* deſcendendi (ſeu horizonti porro in curva appropinquandi) quam grave habet poſitum in N, ad velocitatem qua idem ex N porro, non per curvam, ſed *libere* deſcenderet, ſi poſſet (ut conſtat ex natura motus inclinati.) Sed velocitas hæc *libera* porro eſt ad conſtantem quandam, in ſubduplicata ratione aM ad aβ: ſunt enim (ut ex motu gravium conſtat) velocitates liberæ, in altitudinum (unde deſcendendo quæſitæ ſunt) aM, ſubduplicata ratione. Ergo velocitas deſcendendi per curvam N e, quam grave habet in quocunque curvæ puncto N poſitum, eſt ad velocitatem conſtantem, in compoſita ſubduplicata ratione aβ ad aM, & aM ad aβ; quæ eſt ratio æqualitatis. Ipſamet igitur velocitas illa per curvam deſcendendi eſt conſtans, ſeu ubique in curva N e eadem. Quod præſtandum erat.

Conſectaria: (1) Grave celeritatem habens tanquam lapſum ab altitudine aliqua Aa, deſcendere poteſt ex eodem puncto N per curvas iſochronas infinitas, ſed ejusdem ſpeciei ſeu ſola magnitudine parametri differentes, ut N e, N (e) NE quæ omnes ſunt paraboloeides quadrato-cubicæ, adeoque ſimiles inter ſe. Imo quælibet hujusmodi paraboloeidum hic inſervit, modo ita collocetur, ut aβ vel (a) (β) diſtantia verticis ab horizontali a (a), unde deſcendere incepit grave, ſit $\frac{4}{9}$ parametri curvæ βe vel (β) (e): nec refert an grave iſochrone deſcenſurum in curva N (e), pervenerit ad N ex a (a) per viam (a) (β) N, an per aliquam aliam, aut ſine deſcenſu ullo ob aliam cauſam eandem celeritatem atque directionem acquiſiverit. Ex infinitis tamen iſtis lineis Iſochronis, in quibus grave ex N porro ſine acceleratione deſcendere poteſt, ea celerrimum ipſi deſcenſum præbet, cujus vertex eſt ipſum punctum N, qualis eſt NE, quam recta AN horizonti perpendicularis tangit.

(2) Tempus deſcenſus per rectam aβ, eſt ad tempus deſcenſus per curvam βN, ut dimidia altitudo βM ad ipſam aβ: ac proinde ſi βM ſit dupla aβ, æqualia erunt tempora deſcenſuum per aβ & per βN. Quorum ratio manifeſta eſt: nam tempora deſcenſus uniformis ſunt inter ſe ut altitudines; & ex demonſtratis a *Galilæo*,

tempus quo mobile percurrit altitudinem $a\beta$ motu accelerato, est duplum ejus, quo percurrit æqualem altitudinem βM (ut hoc loco fit, licet per curvam βN) motu uniformi, qui celeritatem habet æqualem ultimæ per accelerationem acquisitæ in β.

Hoc autem problema fateor me non Geometris primariis proposuisse, qui interiorem quandam Analysin callent, sed his potius, qui cum *erudito illo Gallo* sentiunt; quem mea de *Cartesianis* plerisque hodiernis (Magistri paraphrastis potius quam æmulatoribus) querela suboffendisse videbatur. Tales enim, cum alias receptis inter *Cartesianos* dogmatibus, tum etiam Analysi inter ipsos pervulgatæ nimium tribuunt, adeo ut se ipsius ope quidvis in Mathesi (si modo velint, scilicet, calculandi laborem sumere) præstare posse arbitrentur: non sine detrimento scientiarum; quæ falsa jam inventorum fiducia, negligentius excoluntur. His materiam exercendæ suæ analyseos præbere volueram, in hoc problemate, quod non prolixo calculo, sed arte indiget.

Si quis tamen præreptam sibi jam solutionem queratur, poterit *aliam isochronam*, huic vicinam quærere, in qua non, ut hactenus, grave uniformiter recedat ab horizontali, (vel ad eam accedat,) sed a certo puncto. Unde problema erit tale, *invenire lineam, in qua descendens grave recedat uniformiter a puncto dato, vel ad ipsum accedat.* Talis foret linea NQR, si ejus esset naturæ, ut ex puncto dato seu fixo A, ductis rectis quibuscunque ad curvam, ut AN, AQ, AR, esset excessus AR super AQ, ad excessum AQ super AN, ut tempus quo descenditur per arcum QR, ad tempus quo descenditur per arcum NQ.

CHRISTOPHORI CELLARII PROGRAMMATA varii argumenti, Oratoriis exercitiis in Citicensi Lyceo præmissa: ejusdemque Orationes ibidem in illustriore consessu recitatæ.

Lipsiæ, sumptibus Gleditschii 1689, in 8.

CLarissimus Auctor, Scholis celebribus adhuc præfectus, id inprimis curæ habuit, ut dicendi facultatem & Historiarum notitiam

titiam suæ fidei commissis discipulis instillaret. Crebras idcirco declamationes instituit, nec illas vulgaris ac vilis materiæ, sed ita ex Historiis tam sacris quam profanis selectæ, ut adolescentes illa æque ad virtutem, atque ad solidam doctrinam usumque rerum præpararentur. Cujus studii LXX Programmata argumento sunt, omnia in Cizensi Gymnasio conscripta, & rerum ac quæstionum nobilissimarum referta, quæ si sacræ sunt, ex Rabbinorum commentariis & Linguis Orientalibus; sin sequiores, ex optimo quoque antiquitatis scriptore deciduntur. Nos aliquas tantummodo delibamus, unde de ceteris etiam pronum sit judicare. Programmate V verbum ὑψωθῆναι Evangeliorum de cruce Christi ex lingua Syriaca novo modo explicatur: Programmate XV Psalmus II, & Programmate XXII Caput LIII Esaiæ; & Programmate LXVIII fides Jobi de resurrectione; & Programmate XXX resurrectio impiorum, atque hæc singula contra Judæos vindicantur: Programmate X signa adventus Messiani Judaica; & Programmate XXXVIII opinio de gemino Messia; & Programmate LXVII *Tau* figura crucis Christi; & Programmate XXVII Serpens Æneus; & LIX falso a Christianis ad Christum applicata examinantur, ut de Sceptro Judæorum sublato ex Programmate XXVIII, & Conversione eorundem universali ex XLV taceamus. Nec leviora sunt aut injucundiora, quæ ex antiquitatibus atque historiis declarantur, ut sunt Augustorum & Cæsarum differentia, Programmate IV; Consecratio Christianorum etiam Principum, Programmate XXXV; Tropæorum usus & intermissio, Programmate XXXVI; Magorum patria, Programmate XXIX; Hierosolymæ situs in medio terrarum, Programmate XXXIX; Judæorum clades sub Hadriano Imperatore, Programmate VIII, IX & XIV; Æliæ Capitolinæ origo, ornamenta, leges, Programmate LXII; Babylonis excidium, Programmate XLIX; Hercules Musarum, Programmate LXVI. &c. Adjectæ sunt sex Orationes, e quibus tres funebres sunt, prima Serenissimo olim nunc beatissimo Principi Dn. MAURITIO, Saxoniæ Duci & Episcopatus Numburgici Administratori, nostro quondam Domino clementissimo; secunda Illius Viduæ Celsissimæ SOPHIÆ ELISABETHÆ, ex Gente Holsatorum oriundæ; tertia celeberrimo quondam Philologo & Theologo Jo. Sebastiano Mitternachtio, sacrata

est

eſt: quarta, Dedicatio auditorii, quæſtionem examinat, an Gentilium libris, ut poetarum & ſimilium, locus eſſe poſſit in Scholis Chriſtianis: quinta occaſione ſecularis ſolennitatis de *ſeculi* apud Romanos menſura & termino diſputat: ſexta, qua Vale dixit Auctor Cizenſibus, methodum ſcholaſticæ inſtitutionis expeditiorem vulgari, & utiliorem commendat.

MEMORIE ISTORIOGRAFICHE DEL REGNO della Morea, di quello di Negroponte &c.

id eſt:

Commentarius Hiſtoriographicus de Regno Moreæ, Regno Negropontico, locisque littoralibus Theſſalonicam usque pertingentibus.

Editore Joſepho Maria Ruinetti,
Venetiis, 1688, 8.

ETſi indicatus nobis ſuperiori anno in menſis Octobr. frontiſpicio *Maris Ægei* Hiſtoriographus, accuratam ſatis *Moreæ* quoq; & vicinorum tractuum deſcriptionem exhibuerit, peculiaris tamen hæc delineatio vel ideo memoratu digna nobis videtur, quod
p.28.240. & ex P. *Coronelli* Coſmographi Veneti Laboratorio, uti vocatur, quodammodo prodierit, & præter ſuccinctam rerum a Seren. Republica Veneta ibi geſtarum recenſionem, compluribus locorum, fortalitiorum, conflictuum &c. iconiſmis, iis qui talibus delectantur, ſe
73. affatim commendet. Inter iſtos quoque *labarum*, cum inſcriptione Turcica, & duo *hippuri* in conflictu *Coronenſi* hoſtibus erepti comparent, quod ſignorum genus prodituræ in aciem militiæ apud Turcas indicio eſſe ſolet.

11. In *Laconiæ*, hodie *Zaconiæ*, laudem cedit, quod optime notæ canes producat, quibus ipſe Sultanus & proceres ejus maxime delectentur. Nec notiſſima illa Inſularum triga intacta relinquitur;
163. utpote *Corcyræ*, hodie *Corfu*; *Cephaloniæ*, cujus incolæ veſtigia Sedis *Ulyſſeæ* in proxima Ithaca h. *Tracchi* etiamnum venerari norunt; & *Zazynthi*, hodie *Zante*, S. Veronicæ, ſudarium Chriſti ibi expandentis,
166. opera ad fidem converſæ, & *Jeruſalem* olim dictæ, ubi *Robertus Guiſcar-*

Guiscardus Apuliæ Dux, in itinere S. Sepulchrum versus, revelatio- 166.
nem de morte *Hierosolymis* obeunda sibi factam adimpleverit. Insula
hæc *Zante* de Episcopi quondam sui *Francisci Commendoni*, quem nec 173.
Germania nostra præterito seculo ignoravit, virtutibus non minus,
quam de ingeniosa Nobilis Veneti *Angeli Barbarici* industria, qua
planitiei in 10 milliaria long. & 15 latitud. porrectæ, aquæ annuatim instar lacus ibi confluentis exsiccatione A. 1673 procurata, delitiosa inducta fuerit fertilitas, non immerito gloriatur.
Incolarum, quorum maximam partem Græci constituunt, ad 171.
arma alias magis quam artes proclivium, si qui tamen animum 174.
studiis & legibus applicant, facundissimi Oratores & Causidici evadunt, litigiis, quibus ibi maxime indulgetur, feliciter adhibendi. Monachi *S. Basilii* per integrum annum carne abstinentes, Lunæ insuper, Mercurii, & Veneris diebus, ut & in tribus Vigiliis, Epiphanias qua Mare solenni ritu baptizant, S. Johannis & Crucis, ne lacticiniis quidem, pisce vel oleo vescuntur. Quatuor porro extantiora jejunia observant: I. idque maximum *ἡ μεγάλη τεσσαρακοστὴ* vocatur, quo per 7 hebdomadas, (die Saturni & Solis, ut & festo *Annunciationis*, & Dominica Palmarum exceptis) itidem piscibus & oleo abstinent; ostreis, aut alio exsanguium piscium genere, & oleribus contenti. II. *ἁγίων ἀποστόλων* a die Lunæ post octavam Pentecostes usque ad Vigiliam S. S. *Petri & Pauli*. III. *τῆς ἁγίας παρθένου*, a 1. Augusti usque ad 15. ejusdem, quo etiam pisces exesse jubent, diem 6 illius mensis, *μεταμορφώσεως τοῦ Σωτῆρος* dictum, excipientes. IV. *τῶν χριστογενῶν*, a 15. Nov. usque ad 25. Dec. continuandum. Reliqui Græci non religiosi ita jejunant, ut 130 dies per annum carnis usu gaudeant.
Nec Moniales rigorosa adeo, ut alibi, clausura coercen- 177.
tur, quin sæpius in publicum prodeuntes conspiciantur. Inter alia, quæ de *Athenarum* occupatione, statu & antiquitatibus enarrantur, nullos Judæos ibi etiam tolerari dicitur, eo quod
his Cives ipsi versutia & calliditate nihil cedant, juxta tritum di- 206.
verbium: *a Judæis Thessalonicensibus, Græcis Atheniensibus, & Turcis Negroponticis libera nos Domine.*

Dum de Eubœa, hodie *Negroponte*, paulo post agitur, Fluxus 220.
quoque & Refluxus *Euripi* a P. *Cabino* Soc. J. observati descriptio,

una cum tabula variationem per singulos mensis Lunaris dies indicante, adjicitur.

HISTOIRE DE PHILIPPE DE VALOIS & du Roy Jean. i.e.

Historia Philippi Valesii & Johannis Galliæ Regum.

Amstelodami apud Henricum Desbordes 1688. in 12.

ABbas de Choisy, qui se in dedicatoria ad Regem Galliarum epistola, historiæ hujus autorem profitetur, haud obscurum in orbe cultiori nomen adeptus est, tum ab eruditione, tum ab itinere Siamensi ejusque descriptione. Proposuit sibi, ut in præloquio ad lectores monet, Regum Galliæ priorum ex Valesia stirpe historiam reconcinnare, non ex antiquis solum, qui editi sunt, autoribus, sed & ex manuscriptis in bibliotheca *Seminarii*, quod vocant, *regiarum missionum* & Abbatis Caumartini. Loca veterum scriptorum ea, qua usi sunt, dialecto refert, simplicitate sua, ut haud immerito sperat, placitura. Discessisse se fatetur ab instituto, quo nuper unus atque alter historiarum scriptor, in animos affectusque hominum, dudum fato suo functorum, penetrasse se credidit, indeque operose produxit, qua mente, quo affectu, consilioque omnia acta fuerint, licet nulla autoritate, quam sua, ista exponat. Materiam scriptionis sumsit ex rebus ab utroque Rege, *Philippo* & *Johanne*, patre & filio, ab anno 1328 ad 1364, intra annos scilicet XXXVI gestis, vario, infelici tamen plerumque eventu. Prioribus quidem regni sui annis Philippus Campaniam acquisivit; Flandros prælio ad Montem Casselium devicit; Angliæ Regem ad juratam clientelæ professionem, respectu provinciarum quas in Gallia tenebat, adegit; & Pontificis hortatibus obsequens, ad bellum, quod sacrum vocabant, initiari se passus est. Sed erumpentibus inde Eduardi III Angliæ Regis ad successionem Gallicam prætensionibus, non una clade terra marique afflictus fuit Philippus, easque fere omnes temeritate sua aut

aut suorum incurrit: ad *Cressiacum* maxime, ubi anno 1346 XXX suorum millia & in iis florem Gallicæ Nobilitatis amisit, licet numero copiarum decuplo majori, quam Angli, instructus esset. Inter prospera Philippi referenda est acquisitio Ruscinonensis Comitatus (*Roussillon*) a Jacobo Balearium Insularum Rege emti; & provincia, quam *Delphinatum* vocant, in Gallia Lugdunensi, ab *Humberto* Principe sive Delphino, *Carolo Valesio* Philippi ex Johanne filio nepoti donata, d. 29 Martii 1349. Anno sequenti Philippus decessit, cum paulo ante pactam filio Johanni Navarræi Regis filiam, pulchritudine ejus captus, sibi junxisset. Sed ista aliaque *libris* sive *capitibus tribus* enarrata, ex plurimis scriptoribus nota sunt, qui nec testamentum Regis tacuerunt. In hoc inter alia jussit, ut per totum regnum mitterentur, qui inquirerent, an aliquibus ex civibus injuria a se facta esset, utque ea deprehensa, pro viribus satisfieret læsis: pio sane instituto, sed magis laudando, si a vivis præstetur, aut a damnis injuriisque inferendis abstineatur. Elogium quo Regem hunc defunctum Autor prosequitur, tersum & ingenuum est, nec indignum, ut putamus, quod adscribatur. *Per annos regni* (inquit) *viginti tres adversam fortunam sæpius expertus est, neque tamen animum despondit. Una enim victoria ad Montem Casselium excepta, semper cæsus fugatusque est, vel ipse vel legati ejus. Nihil latuit hostes eorum, quæ agere vellet; at ipse illorum consilia non nisi postquam exitum habuissent, comperire potuit. Erat egregia forma, comis, affabilis, liberalis, manu quoque strenuus, ut exemplo suis in prælio esset, semper tamen infelix, etiam sine culpa. Summos thesauros Regum in corde civium esse, & se malle Gallorum quam Galliæ Regem esse, dictitare solitus est. Moriturus deplorasse fertur, quod subditos novis tributis onerasset, licet necessitate urgeretur. Sed magna calamitatum pars civibus imputanda est. Crimina enim atrocissima sine pudore & impune, quandoque etiam cum præmio committebantur. Nunquam tanta miseria cum insano luxu conjuncta fuit; ambitio, luxuria, prodigalitas, virtutes seculi erant. Pecunia omnibus modis quærebatur, ad explendas pessimas cupiditates profundenda. Itaque Deus Gallorum scelera ulturus, proceres præliis prostravit, & lues famem secuta uberrimas regni provincias depopulata*

est. Quanquam vero in digressionibus parcus sit Autor, aliquas tamen in loco & apte inseruit. Inter eas memorabilis est de tiara Papali, quam hujus Regis tempore, a Johanne XXII, amicissimo Gallis sed Germanis infensissimo, triplicatam fuisse refert, cum prisci Pontifices non nisi mitram, Phrygiæ fere similem gestassent, dein Hormisda donatam sibi a Clodovæo Rege Galliæ auream coronam imposuisset, & Bonifacius VIII duplicasset, ut indicaret, non minus temporalia quam spiritualia imperio suo subjacere. De pulveris pyrii usu ad majores machinas ignivomas instruendas, testimonium ex rationum regiarum libro affert, quod anno 1338 in obsidione arcis cujusdam adhibitus fuerit.

Lib.I.§.XI.

In parte *altera*, libris itidem tribus breviusculis, *Johannis* Regis historia traditur, qui parente infelicior fuit. Nam & domesticis discordiis & insidiis misere vexabatur, & adversus Anglos res tam male gessit, ut anno regni sexto, d. 19 Septembris anno 1356, ad Pictavium vivus in eorum manus perveniret, exercitu licet quinquaginta millium adversus decem tantum hostium millia pugnans. Sub hoc Rege tributorum sat grave onus Gallis impositum est, sed habitis comitiis & impetrato eorum consensu. Quanta vero eo tempore Ordinum regni autoritas ex veteri libertate superfuerit, luculenter cognosci potest ex relatione de comitiis, post captum Regem, a filio Regis seu Delphino habitis, quam Lib.II.§.1. legere licet. Octingenti aderant qui in comitiis sententias dicebant, delectique ex iis quinquaginta, decimas omnium redituum tam Ecclesiasticorum quam Nobilitatis, & ex urbium tributis stipendia, quibus triginta millia militum alerentur, obtulerunt, sed iis conditionibus, quas Delphinus accipere noluit: paulo post tamen adactus fuit, ut & ministros quos habebat, exauctoraret, & quos Ordines illi denominabant, admitteret. Secuta est sive ob regiminis vitia, sive æmulorum artibus, Parisiensium a Delphino defectio, inde obsidio urbis, ejusdemque ad obsequium redactio. Præcesserat tumultus rusticorum in nobiles luxu corruptos & subditis intolerabiles insurgentium, qui a *Jacobo bono homine* (*Jaques bon homme*) cognomen sumserat, nec nisi viginti millium strage componi potuit. Conditiones interea pacis cum Rege captivo in Anglia

Lib.I.§.VII.

tra-

tractabantur, sed recusatæ sunt ab Ordinibus regni Gallici: conventum tamen tandem est anno 1360, durissimis ex Gallorum parte conditionibus. Cedebantur enim Angliæ cum supremo jure amplissimæ regni provinciæ *Pictonum, Santonum, Aquitanorum, Lemovicum*, *Ruthenorum*, *Petrocoriorum*, aliorumque; multa etiam in *Picardia* & inter illa *Caletum*. Promissum fuit immensum lytrum, tres nempe ut vocant milliones, sive tricies centena aureorum millia. Pro eo obsides quadraginta, ex proceribus regni & primariarum urbium, in Angliam missi sunt. Inter obsides erant duo filii, ut & frater Regis. Ut conficeretur pecunia nullis tributis exigibilis, etiam filia regia impari marito tradenda fuit Galeatio Mediolanensium novo Duci. Post reditum suum Johannes Rex nova calamitate afflictus est, cum milites exauctorati in turmas collecti, magnam regni partem vastarent, & exercitum regium profligassent. Maleferiati isti sese *Tarde-venientes* vocabant, itemque *amicos Dei & omnium hominum inimicos*. Cum vero Pontifici, qui tunc Avenione aulam habebat, hostilia minitarentur, astu decepti, & data pecunia trans Alpes ducti sunt, ad bellum Mediolanensibus inferendum. Ab his magistris Italos, ea tempestate fere inertes, artem militarem denuo didicisse, Scriptores gentis notarunt. Persuasus inde a Papa Johannes Rex, belli sacri ducatum voto recepit, indignantibus licet dolentibusque consiliariis & proceribus. Iisdem etiam inconsultis, in Angliam anno 1363 navigavit, ea spe ut conditiones pacis, quarum aliquas exequi non poterat, se præsente mitigarentur. Sunt qui dicunt, eum amore fœminæ cujusdam ad iter id permotum fuisse. Advenientem Angliæ Rex magnifice excepit, & aliquot menses cum eo in ludis & spectaculis consumti sunt. Sed Johannes in illis ipsis delectamentis mortem invenit, & in Anglia d. 8 Aprilis 1364 decessit. Illi his fere verbis Autor parentat: *Sic in terra peregrina decessit Johannes Rex, cum vixisset annos LVI, regnasset XIV. Instructus fuit plerisque virtutibus, quæ magnum Regem faciunt; pius erat, ut abnepotem Sancti Ludovici decebat; fortis ad temeritatem usque; tam liberalis, ut prodigus haberetur. Sed bello infelix Rempublicam subvertit, dum consilia suorum aspernaretur. Sibi & animi sui magnitudini præfidens, temeritate sua prælio Pictaviensi victus est, & cum summo dolore ante ocu-*

los suos internecionem plerorumque ex proceribus suis, se vero captivum Principis Walliæ vidit, qui tamen in medullio Galliæ conclusus, & commeatu ad triduum saltem instructus, sine pugna ad deditionem compelli potuisset. Erat sub alieno ductu Legatus bonus, Imperator malus; obsequio quam imperio aptior. Nihilominus bonitas naturæ, quæ ex toto vultu ejus, omnibusque vitæ actionibus relucebat, amorem populi illi conciliaverat, licet eum tributis opprimeret, & sua culpa infelicem redderet. Familiaritas & affabilitas quædam & verborum quorundam blandities edulcabat duritiem dominationis, & subditos constringebat, ut nutus ejus vel minimos pro legibus inviolabilibus haberent.

GUERNERI NEUHAUSEN, HAMMONENSIS, Homo Melancholicus, seu Dissertatio Philosophico-Medica de melancholia tum intellectuali, tum corporali, & quatenus objectum est medicinæ.

Hammonæ Guestphalorum apud Bernh. Wolphardt. 1688, in 12.

VUlgarem, at intricatum, qui compositum illum ex mente & corpore hominem affligit, affectum describere Auctor clarissimus sibi proposuit. At vero cum Cartesii inprimis legat vestigia, pari utitur methodi regula. Itaque DEUM Creatorem in homine mentem & corpus conjunxisse, illius naturam in cogitatione, hujus in extensione posuisse, cum eodem supponit. Commercium utriusque per glandulam pinealem, tanquam immediatum magis instrumentum conservari, ita quidem ut per hujus motus anima imperet corpori, & quæ corpus afficiant, cum mente communicentur. Actiones in homine alias solius mentis, alias mere corporeas, alias quæ ex utriusque conjunctione fluant, alias dubias, quæ nunc sine mentis arbitrio peragantur, nunc ab ea diversis modis varientur, appellat. Exinde quomodo a corporis vitiis, coctione ventriculi labefactata, sanguinis mixtura & motu turbatis, & spirituum anomaliis, pariter mens labem contrahat, & contra tristes & adversæ in mente cogitationes corpori afferant noxam, edocet. Melancho-

cholicorum igitur symptomata singula recenset, & rationem secundum dictam hypothesin annectit; causas procatarcticas & proximas persequitur, & omnia variis exemplis illustrat. Quibus præmissis, affectus hujus & nomina diversa, & definitiones primum aliorum, hinc suam subjungit. Nimirum aliam mentalem melancholiam, tristitiam diuturnam corporis functiones & imminentem & destruentem; aliam corpoream, languorem scilicet corporis a causis externis vel internis productum asserit. In prognoseos recensione, quomodo in plures morbos facessat, rationibus & exemplis exponit. Mentis affectum rationibus, corporis medicamentis aggreditur. Illum sedandum causam mœroris scrutando, & quantum possibile removendo, affectibus frenum injiciendo &c. Huic medicinam fert & auxilium venæ sectione; sanguinem diluentibus & attenuantibus, ejusque motum augentibus, inprimis decoctis lignorum; & præparatorum hac ratione humorum primum per catharsin, dein per sudorifera eductione. Medicamenta ex Galenicorum, & Chymicorum penu selectiora addit. Diætæ regulas tandem & corollaria quædam, quæ varia philosophica, medica, chymica continent paradoxa, proposuit.

APOLOGIE HISTORIQUE DE DEUX censures de Louvain & de Douay, sur la matiere de la Grace, par M. Gery, Bach. en Theol. i.e.

Apologia Historica pro Censuris duabus, Lovaniensi & Duacena, in materia de Gratia, autore Dn. Gery, Baccal. Theol., occasione libri Gallici, cui titulus est, *Defensio novorum Christianorum & Missionariorum in China, Japonia & Indiis &c.* composita, & Curcierio, Doctori Sorbonico & Theologiæ Professori Parisiensi inscripta.

Coloniæ, apud Nic. Schouten, 1688, in 12.

NOndum quidem ad nos libellus in titulo indicatus, cui *Apologia* hæc opposita est, pervenit; differre tamen hujus enarrationem noluimus, tum ne novitatis gratiam amitteret, tum quia ex

ex *Defensione* illa Apologiæ huic insertum est, quicquid Theologi Lovanienses ad offensam suam pertinere putarunt. Occasionem vero *Defensionis* istius edendæ (quantum quidem ad hanc quæstionem de *Gratia* attinet) Jesuitæ fortasse sumserunt, ex publicata nuper in Belgio *Historia Congregationis de auxiliis gratiæ sub Clemente VIII & Paulo V habita*, quam in Actis nostris anno 1687 pag. 353 & seqq recensuimus, & quam Defensor ille malignam & exilem fabulam (*un meschant petit Roman*) vocavit: dein ex libro prolixo *de Traditione Ecclesiæ in articulo de prædestinatione*, sub nomine *D. Germani* edito, in cujus Tomo II. Jesuitæ haud leviter perstringuntur, ut vel ex Actis nostris A. 1688 pag. 402 & sqq. intelligi potest. Allegata ibi speciatim fuit censura Lovaniensium in lectiones & scripta *Leonardi Lessii*, Jesuitæ, anno 1587 vibrata, eorundemque legatio anno 1679 Romam missa, qua procuratum fuit, ut Lessii & aliorum ex Societate Jesu theses LXV diplomate Pontificio proscriberentur. Sed de illis thesibus haud multum tractat Apologiæ hujus Autor, id potissimum agens, ut quod Jesuitæ in dubium vocant, ipse evidenter demonstret, censuram nempe anno 1587 ab optimis viris & sincera mente factam ita subsistere, ut in tribunali Pontificio, quod Inquisitorium vocant, neque olim neque nuper improbata fuerit: unde etiam, absque approbatione manifesta & solenni, constare debeat, quod doctrinam sanctam, orthodoxam & catholicam contineat. Asserit hæc Autor tribus hujus Apologiæ partibus, & quicquid in Defensione illa Jesuitica oppositum fuit, magno cum studio refutat, Approbatorem Parisiensem, *Currierium*, quem semper alloquitur, haud parum vellicans. Etiamsi vero non magni momenti esse videantur, quæ de censuræ illius validitate Autor disputat; cum ipse non diffiteatur, illam non nisi consilii aut sententiæ privatæ vim & autoritatem habere, donec decretum Pontificis accedat: multa tamen in hac Apologia lectores invenient, ad intelligendam historiam capitalis illius controversiæ, qua doctissimi Romanæ Ecclesiæ Theologi, totaque Sodalitia Academica & Monastica, ab annis plus centum, in partes distrahuntur. Hujus dissidii acerrimi intuitu, de jactato illo consensu in fide, quem nuper in relato a nobis mense hujus anni Februario p. 65 sqq. & Martio p. 157 sqq. Tractatu de Dissensionibus Protestantium *Episco-*

sco-

scopus Meldensis magnifice commendavit, non exigua oriri potest dubitatio. Mirabuntur etiam multi, cur post tot annos decisio tantæ litis a Pontificibus differatur; quam tamen jam dudum exactissimam in cognitionem vocarunt, & auxilio Spiritus S. quod sibi nunquam deesse existimant, facile dirimere possent. Neque enim de levi quodam articulo, sed de tali controvertitur, quo vix ullus gravior est ex iis, qui schismati inter Romanam Ecclesiam & Protestantes causam dederunt. Ut adeo non iniqua desiderare videantur Lovanienses & alii, qui decisionem urgent, ejusque procrastinationem non satis patienter ferunt; licet nescio quis turbarum metus obtendatur, si altera litigantium pars causa cadat. Unde simul Protestantes in sententia sua confirmabuntur, Pontifices non tam veritatis professione, Ecclesiæ, quam jactant, unionem, quàm humanæ dominationis artibus tueri, vi nempe, ubi possunt, aut dissimulatione, si vires desint.

Sed ad rem accedimus, plerisque tamen præteritis, quæ Autor libri in anonymum *Defensionis* scriptorem aliosque Jesuitas, & totam eorum Societatem spargit, satis aspera & aculeata. Tuetur imprimis *Parte prima* famam Theologorum Lovaniensium, qui censuram anno 1587 conscripserunt, negatque eos Jesuitis, quod illi queri solent, inimicos fuisse. Magno elogio mactat *Henricum Gravium*, cujus stylo censura composita est. Is Romæ anno Part.I. n.3. 1591 decessit, Bibliothecæ Vaticanæ Præpositus. Non minus celebrat *Michaelem Bajum*, cujus memorabilem ad *Sirletum Cardinalem* epistolam producit, ex qua & aliis indiciis ostendere conatur, Bajo, cum Romæ theses ejus LXXVI damnarentur, imputata fuisse, n. 4. n. 11. quæ nunquam docuerit, alia prave detorta esse: quam tamen injuriam modestissime tulerit, Vir, ut ait, non eruditus solum, sed & apprime pius & sanctus, cum quo Lessius comparari non possit, licet multa de ejus sanctimonia Jesuitæ glorientur. Hæc enim Autor irridet, imprimis quod digitorum ejus aliquem, quibus libros n.5.7.8.9. suos scripsit, consecraverint & osculandum porrexerint. Improbat etiam, quod plurimos ex Societate sua, qui Romæ damnati sunt, nihilominus magni faciant, & veluti martyres celebrent. Proponit denique, & impietatis accusat multa Lessii dogmata. Exhibet postea successionem quandam Professorum Lovaniensium, qui veterem sententiam de prædestinatione gratuita defenderint. Ex-

cusat *Ruardum Tapperum*, quod studio hæreticis contradicendi a via
traditionis recesserit, refutatus, licet magnæ autoritatis in Lova-
niensi Academia esset, a *Petro de Soto Dominicano.* Hac occasione
insignem addit annotationem, quam adscribere non piget. Ait
enim: *Quod posterioribus seculis multi doctores errarunt, non levem
causam dedit confusio operum a Sanctis Patribus scriptorum, quæ tan-
ta fuit, ut* Gennadii *Semipelagiani scriptum, pro Augustini legeretur;
commentarius* Pelagii *in Paulum, & epistola ejus ad Demetriadem, Hie-
ronymo tribueretur; libri* Fausti *de gratia & libero arbitrio, sancti cu-
jusdam Ecclesiæ Patris opus esse crederentur, adeo ut* Tapperus *hunc
autorem, dum citat,* venerabilem *vocarit, vehementer territus,
cum a collega aliquo de errore admoneretur; ut* Estius *refert in sermo-
ne quodam anno 1609 Duaci habito.* Hæc Auctor. Unde colligi po-
test, quam infirma sit, quæ ex Patrum libris, absque fundamento
Scripturæ & legitima interpretatione, jactatur traditionis certitu-
do, cum nec de ipsis Patrum libris satis certo constet. Refert inde
Auctor acta Lovanii anno 1587 ab *Octavio Frangipanio* Nuntio Pon-
tificio, & quomodo Lovanienses cum approbatione Episcoporum
in Belgio censuras suas edita apologia defenderint, frustra & in-
n. 11. epte, ut ait, a Moguntinis & Trevirensibus (quos *petits Theologiens*,
i.e. Theologastros, vel parvulos Theologos vocat) impetita, li-
cet eam non vidissent.

Parte secunda jus Theologorum Academicorum in censuris hete-
rodoxarum opinionum edendis defendit, & triginta argumentis
probatum it, censuram anno 1587 a Nuntio quidem Pontificis Je-
suitarum artibus inducto suspensam, minime tamen abrogatam fu-
isse. *Sixti V.* decretum, quo statuit, *tantùm Pontifici Romano, B.
Petri successori, doctrinæ Christianæ controversias definire licere, alii
n.7. vero nemini*, ita explicat Auctor, ut id de suprema & juridica defi-
nitione, non vero de intermedia & subalterna quam Episcopis &
Academiis, veluti delegatis a Pontifice tribuit, intelligi debeat.
n.20. Alibi tamen Episcopis jus divinum in officio suo exercendo asserere
videtur, licet mentem suam clarius aperire potuisset, nisi offen-
sam aulæ Romanæ metuisset. Allegavit in antecedentibus histo-
n. 2. riam memorabilem, de quodam *Petro de Rivo*, Philosopho Lovani-
ensi, qui anno 1470 censuram thesium quarundum incurrit, inter
quas hæc erat: *Quicquid per necessariam consequentiam sequitur ex
imm-*

inimpedibili, hoc eſt inimpedibile & neceſſarium. Hanc Theologi, & cum ea Moliniſmum per anticipationem damnarunt, addita ratione: *conſequentiæ neceſſitas non tollit contingentiam conſequentis.* Rarum vero modeſtiæ & reſipiſcentiæ exemplum *Petri* illius refert, quod errorem ſuum, ſatis diu etiam Romæ defenſum, non revocaverit ſolum, ſed & teſtamento, quo domum & pecuniæ quandam ſummam Collegio alicui legaverat, caverit, ut *burſales & commenſales doctrinentur, juxta ſtatutum Univerſitatis de futuris contingentibus.* Erat autem id ipſum, quod errori ejus oppoſuerant. Falſi inde poſtulat Jeſuitam *Fourmeſtraux*, qui ſecundum aliquod *Octavii* illius *Frangipanii* decretum anno 1591 confinxerit vel adulteraverit, ejusque & aliorum cavillos acriter perſequitur, qui Jeſuitarum opinionem verbis diplomatis Pontificii approbatam eſſe dictitarunt. Laudat Epiſcopos & Theologos Belgas, qui Academicis patrocinati ſint; inter eos *Gulielmum Lindanum* Gandavenſem Epiſcopum, & celeberrimum *Eſtium*, Duacenſis Academiæ Cancellarium. Elevat eos, qui Jeſuitis faverunt, nominatim *Lævinum Torrentium*, Antverpienſem Epiſcopum, quem magnum Theologum futurum fuiſſe dicit, ſi Theologia ex Tacito, Suetonio & Horatio diſci potuiſſet. Invehitur vehementer in *Habertum*, Vabrenſem in Gallia Epiſcopum, quem, poſteaquam egregio, quod refert, teſtimonio librum *Gibieufi* de *libertate Dei & creaturæ* Moliniſmo oppoſitum comprobaſſet, a Jeſuitis poſtea in partes traductum, & a Richelio Cardinali, qui Janſenium ob editum pro Hiſpanis librum (qui *Mars Gallicus* inſcribitur) capitali odio proſequebatur, inductum commemorat, ut doctrinam Janſenii de gratia oppugnaret. Reſpondet objectioni cujusdam *Eraſmi Pilii*, Jeſuitæ, ut ait, perſonati, qui in Lovanienſium contumeliam contendit, cenſuram anno 1587, a Sorbona Pariſienſi probatam non fuiſſe. Extenuat *Stapletoni*, quem Jeſuitæ magni faciunt, eruditionem & teſtimonium. Extollit eos, qui Lovanienſibus adſtipulantur, laudatque *Carolum de Aſſumtione* Carmelitam, qui & ſuo, & ſub *Germani Philalethæ* nomine multa ſcripſit, & inter alia edidit *Triumphum Thomiſtarum*, fruſtra a Jeſuitis Inquiſitioni Romanæ denunciatum: item *Alvarum* Tranenſem Archiepiſcopum, ut & Autorem Apologiæ anno 1651 contra *Morellum* & *Le Moine* pro defenſoribus gratiæ editæ, & a ſex Doctoribus Sorbonicis probatæ. Exagitat non leviter Jeſuitam

n.11. n.13. §.14. n.23.

num *Paulum Leonardum Sherloge*, qui anno 1644 scientiam mediam misere, ut ait, propugnavit, absurda inter alia applicatione distinctionis inter Pontifices quatenus privatos, & quatenus assistente Spiritu S. pronuntiantes: quasi nempe Clemens VIII & Paulus V in *congregatione de auxiliis* privato nomine egissent. Sed hæc & plura familiaria Jesuitis esse dicit, quoties Pontificum decretis premuntur, ut quadrare in eos putet querelam Esa. I. 2. *filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Progreditur inde ad confirmationes censuræ contra Lessium, a Lovaniensibus sæpe repetitas. Allegat *Innocentii* X contestationem, Jesuitis per *Franciscum Barberinum* Cardinalem intimatam, ne Bulla ejus contra quinque propositiones Jansenianas, unquam adversus doctrinam de gratia efficaci abuterentur; item *Alexandri VII* epistolam ad Lovanienses anno 1660 datam, qua orthodoxam eorum in hoc articulo doctrinam commendat. Cum vero Pontifices judicium in hac controversia suis ex causis suspenderint, non dissimulat, quo cum damno Ecclesiæ id factum sit. Affert inter alia quædam ex liberrima epistola *Hieronymi Baptistæ de la Nuza*, Capuccinorum in Arragonia Provincialis, ad Inquisitores Romanos d. 22. Augusti anno 1577 Valentiæ data, quam Latinam adductam fuisse mallemus. Sensum ex Gallica versione non possumus non adscribere. *Probibitio*, ait, (Pontificia) *de non tractanda materia de gratia, Ecclesiæ magnum affert præjudicium. Facile illa verbis pronuntiatur, sed interim magnam Theologiæ partem doceri probibet. Articulus enim de gratia omnes fere alios ingreditur. Itaque probibitio hæc tormentum intolerabile & scrupulorum materia est, omniumque Theologorum vexatio. Tollitur ex concionibus, quod sæpissime prædicari deberet. Turbatur quieta & immemorialis possessio professorum antiquæ doctrinæ, iisq; adimitur jus ab omnibus gentibus agnitum, idque in gratiam novatorum. Hæc ratio procedendi ante Jesuitas Ecclesiæ incognita fuit, & ab iis introducta, ut sub silentii illius favore nova seminarent dogmata. Inde summo cum periculo doctrinæ Catholicæ, novitates suas, ad quas propensissimi sunt, propalant: obtendunt turbas metuendas esse, si sibi contradicatur, cum tamen nullæ sint, nisi ex eo, quod illi nullam contradictionem pati volunt. Hoc est lupos emittere, & canes vinculis constringere.* Hæc ille. Nostrum non est disquirere aut definire, quo jure ista Jesui-

n. 28.

n. 37.

ſuitis a Capuccinis objiciantur; apparet tamen, non ſolos Proteſtantes deſpoticum illud imperium circa controverſias fidei averſari. Subjungitur illuſtre *Bzovii* teſtimonium, ut & totius Ordinis Auguſtiniani conſenſus, interque eos celeberrimi *Henrici de Noris*, & qui nuper deceſſit, *Chriſtiani Lupi*. n.42.

Parte tertia Acta anno 1679 referuntur, cum Theologi Lovanienſes *D. Franciſcus van Viane*, *Lupus* ille quem diximus, & *D. Martinus*, *Steyart* Romam miſſi, cenſuræ ſuæ anno 1587 editæ peterent confirmationem, ſimulque erroneas Jeſuitarum propoſitiones Inquiſitioni deferrent. Atque ab hac quidem haud difficulter LXV theſes, celeberrima illa Bulla d. 2. Martii, anno 1679 publice proſcriptæ ſunt, privatim aliæ XXXIII, ut notat, rejectæ: ſed obtineri non potuit diſerta & manifeſta cenſuræ Lovanienſis comprobatio; renitentibus omni modo Jeſuitis, de quibus plurima queritur Autor, maxime vero relationem quandam Hiſpanicam Diabolicæ, ut ait, calumniæ accuſat, quæ contra Lovanienſes Aulæ Regiæ oblata fuerit, ſub titulo *Expoſitionis de deplorabili ſtatu Eccleſiæ in Belgio, ex factione Bajaniſtarum & Janſeniſtarum.* In illa non ſolum, ut Autor aſſeverat, falſa imputabantur Lovanienſibus, ſed & ſententiæ ſanctiſſimæ pro hæreticis diffamabantur, v. g. *quod ad Sacramentum pœnitentiæ requiratur dolor ex amore Dei natus, & quod aliquo caſu abſolutio ſacerdotalis deneganda ſit*; cum tamen hæc & alia ab illis improbata, in Sorbona Lutetiæ quotidie defendantur, & cum Tridentinis decretis praxique *Caroli Borromæi*, qui ſanctus habetur, conveniant. In eadem delatione Janſeniſmi accuſabatur Facultas Theologica Lovanienſis, illa nempe, quæ *arctior* vocatur, & ex *octo viris* compoſita eſt. Idem crimen Archiepiſcopis & Epiſcopis aliquibus in Belgio impingebatur, totiſque Ordinibus *Præmonſtratenſium*, *Dominicanorum*, *Capuccinorum*, *Carmelitarum diſcalceatorum*, toti etiam Clero Seculari, & Collegiis Theologicis, multis etiam ex proceribus politicis. Ad tollendum vero *Janſeniſmum* media proponebantur, erectio tribunalis Inquiſitorii, & abolitio octovirorum, utque iis alii ſubrogarentur, interque eos quatuor ex Ordinibus mendicantibus & unus ex Jeſuitis. Addebant querelas in ipſum Pontificem redundantes, minas quoque, ſi theſes a Lovanienſibus Romam delatæ condemnarentur, (ut tamen §.I.n.3.

factum est) & Jansenismo multos Romæ favere ajebant. Longum foret enarrare, quæ his omnibus Autor regerit, & quæ de causa Janseniana in Gallia male tractata, non sine insectatione P. *de la Chaise* commentatur. Plurimus est in eo, ut ostendat falsum esse, quod Jesuitæ jactant, rejectam esse Romæ & proscriptam Lovaniensium censuram sæpe dictam, quam anno 1587 ediderunt: fatetur tamen iterum, expressam & disertam ejusdem confirmationem impetrari Romæ nequivisse, idque cum stylo Romani tribunalis convenire, in quo pro confirmatione & approbatione habeatur, si quid intactum & non reprehensum ex Inquisitorum examine exeat. Interim non Legatorum solum Lovaniensium, sed & Romanorum Theologorum, v. g. *Favoriti*, *Schelstrateni* & *Sabatini* testimoniis comprobat, censuras Lovanienses judicibus penitus placuisse. Explodit inde, ut fabulam maligne confictam, quicquid de Jansenismo spargitur, non alio, ut ait, fine, quam ut viris pietate & do-
n.17. ctrina eminentibus, qui novitatibus Jesuitarum resistunt, periculum creetur. Mentionem hic facit Hiberni cujusdam, sive Jesuitæ,
n. 18. sive Franciscani, *Duffi*, qui anno 1681 Lovaniensibus XC errores affinxerit. Narrat etiam, quid ipsi Bellarmino acciderit, censura
n. 28. in librum ejus quendam publicata, & postea sublata. Cum vero Jesuitæ ad elidenda, quæ Lovanienses de approbatione (qualem nempe Romæ dare solent,) censuræ suæ allegarunt, ad alios testes
n.30. sqq. provocarint, contrarium asserentes; eorum dicta examinat & refellit Autor, ut & illa, quæ de Calvinianorum cum Jansenistis con-
n.34. sensu objici solent. Sugillat quendam *Nicolaum du Bois*, quem intrusum & Judam Facultatis Lovaniensis vocat. In Additionibus quæ p. 399 & sqq. subjunguntur, respondet Autor ad librum jam ante annos XXXVII a Jesuita *de Champs* editum & nuper recusum, in quo Jansenistis objicitur, quod Bullam Pontificiam anno 1653 publicatam indigne tractent. Tuetur inde Autor Jansenii sententiam ut orthodoxam, eamque tam a necessitate Calviniana, quam ab indifferentia Molinistarum puram. Refutat objectionem, quod contra prohibitionem Pontificiam *Acta congregationis de auxiliis* publicata fuerint, illamque prohibitionem dudum cessasse, aut eo saltem valuisse statuit, ne consultationes & suffragia pro rebus judicatis habeantur. Accesserunt in fine libri exempla diplomatum
aut

aut epistolarum Latinarum, v. g. mandatum Pontificis *Sixti V* anno 1588 ad *Octavium Frangipanium*: hujus decretum, tum prius, tum alterum quod Autor pro supposititio habet: item scripta quædam & decreta Lovaniensia: Excerpta ex relationibus *Lupi* anno 1679 Romæ scriptis: literæ denique Pontificiæ ad Lovanienses eodem anno satis benigne datæ, nec non *Ciboii Cardinalis*, aliaque.

RIFLESSIONI FILOSOFICHE &c. h. e.

Meditationes Philosophicæ circa figuras salium, exposita discursu quodam, quem in Academia Philosophica Experimentali Dn. Archidiaconi Marsilii recitavit D. Dominicus Gulielminus.

Bononiæ apud Hæredes Antonii Pisarri. 1688. in 4.

DEum semper γεωμετρεῖν, veteris Philosophi effatum est, cujus veritas præprimis ex figuris illis, in quas corpuscula salina ordinarie solent in crystallisatione concrescere, ad oculum patet. Sed cum Numen summum Geometriam mediantibus causis secundis exercere soleat; nihil prohibet in illas inquirere paulo accuratius, id quod Dominicus Gulielminus hoc ipso nitidissimo discursu, quem Magliabechio celeberrimo debemus, facere instituit. Postquam enim de optimo philosophandi genere quædam præmonuit, phænomena enarrat salium, quæ ad ipsius institutum faciunt, & speciatim observat, coalescere nitrum in prismata hexagona, quæ nonnunquam secundum totam axis longitudinem perforata; vitriolum & tartarum in parallelepipeda obliquangula, comprehensa planis rhomboidibus; alumen petrosum in octaedra; sal commune in cubos: neque tamen id semper contingere in omnibus crystallis, sed multas, licet quasi affectent figuram debitam, in quibusdam deficere partibus, nonnullas etiam in massam informem compingi. Rationem vero horum phænomenorum ut afferat, supponit salia constare ex atomis (h. e. particulis, quæ a nullo agente naturali in minores possunt dividi) ejus figuræ, quam crystalli majores referunt, easque deinde a blando motu liquoris, cui innatant, sibi invicem adaptari, & ob pressionem fluidi cohærere, corpusq; simile constituere. Ita v. g. particulas pyramidales sibi similes & æquales,

quæ

quæ deinde octaedra aluminis constituunt, sic coire, ut dum quatuor earum bases in eodem sunt plano, & quadratum constituunt, & alia quædam inverse ita media ponitur inter illas, ut vertex ejus in eodem sit plano cum quatuor illarum basibus, tandemque alia huic superimponitur, constituant pyramidem majorem componentibus similem. Adducitur deinde, huic sententiæ major probabilitas ut concilietur, testis oculatus Levvenhoeckius, qui Microscopio salium solutorum partes ejusdem fere figuræ vidit, quæ ab Autore nostro ipsis assignatur: quod enim illa non plane eadem adparuerit, hoc vel admistioni aliorum salium, vel diaphaneitati aliisque causis tribui posse autumat. Rejicit hinc opinionem Junckenii & Ten Rhine aliorumque, qui conformationem illam salium spiritui vel acido volatili, quod in sale prædominetur, tanquam causæ adscribunt. Ultimo loco duas objectiones resolvit, quarum prima est, quod cum pyramides se invicem solum lineis, non planis, contingant, non videatur id ipsum consistere posse cum soliditate crystallorum: secunda vero, quod in compositione v.g. pyramidis majoris ex pluribus minoribus, pyramides similes & æquales non possint totum replere spatium, sed vacua relinquant interstitia. Nam ad ultimam respondet, non esse absurdum remanere poros in hac compositione, quum eos existere manifeste arguat solutio aluminis & vitrioli confusa, cujus crystalli gaudent figura aluminis & colore vitrioli, quippe cum hujus particulæ crystallorum aluminis poros ingressæ fuerint: alias enim aquam iis includi, quæ deinde in destillatione cum particulis salinis spiritum acidum constituat. Primam porro objectionem aliquid efficere negat, quoniam licet pyramides omnes se in planis non contingant, satis tamen firma cohæsio oriatur ex pressione æquali ambientis vel aeris vel aquæ sale impraegnatæ, quum pori angusti illum semper, hanc vero, si onusta sit particulis salinis, excludant. Tandem subjicitur demonstratio Geometrica propositionis, cujus in discursu facta mentio erat: Quamlibet pyramidem quadrangulam dividi posse in sex alias æquales, tam integras quam sibi invicem quoque similes, nec non in quatuor alias triangulas inter se similes & æquales, quæ constituuntur a quatuor triangulis similibus & æqualibus iis, quæ pyramides sex priores comprehendunt.

ΣΤΕΦΑ-

ΣΤΕΦΑΝΟΥ ΒΥΖΑΝΤΙΟΥ ΕΘΝΙΚΑ *κατ᾽ ἐπιτομήν*,

STEPHANI BYZANTINI GENTILIA per epitomen, antehac περὶ πόλεων de Urbibus *inscripta; quæ ex MSS. Codicibus Palatinis ab Cl. Salmasio olim collatis & MS. Vossiano restituit, supplevit, ac Latina versione & integro commentario illustravit Abrahamus Berkelius. Accedunt collectæ ab Jacobo Gronovio Variæ Lectiones ex codice MS. Perusino, & admixtæ ejusdem notæ.*

Lugduni Batavorum, apud Dan. a Gaesbeck, 1688, fol.

INter antiquos idem studium, quo inter recentiores ii inclaruerunt qui Geographicos indices sive Lexica conscripsere (quales hoc ævo extiterunt *Abr. Ortelius, Car. Stephanus, Phil. Ferrarius, Mich. Antonius Baudrandus*, *Nic. Lloydius*, aliique) exercuit nonnullos, quorum, præter Strabonis, Ptolemæi, Dionysii, Plinii & Melæ opera, sola nomina a Suida & Tzetze asservata sunt. Eminet inter hos *Stephanus Byzantinus*, seculi sexti scriptor, ut apparet, Christianus: qui non solum regiones, gentes, urbes, oppida, colonias, montes, saltus, maria, promontoria, insulas, portus, flumina, fontesque recensuit, sed & quæ ab iis deducuntur gentilia nomina, aliaque id genus inde derivanda, explicavit; præterea mores gentium, regnorumque & urbium conditores, fabulas item, antiquitates, etymologias, & plurima ad Grammaticam spectantia, utilia non minus cognitu quam jucunda attulit. Hujus insignis & amplissimi operis compendium modo superest, ab *Hermolao* quodam, Constantinopolitano Grammatico, concinnatum: cujus etsi industria sua laude non est privanda, simul tamen dolendum, multum damni hac contractione & ἐπιτομῇ, quæ forte in causa fuit cur ipsum Stephani opus neglectum interierit, literis fuisse illatum, & magno earum dispendio compendium pro integro opere substitutum. Qua re commotus Guilielmus Xylander vix temperare sibi potuit, quin operi huic non *Stephani* nomen

præscriberet, sed hunc titulum potius præfigeret: Ερμολάυ Γραμματικȣ̃ Κωνςαντινȣπόλεως ἐπιτομὴ τῶν Εθνικῶν Στεφάνȣ Γραμματικȣ̃. Religioni tamen sibi ducens quicquam immutare, post binas in Italia a Juntis Florentiæ 1491, & Aldo Venetiis 1502 evulgatas editiones, tertiam in Germania sub eodem titulo quo Italicæ prodierant, anno 1568 adornavit, Latinamque versionem concinnavit, loca plurima rectius constituit, & commentarios luculentos confecit. Post Xylandrum idem studium hoc seculo tenuit Josephum Scaligerum, Isaacum Casaubonum, Claudium Salmasium & Lucam Holstenium, summos criticæ & literariæ rei antistites: quos in poliendo emendandoque Stephano multum operæ posuisse constat, & testantur eorum codices, in Cæsareana Vindobonensi & Vossiana bibliotheca superstites, multas emendationes & annotationes margini allitas habentes. Nullus tamen eorum, nec ex aliis eruditis quisquam, (etsi Stephani loca depravata, dum aliud agunt, passim emendant & restituunt) propositum tam insigne executus est, aut post Xylandrum huic operi, quantum ejus superest, denuo edendo manum admovit; donec superioribus annis *Abrabam Berkelius* summa animi contentione hunc laborem aggressus, quicquid mutili hujus Scriptoris restabat, injuria temporum & hominum imperitia corruptum, tum ingenii felicitate, tum e codicibus Isaaci Vossii, & eo volumine cumprimis, cui Salmasius multa adscripserat, constituere & dilucidare, hocque veluti pignore studia in Musas sua (dicente Gronovio) posteritati commendare fategit. In quo studio interea dum versatur, (multis autem ab annis se in eo versatum fuisse, immensumque in vertendo & emendando hoc Scriptore, miserrime depravato, laborum & molestiarum pelagus esse emensum, jam anno 1674 professus est Berkelius, cum quædam Stephani fragmenta in publicum emitteret) eandem operam sibi sumsit, ipso tamen ignaro, *Thomas de Pinedo* Lusitanus, ac Amstelodamensibus typis anno 1678 Stephanum nova Latina interpretatione & annotationibus instructum exclusit. Sex annos post *Lucæ Holstenii* in eundem Scriptorem eruditas notas & castigationes Romæ e bibliotheca Barberiniana depromtas, a nobis in Actis anni 1684 pag. 487 memoratas, edidit Vir clarissimus Theodorus Ryckius. Ita dum de Stephani salute & cultu laborant

alii,

alii, Berkelius autem omnem induſtriam eidem emendando illuſtrandoque impendit, morbo correptus induſtriæ huic immoritur. Ne vero præclari ſtudii hujus fructus intercideret, cura & proviſione celeberrimi Viri *Jacobi Gronovii* effectum eſt; qui patre orbatum hunc fœtum ſuſcepit, & ut typis recte excluderetur, opera Petri Abkoude uſus, intendit, omnes Berkelianas annotationes adjici ſollicitus, interpretationem quoque Latinam ab eodem adornatam (etſi inutilem in Grammatico ejusmodi opere ratus) evulgari permiſit, ne ulla ex parte hæc nova Lugdunenſis editio inferior haberi poſſit Amſtelodamenſi, cui typorum nitore & voluminis magnitudine ex æquo reſpondet. Cumque Amſtelodamenſis collationes Gronovianas cum Cod. MSC. Stephani ex bibliotheca Abbatiæ Peruſinæ adjectas habeat: in hac Berkeliana, auſpiciis Gronovii prodeunte, exactiorem variarum iſtarum lectionum recenſum non omittendum duxit Vir clariſſimus, in emendandis depravatis auctorum locis e vetuſtis Codd. non minori felicitate quam ingenio gaudens. Nec contentus eas attuliſſe variationes lectionum, quas in Peruſino codice deprehenderat; accurato etiam ſtudio,ut Berkelianis notis admiſcerentur Salmaſii emendationes omnes, depromtæ e volumine quo fuerat uſus, & cujus oræ ſuas obſervationes alleverat Vir incomparabilis, providit, & hac ratione inſtructum opus hoc reliquis omnibus Stephani editionibus præſtantius effecit; ut Berkelii manes multum omnino, ob adhibitam relicto operi curam felicem & exquiſitum cultum, doctiſſimo Editori debere intelligamus.

OEUVRES MELE'ES DE MONS. L' ABBE' de S. Real. i e.

Opera miſcellanea Dn. Abbatis de S. Real.

Ad exemplar Pariſienſe 1689, in 12.

COntinet libellus hic non inelegans tractatus quatuor, quorum *primus* inſcribitur *de uſu hiſtoriæ.* Hunc plane alium Autor proponit & exigit, quam vulgo quæri ſolet; dum, ut ait, qui hiſtorico ſtudio incumbunt, multorum temporum & caſuum reminiſcentia

caput onerant, ut prompta earum recitatione sese ostentare possint. Requirit itaque potius, ut etiam juvenes illico, non tam ad varietatem aut seriem rerum memoriæ imprimendam, quam ad percipiendas earum causas, affectusque & studia hominum, quorum gesta legunt, pernoscenda mentem & attentionem convertant: sic enim veram prudentiam ad omnes vitæ actiones acquiri; cum ex adverso nuda illa scientia nihil proficiat, quam ut mentes juvenum vanis persvasionibus efferat, aut parentum ambitioni satisfaciat, qui ex illa historias enarrandi facilitate, de ingenio & eruditione filiorum gloriari soleant. Hæc præfationis loco sunt. Tractatus ipse constat ex *dissertationibus septem*, in quarum singulis exemplum aliquod historicum Autor pro objecto habet, & ex eo observat, quæ ad mores pertinent; profitetur tamen, se ista omnia didicisse ex viro quodam seculi nostri sapientissimo, de quo alibi dicturum se esse spem facit, sed cujus nomen reticet. In *prima* causam indagat, propter quam Turcorum Imperator Henrico IV suppetias adversus *Ligam*, quam vocant, seu factionem Romano-Catholicam, qua Rex oppugnabatur, obtulerit, eamque inter alias, quæ probabiliter conjici poterant, fuisse tradit, quam minister Sultani indicarit, nempe quod Herus iste suus naturaliter oderit nomen *Ligæ*. Inde ostendit Autor, fortuitis plerumque rebus homines moveri, maxime omnium Principes, qui vulgare & vile esse putent, in rerum causas & momenta inquirere, & plerumque impetu quodam agant. Hoc vero illis aliisque qui in re lautiori vivunt, ex prava educatione & ab adulatorum nequitia accidere. Ita fieri solere, ut beneficia sua primo, qui illis in mentem venit, non vero digniori conferant, evitata inquisitionis molestia. Vulgi tamen ingenium ex naturali hominum, &, ut Stoici dicere solebant, universali stultitia, eodem tendere docet. *Dissertatione II* perversitatem & malitiam hominum considerat, quod non ex jucundis solum, sed & funestis spectaculis voluptatem capiant. Occasionem sumit ex narratione de Legato Turcico, qui in Gallia ludos equestres spectans dixerit, ad ludicrum certamen plus satis, ad serium justo minus fieri. Culpam, ex Autoris sui judicio, residere dicit in oscitantia illa, qua rerum vera natura ab animo hominis non consideratur, & quod, etsi meliora videre & discernere valeat, malit tamen negli-

negligentius & cum impetu decernere & agere. *III.* De *falsa opinione* differit, qua actiones quædam ex virtute proficisci putantur, cum sæpe ex alia quacunque occasione nascantur. Exemplum refert *Caroli IX* Galliæ Regis, qui *Jacobo Amioto*, præceptori suo, viro ob doctrinæ præstantiam celebri (cujus ex infima ad altiorem fortunam evectionem narrat) *supremi Eleemosynarii* dignitatem, non deliberata mente, aut virtutis exercendæ studio, sed per occasionem contulerit, cum inter sermones convivales narrari intelligeret, a *Carolo V* ad Pontificatum promotum fuisse *Adrianum*, quo informatore usus erat. Pluribus inde ostendit, tritam quidem sed non veram & virtuti convenientem viam esse exemplis doceri, aut illa æmulari. *Differtatio IV* censuram hypocritarum continet, qui religionem & conscientiam, utilitati suæ, & ut potentioribus placeant, postponunt. Exemplum affert Legati Regii ex ordine Ecclesiastico, in negotio quodam Romæ ab *Henrico* IV sibi commisso, cum ludibrio religionis institutum suum prosequentis. *Diff. V.* de opinione hominum circa mores & habitus externos disquirit, cur alio tempore alia probet aut aversetur. Ansam sumit ex more Gallico seculi præteriti, quo nemo ad munera togæ sive magistratuum recipiebatur, nisi barbam raderet; quod *Francisco Olivario*, Cancellario postea Galliæ, injunctum fuisse refert, cum in Senatum regium allegeretur. Ex singularitatis studio talia nasci haud abs re notat, neque tamen negat, sapientes etiam tyrannidi consuetudinum illarum, Olivarii exemplo, sese subjicere tandem debere. *Diff. VI* vanam gloriam de nobilitate generis insectatur, quam a magnatibus fere & primoribus unice æstimari dicit, & longe rectius judicare vulgus, quod gloriam ex propria industria quærit. Laudat factum *Caroli V*, qui cum duæ illustres fœminæ de gradus præeminentia acriter certarent, festive pronuntiaverit, *stultiorem præcedere debere.* Ejusdem aliud facetum dictum refert, cum Hispano quodam centurione jactante, se nullum unquam metum sensisse, diceret: videri sibi, hominem istum nunquam candelam digitis emunxisse; si enim id fecisset, absque metu de comburendis digitis non fuisse futurum. Addit quædam haud inscite de aliis ejusmodi dicteriis, inter quæ & Henrici IV aliquod allegat, qui cum sibi libellus de legibus a sartore quo-

dam conſcriptus offerretur, Cancellarium accerſi juſſerit, ut veſtem ſibi conſueret. *Diſſ. VII* fucum exponit, qui religionis prætextu actionibus hominum malis etiam aut ſtolidis illini ſolet, occaſione hiſtoriæ *Ludovici* XI, qui jus ſupremi Dominii in *Comitatum Bononienſem* (in Morinis ſive Picardia) & *S. Pauli*, *Diva Maria*, quæ Bononiæ colitur, donaverit, ita ut ad ejus altare juramentum vaſallagii præſtandum eſſet.

In *altero tractatu* elegans eſt narratio tragici exitus Principis Hiſpaniarum *Caroli*, Philippo Secundo Rege geniti, ex omnibus diverſarum nationum autoribus, quos enumerat, concinnata. Sed notiora illa ſunt, quam ut prolixe hic recenſeantur. Memorabile eſt, quod pag. 31 *de Carolo V* legitur. Famam enim fuiſſe ſcribit Autor, Imperatorem illum imbutum in Germania religione Proteſtantium fuiſſe, neque alio fine privatum factum, quam ut Deum ad illorum præſcripta in ſecreto illo ſuo coleret; pœnitentia etiam continua afflictum fuiſſe, quod duos illos fortiſſimos Principes (*Saxonem* & *Haſſum*) oppreſſiſſet, neque auſum condemnare religionem, pro qua tanti viri, quicquid charum & pretioſum haberent, in diſcrimen dediſſent. Hanc hæreſeos ſuſpicionem auctam eſſe, quod non aliis ad curam animæ ſuæ tunc uteretur, quam iis, qui ejusdem religionis inſimulabantur, Cacalla puta, concionatore, Archiepiſcopo Toletano, & maxime Conſtantino Pontio, Droſſenſi Epiſcopo, qui ei a confeſſionibus erat. Repertas poſt mortem in cellula Caroli ſchedas fuiſſe, de juſtificatione & gratia, non multum a Novatorum doctrina diſcrepantes. Denique Teſtamentum ejus indicio maxime fuiſſe, in quo nihil ad ſacra, quæ Romani ſunt ritus, legaverit. Subjungit, ut poſt mortem Caroli, ii, quos nominavit, ex Eccleſiaſticis in carcerem conjecti, & ab inquiſitorio tribunali ad rogum damnati fuerint, cui & Teſtamentum Caroli injici debuerit: cujus tamen ſententiæ effectum Philippus Rex prudenter impediverit.

In *tractatu tertio* hiſtoria deſcribitur conjurationis, *anno 1618* ad exitium urbis Venetæ toto orbe celeberrimæ, ab *Alfonſo de Cueva Marchione* de *Bedemar*, Legato Regis Hiſpaniarum ad Venetos Ordinario, cum militaribus quibusdam hominibus initæ, eoque perductæ, ut niſi paucas ante horas, a quodam ex complicibus, quem con-

conscientiæ stimulus pupugit, detecta fuisset, plenissimum effectum fuisset habitura. Hanc Autor ex Historiæ Venetæ illustri scriptore *Joh. Baptista Nano* Lib. III, *Mercurio Gallico* d. Anni 1618, libello famigeratissimo qui *scrutinium libertatis Venetæ* inscribitur, pluribusque Commentariis manuscriptis, composuit. Prudentia Senatus post evitatum malum maxima fuit, in dissimulatione omnium quæ ad Regis Hispaniarum ejusque consiliariorum, qui conscii facinoris esse dicebantur, contumeliam, aut rumpendam pacem pertinere possent. Mirum vero etiam illud est, tanti criminis convictum Marchionem non impunitum modo evasisse, sed & postea in Cardinalium Collegium cooptatum fuisse.

Quarto denique *tractatu* inveniuntur colloquia historica & moralia cum viro, quem ab initio laudavit, profundæ sapientiæ magistro. Illum nunc *Cæsarionem* vocat, eique singularis acuminis, gravitatis, nec non humanitatis characterem tribuit. Distributi autem sunt Dialogi hi in quatuor dierum conversationes. Materia desumta est ex historia Romana, & quidem ex gestis Ciceronis, Cæsaris, Pompeji & qui cum iis vixerunt, neque tamen ex vulgatis historicorum libris, sed ex epistolis Ciceronis magna cum industria eruta sunt. Producuntur sane & in censuram vocantur exquisita morum exempla. In vita tamen Pomponii Attici singulariter exercuit se Autor *Colloq. III*, ac multos viri ejus defectus arguit, quibus elogia a Cicerone & a Cornelio Nepote ei data extenuet, & veteratorium dignumque danista ingenium ei fuisse probet. In ultima confabulatione haud vulgaria de ministris Principum commentatur, ostendens quantum in illorum electione, aut si perperam agant, promta dimissione positum sit. Docet etiam, non nisi magno Regi magnum ministrum convenire, & hunc ab illo æstimari, exemplo Philippi Macedonis, qui aliquando, (teste *Athenæo Lib. X.*) genio cum familiaribus indulgens, dixerit, *bibamus, sufficit enim Antipatrum non bibere*; indicans, hujus unius prudentia res suas stare. In fine egregia monita adduntur de vita aulica, & quæ in illa caveri debeant.

LIBRI

LIBRI NOVI.

Claudii Salmasii Plinianæ Exercitationes in Caji Julii Solini Polyhistora: item Caji Julii Solini Polyhistor ex veteribus libris emendatus. Accesserunt huic editioni de Homonymis hyles iatricæ Exercitationes antehac ineditæ, nec non de Manna & Saccharo. Trajecti ad Rhenum apud Joh. Water, Joh. Ribbium, Franciscum Halma & Gul. Water. 1689. fol. Tomis duobus.

Κέβητος Θηβαίου πίναξ. Cebetis Thebani tabula, Græce & Latine. Multis in locis restituta ex MSS. codicibus, unde etiam Græca in fine reposita ab Jacobo Gronovio. Cujus accedunt notæ & emendationes. Amstelodami apud Henricum Wetstenium 1689. in 8.

Actii Synceri Sannazarii opera Latina omnia & integra, cum Notis. Amstel. apud Henr. Wetsten. 1689. in 12.

Trium Fratrum Amaltheorum, Hieronymi, Jo. Baptistæ, Cornelii, Carmina. Editio nova. Amstel. apud Henr. Wetstenium 1689. in 12.

Adr. Houtyn Reipublicæ Batavicæ liber primus. Hagæ Com. apud Petrum Hagen 1689. in 12.

Les Oeuvres Posthumes de Mr. Claude. Tome V. a Amsterdam chez Pierre Savouret, 1689. in 8.

Davidis Abercrombii Scoto-Britanni Fur Academicus. Amstelod. apud Abr. Wolfgang 1689. in 12.

Daniel Caspers von Lohnstein Großmüthiger Feld-Herr Arminius oder Herrman. Leipzig / bey Johann Friederich Gleditschen / 1689. in 4.

De Arte excerpendi Liber singularis; una cum Historia Excerptorum propriorum *Vincentii Placcii* Hamburgensis. Accedit ejusdem invitatio Amica super symbolis promissis aut destinatis ad *Anonymos* & *Pseudonymos* suos. Holmiæ & Hamburgi apud G. Liebezeit, 1689. in 8.

Analecta ex Discursibus Academicis Nic. Christophori Lynckeri ad D. Gabrielis Schvvederi Introductionem in Jus Publicum Imp. Rom. Germ. novissimum. Jenæ apud Joh. Bielken, 1689. in 4.

Joh. Claubergii Physica contracta, nunc primum in hanc formam redacta & aucta, studio Pauli Michaelis Rhegenii. Lipsiæ apud Hæredes Frid. Lanckisii 1689. in 12.

❧(o)❧

N. V.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ
Calendis Maji Anno M DC LXXXIX.

CLAUDII SALMASII PLINIANÆ EXERCITATIOnes in Caji Julii Solini Polyhistora. Item Caji Julii Solini Polyhistor ex veteribus libris emendatus. Accesserunt huic editioni de Homonymis hyles iatricæ exercitationes antehac ineditæ, nec non de Manna & Sacharo.

Trajecti ad Rhenum, apud Johannem van de Water, Johannem Ribbium, Franciscum Halma, & Guilielmum van de Water, 1689, in fol. Tomis duobus.

IIs qui omne scientiarum ac literarum genus animo complexi exquisita & varia eruditione sæculum illustrarunt, palmam præripere visus est *Claudius Salmasius*, vir in tantum doctus, censente Boeclero, in quantum doctrinam intelligunt homines, adeo ut nomen ejus non ut literati aut scientiis exculti, sed ut ipsarum literarum & scientiarum, quarum vindex ac præcipuus assertor fuit, inter doctos colatur. Cætera autem omnia industriæ ac ingenii ejus monumenta, quæ plurima reliquit, istud præstare doctis visum est, quod Plinio illustrando impendit, in vasto ad Solini Polyhistora commentario, anno 1629 Parisiis excuso, quem tam late patere quam ipsa se pandit natura, Grotius in epist. asseruit, & admirandæ industriæ codicem Conringius salutavit. Nimirum quod Plinius Nepos in epistolis de avunculi Historiæ naturalis opere pronunciavit, *opus esse diffusum, eruditum, nec minus varium quam ipsa natura,* id merito de his Plinianis exercitationibus affirmari potest: in quibus cum Pliniana multa auctor adstruat & ex omni antiquitate illustret ac confirmet, pluribus tamen fidem derogat, & vera a falsis erudite discernit, mul-

 taque

taque in historiis naturalibus Plinium peccasse ostendit Auctor doctissimus, passim se in eruditas Dissertationes diffundens; ut omnibus doctrinis, iis maxime quæ in rerum antiquarum cognitione versantur, abundabat, omnesque omnium ætatum scriptores exacte perspectos habebat, quorum multis tenebricosis locis ubique lucem affundit. Ipsum tamen Plinium integrum explicare, & singula in eo vel laudabilia dilatare, vel reprehendenda annotare, ejusque errores omnes indicare, non aggressus est; quod tam vastus labor viribus ipsius, aut potius patientia, major esset. Quæ tamen sua de Plinio sit sententia, quidve in scriptis ejus probandum sit, quid damnandum, ac quousque procedendum in illius admiratione, peculiari *Dissertatione* exposuit, quæ Divione anno 1668 excusa, in hac nova Solinianarum Exercitationum editione, in secundo tomo, antehac non editis Exercitationibus præmittitur, præclara multa continens. Solini igitur non adeo magnum librum pertractandum sibi sumsit, quod is de arboribus, gemmis, animalibusque variis in regionibus quæ nascuntur, solerter e Plinio (etsi ejus nomen dissimulat) conquisita, ordine non invenusto digessisset, & occasionem ad Pliniana multa loca commentandi præberet. Ergo de ejus patria, ætate, & opere, quod *Polyhistoris* nomine insignivit, in Prolegomenis præfatus, (in quibus & alia argumenta, in quæ more suo digressus est, v. g. de furtis literariis veterum scriptorum, Apuleji Metamorphoseon libris, Gellii præfatione Noctium Atticarum sub earundem finem immerito hactenus rejecta, pravo veterum consilio bonos scriptores in epitomas redigendi, veterum ratione contexendorum indicum librorum ab hodierno more diversa, erudite pertractavit,) ipsum Solini librum, quem prius sub *Collectaneorum* nomine, postea *Polyhistoris* titulo ipse auctor ediderat, exhibet emendatiorem, veris lectionibus ingenii ope ex certissima conjectura, aut Codicum auctoritate constitutis. Codices autem tres e Palatina bibliotheca, duos e Regia Parisiensi antiquissimos, unum præterea editum librum a Bongarsio cum quinque MSS. collatum, & alterum a Petro Daniele ad antiquissimum Codicem exactum, nec non Venetiis impressum librum, ubi anno 1473 hic auctor primum prodiit typis excusus, adhibuit. Exercitationes ipsæ, quibus Plinium emendavit, explicavit, & castigavit Salmasius, eo ordine, quo Solinus eum com-

compilarat, duobus tomis abſolvuntur: e quibus extantiora excerpere ſi vellemus, modum inſtituti noſtri oporteret ſupergredi, & ambigui relinqueremur tamen, an meliora attigiſſemus; adeo exquiſita ſunt omnia, nec alibi obvia, quæ admirandum hoc opus continet. Is autem qui curam novæ editionis geſſit *Samuel Pitiſcus*, quæ ſub Addendorum elogio priori ſubjecta editioni Salmaſius inſeri voluerat, ſuis quæque locis repoſuit, & ut facilius annotationes cuique capiti proprias reperire liceret, ad modum Polyhiſtoris, qui eorum LVI numerat, ipſas exercitationes in capita Solino reſpondentia partitus eſt, ſingulisque lemmata præfixit, ut ad primum ſtatim conſpectum cognoſcatur, quod argumentum potiſſimum diffuſæ Vir eruditionis pertractarit. Indices etiam non quidem ampliores ſed abſolutiores caſtigatioresque ſubjecit, cum editio prior largiſſimis eſſet inſtructa, ſed qui multa ſuperflua continerent lectoremque ſæpius deluderent.

Quibus omnibus ex partibus cum hæc nova editio Batava priori Gallicæ haud parum præſtet, majorem tamen longe meretur commendationem ob inſignem acceſſionem Salmaſiani commentarii de *Homonymis hyles iatricæ*, nunc primum editi & alteri tomo adjecti (cujus haud exiguam partem implet) ſtudio filii *Ludovici Salmaſii,* qui religionis cauſa e Gallia exul, bonis avitis exutus, jam in Belgio degit, & doctiſſimi Senatoris Divionenſis *Jo. Bapt. Lantini.* Nimirum in herbaria & univerſa re medica cum appellationes arborum, herbarum, fruticum, aromatum, metallorumque plurimos errores gignant, dum vel eædem res diverſis nominibus gaudent, vel idem nomen diverſas res deſignat, quod uno eodemque ſæculo variæ civitates eadem lingua uſæ unam eandemque rem varie vocitarunt, aut diverſa ſæcula ejusdem plantæ arborisve diverſas habuere appellationes, aut lingua differentes gentes ſuo quæque idiomate aliquam plantam inſigniverunt: hinc ſæpe factum, ut eandem herbam vel arborem ſcriptores ex Græci ac Latini vocabuli diverſitate putarent eſſe diverſam; vel contra, res quamplures toto genere invicem diſtantes, iisdem ſignatas nominibus, easdem haberent traderentque. Difficultatibus his igitur ſubvenire gemino commentario allaboravit Salmaſius, quorum alteri *de Synonymis*, alteri de *Homonymis hyles iatricæ* nomen fecit. Iſte ſive ab auctore in

 char-

chartam non conjectus, sive in schedis disjectus, post ejus obitum non repertus fuit; hic vero jam *Lantini* opera prodit, qui cum *Philiberto de la Mare*, non ita pridem vita defuncto, commentarii hujus prolegomena (ut supra indicavimus) viginti abhinc annis Divione jam ediderat, ut bibliopolam alliceret, qui has eruditas de Homonymis exercitationes excuderet, sed quem hactenus in Gallia, quod Arabicis characteribus non pauca essent exprimenda vocabula, reperire non licuit. Centum viginti tribus commentatio hæc constat capitibus, nullo ordine dispositis, quod eorum quæ in iis tractantur, ea natura est, ut posteriora minime a prioribus pendeant: arbores, herbæ, flores, venena, fruges, aromata, resinæ, metalla, diversa invicem, eodem tamen nomine venientia, recensentur, errorum inde promanantium fontes deteguntur, & Latina, Græca, ac Arabica harum rerum nomina ex omni antiquitate explicantur. Appendicis loco Dissertationes duæ annectuntur, altera *de Manna* rore cœli pinguiori, qui matutino tempore in Orientis regionibus cœlo defluit & herbis arboribusque insidet, Johanni etiam in deserto victum præbuit, τὸ ἄγριον μέλι a Matthæo III, 4. appellatus, diversus a miraculoso illo in grumulos concreto, ac panis instar juxta Israelitarum habitacula delapso, & ab illis Mannæ nomine appellato, vulgarem rei sibi compertæ appellationem alteri minus usitatæ ob similitudinem accommodantibus; altera *de Sacchare* hodierno a priscorum diverso. Utilitatem in medica arte insignem, & jucunditatem in re litteraria maximam, promtuarium hoc omnigenæ eruditionis inexhaustum (ceu Eruditis Salmasii hoc opus visum fuit salutare) quin præbeat, & multam caliginem, Plinii aliorumque Scriptorum erroribus detectis, tollat, nemo potest inficiari, qui maturo judicio expenderit, quæ & in Plinianis exercitationibus (ubi rem herbariam præ cæteris illustrare, & a veterum ac neotericorum erroribus liberare studuit, haud vane jactans, sed ex vero pronuncians, *nullam fere plantam alicujus in re medica esse usus, ulliusve inter doctos controversiæ, cui discutiendæ operam non impenderit*) & his de Homonymis hyles iatricæ commentationibus, earumque doctissimis *prolegomenis*, ut & eleganti dissertatione, quam *Judicium de Plinio* insigniverat, profert Vir infinitæ lectionis merito dictus Grotio *de Ver. relig.* Ex his enim scriptis liquido apparet, veram Criticen, quæ solo

lo

lo judicio exercetur, invicemque id exercet, adjuta scientiarum omnium comprehensione, ejusque rectam rationem ipsum possedisse, semperque summum ingenii acumen, lectionem infatigatam, linguarumque ac totius antiquitatis cognitionem exactam ipsi præsto fuisse. Cujus proinde reliqua opera, sive operum fragmenta, & cumprimis integros *de Militia Romana* libros, Gallica lingua ab auctore conscriptos, ut & *de Re vestiaria* commentarios, quos brevi lucem publicam conspecturos esse Cl. Lantinus spem facit, ut impetremus, egregii litterarii causa quivis ei addictus omnibus votis exoptat.

VITA DI S. GIROLAMO.

i.e.

Vita S. Hieronymi, recens conscripta a *Johanne Cinellio*, Academico Gelato & Dissonante.

Florentiæ, ex officina Archi-Ducali, 1688. 4.

DIgnus sane, si quis alius, fuit *HIERONYMUS Stridonensis presbyter*, cujus vita a doctis viris ex ipsius ac coævorum Patrum scriptis cum cura erueretur ac bona fide recenseretur. Officio itaque hoc lubenter defuncti sunt *Gennadius*, (aut quisquis vitæ Hieronymianæ auctor est, a Mabillonio tomo IV Analectorum insertæ,) Desiderius *Erasmus* Roterodamus, Fr. Hieronymus *Guadalupus*, Christianus *Maffæus*, Marianus *Victorius* Reatinus, & (ut indoctiores, inprimis *Anonymum* illum, ab Erasmo quarto tomo Operum Hieronymi repositum, taceamus,) omnium novissime *Joannes Cinellius*, qui multis abhinc annis, vel ob editam *Bibliothecam volantem*, volat docta per ora virum.

Nulli autem dubitamus, quin civium cumprimis suorum Latinæ linguæ ignarorum usibus opus hoc suum destinarit Noster. Nec p. 38. quibus autoribus profecerit, ingratus subticet, quin ingenue potius materiem, seriem, ornamenta item rhetorica historiæ suæ, Mariano *Victorio* Episcopo Americnsi maximam partem accepta refert. Liberiorem igitur Victorii metaphrasten dicendum eum, res ipsa loquitur. Neque adeo abs re fuerit, contulisse quandoque ectypon cum archetypo, quo hujus beneficio sphalmata illa typographica lectores emendata habeant, quæ inter cætera sub finem volu-

minis rejecta non comparent. Patebit hoc pacto, e. c. p. 61 l. 24 pro *imprudenza* legendum *impudenza*; p. 64 l. 15 pro *Eusperio* reponendum *Esuperio*, prout Itali Latinum *Exuperii* nomen efferre solent, &c.

Nonnulla tamen subinde interspersit Cinellius, quæ in Episcopo Ameriensi aut plane non, aut aliter leguntur. Hac ratione
p. 1. memorat, Hieronymum d. 30 Martii A.O.R. 331 natum. *Concor-*
p. 9. *diam*, per quam in Gallias iter fecit Hieronymus, non, (quod Victorio visum fuerat,) illam Mirandulæ vicinam, sed aliam in Forojuliensi tractu, inter Liquentiam & Tilaventum flumina sitam statuit.
p. 20. *Barlettæ* de Hieronymo dentes sibi duos excutiente, ut ad Ebræo-
p. 38. rum literas recte pronuntiandas eo expeditior esset, & *Petri de Natalibus* de dignitate Hieronymi Cardinalitia traditiones, inter fabulas merito refert. Utramque relatu indignam habuerat Victorius, æque ac pervulgatissima illa de leone Hieronymi monachorumque Beth-
p. 74 – 80. lehemiticorum communi famulo commenta, quæ tamen omittere falsisque accensere veritus est Cinellius. In morte Hieronymi describenda parcior fuit Victorius. Hujus ergo lacunas supplevit Ci-
p. 86 – 154. nellius ex *Eusebii* epistola *de morte Hieronymi ad Damasum Portuensem Episcopum & Theodosium Romanorum Senatorem*, a se fideliter adeo ac eleganter in vernaculam tralata, ut & fide & elegantia ipsummet Eusebium facile superet. Fortasse tamen labore hoc supersedisset, nisi genuinam arbitratus fuisset epistolam, longeque majoris eam fecisset, quam *Erasmus*, qui in *censura* præfixa admonet Lectorem, *nihil hic esse, in quo bonarum horarum ullam partem collocet; nec egere Hieronymum hujusmodi fucis, nec dignari, a tam insulso pingi ar-*
p. 162. 163. & 169 – 182. *tifice*. Sub operis finem, ex *Cyrilli* Alexandrini ad Augustinum epistola, non una habentur miracula, quæ ab Hieronymo edita perhibentur. Sed Pseudo-Cyrillum hunc *rabulam nulli rei, nisi perdendis chartis natum* ab Erasmo censore injuria dici, Cinellio probandum incubuisset, si præter *elegantis ac Latinæ vernaculæque linguæ callentissimi Scriptoris* laudem, (ei haud temere negandam,) morosi etiam Critici titulum affectasset.

Sicut vero magnam haud dubie a gentilibus suis gratiam, vita hac conscripta retulit, ita majorem eum sperare jubemus ab universis litterariæ Reipublicæ civibus, si, quarum spem aliquo abhinc tem-

tempore fecere clarissimi *Diarii Parmensis* Autores,) in lucem emittat *Descriptionem memorabilium Parmensium*, *Historiam Scriptorum Venetorum*, & si quæ alia ad prælum parata habet. Nos hanc ejus Vitam, ab illustri *Magliabecchio* pro summo in nos adfectu transmissam, in Eruditorum Acta referre, adeoque editionem illius ac argumentum Ecclesiasticæ historiæ cupidis indicare, nostrarum partium esse censuimus.

DELL' ANTICO GINNASIO NAPOLETANO, opera posthuma di Pietro Lasena.

i. e.

De veteri Gymnasio Neapolitano opus posthumum Petri Lasenæ.

Neapoli, impensis Caroli Purpuræ, 1688, 4.

ANnus supra quadragesimum nonus vertitur, ex quo posthumus hic *Lasenæ* fœtus, quem itidem celeberrimi Magliabecchii benevolentiæ debemus, obstetricante *Francisco Maria* Cardinali *Brancacio*, in lucem primum Romæ prodiit, Neapoli nunc recusus. Parum ergo aberat, quin recensu illius supersederemus. Mox tamen præstantissimum Scriptorem & nobis memorandum duximus, cum paucissima aut nulla prioris editionis exempla in oras has nostras allata, novam etiam authoris vitam posteriori huic accessisse, animadvertissemus.

Latine, sed brevissime, Lasenæ vitam recensuerat *Buccardus*, nec nobis tamen, nec editionis hujus curatori visam. *Josephus* itaque *Valetta*, JCtus Neapolitanus, peritia, qua pollet, Græcæ Latinæque antiquitatis, itemque singulari studio numerosissimam colligendi Bibliothecam, eruditis perquam notus, amicorum suorum cuidam (*D.G.A.*) author fuit, ut Italico scripto eam enarraret.

Novimus hinc, *Lasenam* nostrum, (aut, si mavis *Lasejinam*, uti in suis MSCtis nomen suum exaravit ipsemet,) natum Neapoli d. 16 Octobris 1590, maximam vitæ partem Romæ transegisse, ibidemque tandem obiisse, ac ad D. Andreæ de Valle sepultum esse, ubi hocce ejus epitaphium legere sit: *Petrus Lasena Neapolitanus, Divini humanique Juris & liberalium disciplinarum peritissimus, bona fide Pa-*

Patronus, antiqui urbanique moris, vir Bonis omnibus, Doctis maxime charus; Obiit III. Nonas Septembris, An. C.N. M DC XXXVI. Ætatis suæ XLVI. Johannes Jacobus Buccardus Nobilis Parisiensis, studiorum virtutisque Consorti, Amico M. P.

Ne autem solo *Buccardo* Lasenam familiariter usum putes, Biographus noster refert, numerasse hunc in amicis Cardinalem *Brancacium*, Leonem *Allatium*, Fabium *Columnam*, Antonium *Caracciolum*, Lucam *Holstenium*, Gasparum *de Symeonibus* aliosque eruditorum illius ævi primicerios. Publici, dum viveret, juris fecit vernacule *Virgatorum*, (De' Vergati), h. e. (quantum ex D. G. A. colligere licet,) miscellanearum observationum in Poetas Italos *librum primum*, Latine vero *Homeri Nepenthes, seu de abolendo luctu librum*, itemque *Cleombrotum, sive de iis, qui in aquis pereunt, philologicam dissertationem.* Inter affecta ejus opuscula fuerunt *Architæ Tarentini fragmenta cum notis*, dissertationes de *Phratriis Græcorum*, de *Hebone*, de *lingua Hellenistica*, de *Rhinthone & Rhinthonicis fabulis*, de *Salapusiis*, & quæ sunt alia doctissimi viri meletemata, e quibus solum *Gymnasium Neapolitanum*, provida Brancacii cura, posteritati servatum ac publicæ luci datum novimus.

Cap. I. His de autore præmissis, de ipso opere nonnulla in medium afferamus. Atque heic ante omnia exscribendam arbitramur inscriptionem, quam cum aliis id genus Scholæ Neapolitanorum publicæ (Gymnasium vulgo vocant,) imponi curavit *Petrus de Castro, Comes de Lemos*, Prorex Neapolitanus:

GYMNASIVM CVM VRBE NATVM, VLYSSE AVDITORE INCLYTVM, A TITO VESP. RESTITVTVM, A FRIDERICO II LEGIBVS MVNITVM ET HONORARIIS AVCTVM, A CAROLO II ANDEGAV. INTRA MOENIA POSITVM, FERDINANDI CATHOLICI TVMVLTIBVS PENE OBRVTVM, EX HVMILI ANGVSTOQVE LOCO IN AMPLISS. AVGVSTISSIMVMQVE IVXTA VRBEM, VETERI SAPIENTVM INSTITVTO, REGIO SVMPTV TRANSTVLIT. ANNO CIↃ IↃC XVI.

Hoc ipsum nempe marmor ansam dedit Lasenæ in monumenta inquirendi, unde ei veritas sua constare posset. Ulyssem enim ludimagistrorum Neapolitanorum *auditorem* fuisse, fabulæ videbatur simil-

simillimum. Non pœnitendum igitur emolumentum in rem literariam redundaturum credidit, si *originem, situm, usum, continuationem veteris Gymnasii Neapolitani* peculiari libro explicaret. In antecessum vero monere lectorem supervacaneum est, *Gymnasii* voce locum indigitari, in quo certamina gymnica edebantur. Id potius nosse expedit, Lasenam, ut suæ de Neapolitano Gymnasio observationes eo faciliores intellectu essent, in compendio simul exhibuisse, quicquid de *Gymnasiis* Græcorum veterum *Hieronymus Mercurialis*, *Petrus Faber*, aliique tradidere; simulque errores populares Neapolitanorum de antiquitatibus patriæ suæ a *Capacio*, *Jordano*, *Fr. de Petris*, aliis defensos, explosisse ac confutasse.

Certa autem atque explorata prius expedit, antequam ad dubia ac fabulosa deveniat. Orditur itaque historiam Gymnasii sui ab *Augusti* ævo, quo *Strabo* floruit. Hic enim *libro V. Geograph.* Gymnicos ludos ex Græcorum instituto Neapoli ad Parthenopes sepulchrum sua adhuc ætate frequentatos esse perhibet. Gymnasia equidem *non erant Italicæ consuetudinis*, dicente *Vitruvio*; at cum Neapolis a Chalcidensibus fuerit condita, Chalcidenses vero Atheniensium colonia sint, mirum non est, certamina *gymnica* ex more Græcorum Neapoli in usu fuisse. Observat præter illa & *musicum agonem* & *Hephæstia* (sive ludos lampadodromicos) in gymnasio Neapolitano agitata; ac *gymnica* illa duum generum fuisse asserit, alia nempe antiquiora eaque annua, memoriæ *Parthenopes* sacra, alia recentiora, quinquennalia, honori Cæsaris *Augusti* instituta. Adducit hac occasione marmor, in quo vocem ΛΑΥΚΕΛΑΡΧΗΣΑΝΤΑ inexplicabilem censet, quam tamen felicissime in ΝΑΥΚΕΛΑΡΧΗΣΑΝΤΑ (h. e. *Navigiorum præfectum*) mutavit ac erudito commentario exposuit *Reinesius* nostràs, quem videsis *Inscript.* fol. 204. Cap. II.

Narrat dein, quantam *Tiberius*, *C. Caligula*, *Claudius*, *Nero*, ludis his Augustalibus continuandis curam adhibuerint; quorum ultimus *gymnico musico*que agoni tertium, *equestrem*, junxisse videtur. Ansa hinc arrepta, Ordinis Equestris Neapolitani origo excutitur. Hujus antiquitatem male a Capacio probatam, probandamque potius fuisse statuit ex *T. Livii* l. XXIII. c. I. ubi *Turmæ equitum* Neapolitanorum, *nobilium juvenum*, qui in ea militabant, ac *equitum præfecti Hegeæ* mentio fit. Paucos tamen fuisse putat equites in Cap. III.

popularibus Rebuspublicis, qualis olim erat Neapolis, pedeſtribus modo copiis claſſeque potens. *Equeſtrem* autem *Ordinem*, qui hodie Neapoli eminet, ultima demum Neapoleos ætate natum, cum *Scaligero* affirmat.

Cap. IV. Porro, ubi & triſtia & læta Gymnaſii fata, quæ *Tito Veſpaſiano*
Cap. V. imperante ſubiit, commemoraſſet, prolixe refert, quantum *Domitiano* illud debuerit. Atque heic egregiam lucem fœneratur difficillimo *Statii* loco de *theatro nudo tectoque*. Sic enim ille, uxori perſuaſurus, ut Neapolin rediret, memorem eam eſſe jubet deliciarum Neapolitanarum, *lib. 1 Sylv. V.*

Quid nunc magnificas ſpecies cultusque locorum,
Templaque & innumeris ſpatia interſtincta columnis,
Et geminam molem nudi tectique theatri,
Et Capitolinis quinquennia proxima luſtris?

Probe heic attendi poſtulat Laſena rationem loquendi Papinio uſitatam, qua rem aliquam vocabulo aliquo Latino efferre ſolet, quod ſuapte equidem emphaſi rem illam nunquam expreſſerit, reſpondet tamen ſuo modo voci Græcæ, quæ rei illi connotandæ apta eſt. Hunc in modum e. c. accipiendum eſt illud Poetæ in *Hercule Surrentino* v. 92,

– – – – juvenemque repleſti
Parthenopen – – –

Nam *Parthenope* h. l. nec Sirenes illius Neapoli ſepultæ, nec alterius mulieris, ſed urbis, *Neapolis* alias dici ſolitæ, nomen eſt. Huic *juvenis* epitheton ἀπροσδιονύσως plane tribueretur, niſi νεὸς & *juvenem & novum* notaret, ac hanc ob rem *juvenis* & *novi* voces pro ἰσοδυναμοῦσι accipere, adeoque Νεὰν Πόλιν (contracte *Neapolin*,) *juvenem Parthenopen* per Græciſmum utcunque reddere poſſes. Pari ratione, cum voci *nudum* τὸ γυμνὸν, voci vero *tectum* σκηνὴ apud Græcos reſpondeat, *theatrum* denique generatim notare queat locum ſpectaculo alicui deſtinatum, licere ſibi putavit *Papinius Statius*, palæſtram, in qua *nudi* athletæ viſebantur, *theatrum nudum* h. e. θέατρον γυμνικὸν vel γυμνάσιον, itemque ſcenam, quæ rure olim frondibus, deinceps vero in urbibus tabulatis *tegebatur*,) *theatrum tectum*, h. e. θέατρον σκηνικὸν vocitare. Hinc inquit:

Et

Et geminam *molem* -- — --

ne *nudum tectumque theatrum* pro duabus unius theatri vel amphitheatri partibus acciperes.

Dum autem in sequentibus Lasena docet, quantopere *Trajanus*, *Hadrianus*, *Antoninus Pius*, *Faustina* M. Anton. Philosophi conjux, *L.* denique *Verus* favore ac munificentia sua gymnastices studium promoverint, emendat *Suetonii* de C. Caligula dictum: *Edidit & peregre spectacula in Sicilia Syracusis* hasticos *ludos*, ac legi jubet *selasticos ludos*, h. e. per aphæresin *iselasticos*, εἰσελαστικοὺς, de qua voce conferantur *Casaubonus* ad Athenæum l. 15, c. 17. & *P. Faber* l. 1 Agonist. c. 10 & 17. quemadmodum σπανίαν pro *Hispania*, & *strionem* pro *histrione* apud Authores legi, notavit *Salmasius* ad *Spartianum* p. 16. col. 1. C. VI.

Circum Neapoli nullum extitisse, fuse probat, ac in contrarium objecta diluit. C. VII. Exponit dehinc, quæ spectaculorum publicorum facies fuisse videatur, *Commodo*, *Sept. Severo*, *Alex. Severo*, *Maximino Thrace*, *Tacito*que imperantibus. C. VIII. Nec denique Diocletianum ab hujusmodi ludis averso fuisse animo, probat ex lege, qua athletis *ab officiis publicis otium, immunitatem ac vacationem* indulsit, si tres adepti fuissent coronas, & ex his quidem unam minimum Romæ, aut in *antiqua Græcia.* C. IX. Hic amplissimus Petro Lasenæ Petroque Fabro concertandi campus aperitur; ac a Nostro quidem enixe contenditur, *antiquam Græciam* in edicto Diocletiani non Achajam esse, verum ipsammet Italiam. Asseritur ab eodem, Gymnasium Neapolitanum Herculi potius, quam numinibus aliis dicatum, nec in *Palæpoli*, sed *Neapoli* situm fuisse. C. X.

Ultimo denique capite primæ origines Neapoleos excutiuntur, quo pateat, quo jure illa de Ulysse hospite glorietur. C. XI. Ex Strabone Geographo nemo non compertum habet, *Parthenopen in Opicis* (h. e. Campania) *a Rhodiis conditam esse.* Hoc ante Trojam expugnatam contigisse, contra civium suorum quosdam negat Noster, eo quod idem Strabo dicat: *Narrantur & hæc de Rhodiis, res eorum mari secundas fuisse, non ab eo demum tempore, quo urbem, quæ extat hodie, condiderunt: sed etiam ante Olympiorum institutionem, per multos annos eos procul a patria classem eduxisse, hominum servandorum causa.* Jam vero *Eusebius Cæsareensis*, Rhodios annis demum

 du-

ducentis sexaginta & quod excurrit, post Ilium excisum summo maris imperio potitos esse, illudque XXIII annis tenuisse, memoriæ prodidit. Parthenopem igitur ante Trojæ exeidium *civitatem* & quidem *civitatem magnam* dicere, ἄτοπον fuerit. Quamvis vero ludi Olympici ab Hercule ante Trojæ conflagrationem instituti sint, nihilominus Strabo maritimum Rhodiorum imperium ante Trojanum bellum cœpisse haudquaquam dicit, non intelligendus nempe de institutione prima ludorum Olympicorum, sed de æra Olympiadum, quæ anno demum quadringentesimo sexto ab expugnata Troja initium habuit. Ac hactenus quidem Lasena antiquitatem civibus suis tantopere affectatam negare videtur. Mox tamen alia via incedit, ac, licet Ulysses Neapolim Parthenopemve non viderit, Phaleron tamen abs eo visam, probabile esse arbitratur. Nimirum *Lycophroni*, vetustissimo æque ac obscurissimo vati, Φαλήρου τύρσις, (*Phaleri turris*,) memoratur, intelligiturque, (juxta *Scholiasten* Græcum & *Meursium*,) locus ille, qui postea *Parthenope*, ac Octaviani Augusti tempore *Neapolis* appellari cœpit. Ita sane ἐθνογράφος *Stephanus*: ΦΑΛΗΡΟΝ. ἔστι καὶ πόλις ἐν Ὀπικοῖς, εἰς ἣν ἐξεβράσθη Παρθενόπη ἡ Σειρὴν, ἣ καλεῖται Νεάπολις. i. e. *PHALERON. Est hujus quoque nominis civitas in Opicis, in quam ejecta est Parthenope Siren, quæque appellatur Neapolis.* Nomen hoc habuit a conditore Phalero, Alconis filio, inter Argonautas non postremo, ac hoc nomine laudato Argonauticorum scriptoribus *Apollonio* ac *Valerio Flacco*. Notatu vero dignum est, quod, *Apollonio* teste, *Eumelii* cognomen gesserit Argonauta Phalerus. Hinc enim in propatulo esse videtur ratio, *Scaligero* ac *Barthio* ignorata, cur apud Statium *Eumelis* salutetur Neapolis. Sic enim ille canit in Sylva Julio Menecrati inscripta:

Tu ductor populi longe migrantis Apollo,
Cujus adhuc volucrem levi cervice sedentem
Respiciens blande, felix Eumelis adorat.

Cæterum Lasena cum Strabone pro certo habet, navigationem tum Argonautarum, tum Ulysseam (octoginta novem annis Argonautica expeditione posteriorem,) non unis quidem fabulis a Poetis involutam esse, non habere tamen nihil ex vero admixtum. Phalerum ergo urbem, viginti circiter annis ante Trojæ excidium conditã, (dein-

(deincipe vero tempore auctam a Rhodiis ac postremo a Chalcidensibus,) videre potuit Ulysses. Illic autem jamdum Gymnasium extitisse, vero videtur esse non absimile; eo quod ex *Pausania* Phocicis pag. 120 colligere liceat, Veteres locum aliquem *urbis* nomine non dignatos esse, si cives non prætorium, non *gymnasium*, non theatrum, non forum ibi haberent. Præterea nec hoc negaveris temere, antiquissimis temporibus hospitum sive advenarum honori id fuisse datum, ut in palæstram invitarentur; atque id ipsum Ulyssi hic illic contigisse, Homeri authoritate firmatur. Quamvis itaque apodidictice aut expressis idonei Authoris classici verbis adstrui nequeat, Ulyssem Gymnasium Neapolitanum vidisse, non impossibile tamen, imo nec improbabile Lasenæ videtur, quod heros iste Homericus Gymnasio illi copiam sui fecerit, non quidem ut *AUDITOR*, sed ut gymnicis ludis operam daturus, quicquid dicat author *Inscriptionis Castrianæ*. Gymnasia quippe solis corporis exercitamentis antiquitus patebant, & (ut est apud Ciceronem) *seculis multis ante inventa sunt, quam in his Philosophi garrire cœperunt*. Accedit, quod nondum Ulyssis ætate XVI illæ literæ ex Phœnicia in Græciam tralatæ essent, quas vertente dein tempore Cadmus Græcos docuit; id quod latius deducere voluisse Author videtur, si per fata licuisset. Concludit interim, tanto minus credibile esse, quod Scholas publicas jamdum aperuerint Neapolitani, cum necdum scribere legereve addidicissent.

JOH. CHRISTOPHORI STURMII, PROF. ALTORFINI Mathesis enucleata.

Norimbergæ apud Wolf. Maurit. Endterum, Anno 1689, in 8.

QUod Clarissimi *Autoris*, in Actis hisce non semel debito cum elogio memorati institutum, pulcherrimique & μαθηματικωτάτου hujus scripti scopus sit, *Idem* in præfamine ad Lectorem luculenter explicat. Nimirum cum in confesso apud omnes hodie sit, nihil unquam incrementis scientiarum obfuisse magis, superstitiosa illa antiquitatis veneratione, quæ ab ætatis priscæ ingeniis ut inventas, sic ad fastigium perductas absolutasque eas sibi aliisque per-

persuasit: negandum est minime, cum iniquitate hac literis fatali vel maxime conflictatam esse divinam mathesin, *Euclidis*, *Archimedis*, *Apollonii* aliorumque placitis eo perfectionis devenisse creditam, ut posteris temporibus parum aut nihil relictum sit eidem vel exornandæ vel perficiendæ. Factum inde est, ut cum veterum monumentis nihil accedere posse, vel ad demonstrationum vim & robur, vel ad evidentiam & facilitatem, vel ad ordinem denique nexumque, vulgo certum haberetur, tam diu laborandum fuerit sub illis defectibus, quos prisci matheseos antistites sub primordia ejus tollere vel nondum potuere, vel gloriæ suæ nimium studiosi noluere.

Quanquam enim plane admiranda sint quamplurima, quæ a primitivis matheseos doctoribus accepimus, & veritatis indubia fide, demonstrationumque ἀνάγκῃ & soliditate ingenium & acumen autorum suorum plus satis testatum faciant: invenit tamen (postquam illo autoritatis præjudicio se evolvit) seculi nunc decurrentis sagacitas non pauca, quæ circa demonstrationum lumen, ordinem, brevitatem & rectitudinem in priscorum monumentis desideraret, quibusque justam medelam adhibendam censeret: quæ ut *Autor Artis cogitandi* Gallico idiomate non ita pridem editæ, *part. 4 cap. 9* erudite non minus quam eleganter exposuit; ita circa Geometriam (quæ *Barrovii in lect. mathematicis* judicio universam mathesin complectitur) laudabili industria emendare conati sunt *Tacquetus*, *Honoratus Fabri*, *Morgues*, *Barrovius*, *Pardies*, *Lamy*, aliique. Maxime tamen omnium de mathematicis studiis meruisse judicandi sunt merito, tum qui pressam dissimulatamque Antiquis analysin, (sub *Algebræ* aut *analyseos speciosæ* nomine hodie celebratam) mathesi propriam & domesticam, immenso φιλομαθῶν commodo, in apricum produxere, productamque altius evexere, *Vieta*, *Harriottus*, *Oughtredus*, *Cartesius*, horumque vestigia legentes alii; tum peculiaribus methodis indivisibilium, infinitorum, maximorum & minimorum, pomœria matheseos protulerunt: de quibus post Schediasma celeberrimi *Leibnitii*, *in Actis* A. 1686 p. 292 publicati, *Autor* noster consuli potest.

Horum ergo præeuntium conatibus non invitatus solum, sed adductus *Autor* noster, eorum consiliis sua jungere, inventis addere, expolita in usum transferre, nondum satis exculta porro perpoli-

re,

re, eaque omnia publici facere juris instituit: atque hæc in gratiam tyronum præcipue, ut dum sublimia ingenia aciem plerumque ad summa matheseos fastigia intendunt, & hi hodegetam habeant, qui ad radices se demittens, primos iisdem gradus plane facilique via pandat, ulteriores digito commonstret.

Hac ratione *Libro Imo* palmaria veræ matheseos theoremata & inventa, quæ *Euclides* in *elementis*, *Archimedes de sphæra & cylindro, circulique dimensione*, longa propositionum secundariarum & concatenatarum consequentiarum serie plerumq; indirecte tantum demonstrarunt; *Libro* vero *IIdo*, sectionum conicarum, conoidis ac sphæroidis, linearum etiam cycloidis, conchoidis & spiralium proprietates præcipuas, apud *Apollonium* & *Archimedem* per tædiosas ambages confirmatas, hic in nucleum compactas, nunc Logistica speciosa, nunc indivisibilium infinitorumque methodo (in ipso operis progressu, prout hæc illave rei demonstrandæ accommodatiorem se præbet, gradatim ex fontibus suis, ut occasio tulit, derivatis) per otiosum velut oculorum obtutum & applicationem ludibundam, profundis judicii delassandi meditationibus minime obnoxiam, sic demonstrat, ut vim & rationem singularum harum methodorum ipso usu tyronibus commonstret. Hoc ipso vero plurimas Triumvirorum nominatorum propositiones, ex definitionibus & magnitudinum generationibus tanquam consectaria infert; primaria eorum theoremata, citra antecedentium propositionum & extraneorum principiorum seriem, ex paucis, directis & intrinsecis principiis deducit; & hinc id consequitur, ut ordine magis naturali res proponat, ab universalibus ad specialia descendat, ex illis corollariorum loco Arithmeticæ puræ, decadicæ, tum etiam tetractycæ, a Clarissimo Jenensium Professore *Erhardo Weigelio* adinventæ, & Surdorum præcepta a prima sua origine exponat, iisque deinceps in specialioribus utatur. His porro praxes inædificat, in omni scientiarum genere, plurimisque vitæ humanæ occasionibus utilissimas, Trigonometriæ sc. planæ & sphæricæ; Canonisq; sinuum &c. fabricam & usum; Logisticam Logarithmicam, hoc est Logarithmorum constructionem & computum. Quibus denique tanquam præcipuum operis complementum subjungit *Introductionem ad Analysin speciosam*, sive *Geometriam Novam*, ad *Cartesii* methodum accommodatam, sed ex recentiorum inventis plurimum

faci-

facilitatam, & quoad artis præcepta paucissimis pagellis comprehensam; exemplis vero per genera æquationum, ad quatuor dimensiones usque omnia, plus quadraginta illustratam. Quorum intuitu summo jure *M thefeos enucleata* titulum Libro fecisse *Autor* clarissimus merito censeri debet.

L' IRREVOCABILITE' DE L' EDIT de Nantes, &c. i. e.

Edicti Nannetensis irrevocabilitas, ex principiis juris & politicis demonstrata, per C. A. Legum Doctorem, & Gallicæ nationis Judicem -- -- --

Amstelodami, apud Henricum des Bordes, 1688, 12.

Causa victa nondum desinit suos Catones habere, quibus placeat. Ex his, qui nomen suum literis tantum C. A. indicat, versum titulo libelli hujus præscripsit, spei judiciique sui indicem:

Recta valent, obliqua cadunt, stat gloria veris:
Turpes eventus quæ simulantur habent.

Edicti *Nanneti* in Gallia Aremorica conditi, quo Henricus IV Galliarum Rex exercitio religionis reformatæ in Gallia perpetuam securitatem præstare voluisse visus est, contenta nemo, vel modice in historia temporum versatus, ignorare potest. Hoc nuper jure revocatum esse contendunt, qui *Reformatorum* in Gallia oppressionem procurarunt; negant vero id, & magnæ injustitiæ revocationem illam accusant, qui oppressi aut ejecti sunt. Horum sententiam tuetur Autor, & tria probanda sibi sumit: (1) quod omnes rationes, quæ pro revocatione Edicti in constitutione nupera allegantur, falsæ sint. (2) quod nullæ allegari possint, quibus defendi vel excusari valeat revocatio Edicti, aut quæ etiam nunc adversus Reformatos in Gallia statuuntur. (3) quod revocatio ista, & quæ adversus Reformatos adhuc fiunt, producere possint, & revera productura sint effectus plane contrarios iis, quorum Clerus spem Regi fecit. Inter falsas causas sive prætextus refertur *primo*, quod in exordio nuperi edicti revocatorii dicatur, Henricum IV tantum tranquillitatis in regno servandæ causa edictum suum condidisse, eaque

Part. I. c. I.

mente,

mente, ut interea ad Ecclesiam reducere posset, qui ab ea secesserant. His præsupponi putat Autor, Henricum serio persuasum fuisse de veritate Romanæ religionis, reformatam vero, & eam profitentes odisse, & hos destruere voluisse. Hæc omnia refutantur, allegatis autoribus Romano-Catholicis, qui vitam ejus descripserunt, & ostenditur, quod Rex iste religionem reformatam satis intellexerit, & vehementer amaverit, nec nisi ex necessitate, quam sibi impositam esse persuadebatur, ab ejus publica professione recesserit; tum quod post Romanæ religionis assumtionem, nunquam hujus errores, minime vero *transsubstantiationis* dogma probaverit: & ita de eo omnes judicasse narrat, neque aliam mortis ejus caussam fuisse. Simulationem itaque omnem in condendo edicto *Nannetensi* longe ab eo removet Autor, ejusque sinceritatem in omnibus vitæ suæ actionibus demonstrat. Refellitur *deinde* prætextus ex verbis edicti, ubi in præfatione Rex dicit, nondum (pour encore) sive pro nunc non permissum esse a Deo, ut omnes subditi sui unam formam religionis tenerent; unde argumentum sumsisse ait adversarios, & nominatim Bernardum quendam in *explicatione edicti Nannetensis A. 1666* edita, ac si Rex ad tempus saltem sive *provisionaliter*, ut dici solet, statuere aliquid voluerit. Respondet igitur Autor, Regem diserte profiteri, se perpetuam legem condere, id quod cum provisionali decreto consistere nequeat; & ideo verba illa *pro nunc* ex clarioribus explicanda esse. Concedit quidem, conditionem intelligi posse sub illa formula, ita ut edictum cessaturum sit, si omnes Galli unam aliquando religionem profiteantur; sed nihilominus puram esse dispositionem edicti, quia conditio illa non pendeat a voluntate Regis edicentis, sed a Dei gubernatione, consensum illum aliquando suo jure & modo largituri. Huic præjudicare Clerum, & jus Dei invadere, dum violentis modis unionem illam producere molitus sit. Disquiritur *tertio*, an *Ludovicus XIII* (quod itidem asserunt revocationis assertores) edictum pro non perpetuo, sed revocabili habuerit. Negatur id, tum ob illius etiam Regis in fide servanda candorem, tum ex factis ejus, quibus edictum Nannetense semper executus est. Probat hoc etiam ex alio edicto Regis, qui nunc rerum potitur, A. 1656, d. 7 Septembris, ad Cleri suggestionem cum magna calliditate, ut ait Autor, ad inquirendum

c. 2.

c. 3.

an Nannetense edictum a Protestantibus servetur, impetrato. Ejus verba quæ afferuntur, inter alia hæc sunt: *Rex defunctus, Pater noster honoratissimus, semper solicite curavit, ut edictum hoc integrum servaretur, & dici potest, illum nihil plane circa illud mutasse.* Ostenditur
c. 4. *quarto* futilitas allegationis, quod numerus Reformatorum magna ex parte imminutus fuerit, & plerique jam ad Romana sacra transierint. Id enim aut falsum esse, aut non juvare dicitur, quia cœtus Reformatorum, ut corpus mysticum, jus suum retinuerit, etsi ad unum usque membrum redactus fuisset; id quod legibus & rationibus firmatur. Improbitas inde *ultimi* prætextus arguitur,
c. 5. quod edictum aboleri debuerit, ut memoria motuum per Reformatos excitatorum, qui edicto causam dederint, interiret. Negat enim Autor, motus & seditiones religioni reformatæ imputari debere, licet per accidens sint secuti. Retorquet quædam hac occasione ex historia parricidii in Reges Gallos, ex instinctu quorundam ex Clero commissi aut tentati, (*Clementis* puta Dominicani, *Barrierii*, *Castelli*, *Guignardi*, *Ravalliaci*;) aut dogmatibus autorum, quos allegat, *Santarelli*, *Marianæ*, *Bellarmini*, *Suarezii*, *Joh. Osorii*, *Gabr. Vasquezii*, *Gregorii de Valentia*, *Andreæ Eudæmono Johannis*, *Molinæ*, *Gretseri*, imo, ut putat, omnium ex illa schola. Addit quædam de exemptione Cleri a jurisdictione Principum, qua fieri dicit, ut corpus independens in regno constituatur.

P. II. c. 1. *Altera* opusculi parte demonstratum it Autor, quod nulla ratione legitima edictum Nannetense revocari potuerit, sed quod omnino obligatus fuerit Rex ad servanda, quæ prædecessores constituerant,
c. 2. & quod impius sit utilitatis prætextus ad rumpendam promissorum fidem, & ex schola Machiavelli depromtus. Examinatur, & adductis
c. 3. argumentis ex S. Scriptura rejicitur opinio, de fide hæreticis non servanda. Allegatur cum elogio *D. Balth. Meisnerus* p. 3. Phil. Sobr. Sect. I. c. 7. Indicatur tamen, quid Scriptores recentiores objicere soleant de historia Hussi, ut ostendant, fidem in ejus supplicio vio-
c. 4. latam non fuisse. Laudatur pagana Philosophia, quæ fidem servare præceptis & exemplis doceat. Caroli V. etiam factum commendatur, ex historia ejus a *Joh. Antonio de Vera* Hispanice scripta, & a *Perronio* quodam Gallice versa, in qua refertur, imperatorem in comitiis Wormatiensibus, cum Eccius suaderet, Lutherum Hussi exemplo

e mplo retinendum & puniendum esse, respondisse, se non defecisse cum in acie standum esset adversus Turcos, Gallos, & Protestantes Germanos, multo minus in fide, quam dederat, deficere velle. Hic tamen obiter notamus, erratum esse, typographi forte culpa, in adducto anno comitiorum 1519; nam A. 1521 Lutherus Wormatiæ comparuit: nec allegari a Carolo tunc potuisse bellum cum Protestantibus, quod post annos XXVI secutum est: denique non constare, illius suggestionis autorem fuisse Eccium, cum alii & plures ejus facti insimulentur. Respondet inde Autor jactatæ a Clero conversioni Reformatorum, & quod ob tantum bonum tolerari possit, si quid in edicti abolitione peccatum esset. Parallelismos quosdam proponit inter doctrinam Romanam veterem, & novam seu Pontificiam, & pessime factum esse judicat, quod Reformati a prima illa orthodoxa, ad secundam corruptam, & ut ait, hæreticam per violentiam translati fuerint. Modum etiam conversionis, etsi vera esset, ad quam coguntur, religio, prorsus rejicit, quia conversio vera est opus Dei, per verbum & Spiritum agentis, (quod multis Scripturæ dictis confirmat,) cum quo non cooveniant, quæ vi aut persuasionibus acta sunt, omni honestati & charitati contraria. Taxatur etiam oratio, Cleri nomine a *Daniele de Cosnac* Episcopo Valentino ad Regem anno 1685 habita, in qua, nulla divini auxilii mentione facta, totum illud opus oppressæ religionis reformatæ Regis virtuti attribuitur. Objectionem etiam diluit Autor, quod Rex juramento, quod in coronatione sua præstare solet, ad violanda edicta Reformatis data obligatus fuerit. Adducit pro se locum ex *Mottæ Vayerii* libro *de instructione Delfini*; pluribus etiam ostendit, non esse faciendum malum, ut eveniat bonum; & pessima imo diabolica, ut loquitur, facta illorum describit, qui se pro instrumentis conversionis venditant, & ex opposito monstrat, quales esse & quomodo se gerere debeant, qui Deo operam in tanto negotio præstare velint. Tandem etiam illum prætextum rejicit, cum nihil referre dicunt, etsi Reformati non serio convertantur, sed hypocritæ fiant, quia nihilominus damnandi sint, si in religione sua perseverent. Nam non solum negat, quam temere præsupponunt, damnationem, sed & concessa illa, minime dicit licere hypocritas scienter in cœtum admittere, multo minus cogere; cum Christus

c. 5. (margin, beside "Respondet inde Autor")
c. 6. (margin, beside "Objectionem etiam diluit Autor")
c. 7. (margin, beside "Tandem etiam illum prætextum")

ftus & Apoftoli malos notorios ex communione ejecerint. Peffime igitur dici & agi ab adverfariis, quod fufficere credant, fi cœtui publico accedant quos cogunt, quicquid intus fentiant & credant; & majorem effe culpam cogentium, quod eos, quos damnandos effe judicant, damnationi tanto certius fubjiciunt, quia eos ad hypocrifin violentis modis adigunt.

P. III. c. 1. *Tertia* libelli pars breviffima eft, in qua de effectibus & eventu perfecutionis Autor judicat vel conjectat. Negat deftructam effe aut deftrui poffe in Gallia religionem reformatam, non magis ac ipfam Ecclefiam; confirmari eam potius perfecutionibus. Negat etiam incrementum religionis Romanæ, cujus fpem fecerunt Regi perfecutionis autores; contrarium potius eventurum effe exiftimat: neque enim, quos vi coegerunt, unquam credituros effe Clero, dogmata fua proponenti, cum facta crudelia omnem illis fidem
c. 2. & amorem adimant. Deinde paucis monet, Reformatorum exterminationem etiam in Politia noxiam effe, & allegat autoris anonymi libellum A. 1686 de hoc argumento editum. Provocat ad manifefta incommoda jam fecuta, tot civium fpoliationem, tot aliorum ejectionem, non folum pauperum fed & opulentorum, neque aliud quam defperationem fecuturam effe, vi impeditis & retentis qui in exilium profecturi erant. Imminui denique tanti Regis gloriam,
c. 3. fraude inducti, ut tantum civium numerum in miferiam & fervitutem redigeret, a quibus pro unico & fupremo Domino agnofcebatur; cum jam non nifi iis imperet, qui Pontificis fuperiorem colant poteftatem. Subjungitur epilogus, quo confilium de opprimendis reliquiis Reformatorum Autor deteftatur, & afflictis fpem liberationis facit.

L' EGLISE DE FRANCE AFFLIGE'E, ou l' on voit les entreprifes de la Cour &c. par François Poitevin. i. e.

Francifci Pictonis Tractatus de Afflictione Ecclefiæ Gallicanæ, in quo apparent molimina Aulæ adverfus libertatem Ecclefiæ, & rigor, quo Epifcopi, Presbyteri, Religiofi & Religiofæ, aliique pii in hoc regno, qui Aulica confilia & doctrinam Jefuitarum non probant, tractantur.

Colo-

Coloniæ, 1688. 8.

HUcusque Reformati in Gallia cœlum & terram querelis de persecutionibus suis impleverunt: sed dudum socios quosdam malorum in ipsa patria sua invenerunt, & quidem si vera sunt, quæ de zelo quorundam, qui *Jansenistæ* dicuntur, jactari solent, ex illis ipsis, quibus summopere invisi fuerant, in quos atrocium pœnarum exempla reciderunt, quæ lætis forte oculis in Reformatos edi viderant, aut ipsi procuraverant. Multa jam Actis nostris inseruimus de vehementi inter *Jesuitas* & *Jansenistas* odio, neque horum calamitas ignota est: sicut nec certamina ignota sunt, quæ de *jure Regalium* in Episcopatibus, inter Regium fiscum & Episcopos quosdam, & circa jus nominandi antistites quorundam monasteriorum exarserunt. Et primum quidem controversiarum caput ad dogmata pertinet; disputatur enim de gratia & prædestinatione: accessit lis de pœnitentia, quam sacerdotes injungunt, cujus relaxatio *Jesuitis*, ab iis quos *Jansenistas* vocant, imputatur. Reliqua ad jus libertatis & exemtionis Ecclesiasticæ spectant, cujus tuendæ potestatem sibi Pontifex Romanus vindicat, renitente aula Regia, magnaque vi omnes persequente, qui præsidium causæ suæ Romæ quærunt. Maximas itaque lamentationes de his omnibus per modum epistolæ ad Archiepiscopos & Episcopos Galliæ defert Autor, præpeditus tamen nescio quo casu (ut in præloquio indicatur) quo minus laborem suum reviderit & continuaverit: plurima ergo imperfecte narrantur, & supplementum poscunt. In exordio graviter officii sui admonet Ecclesiæ Gallicanæ Prælatos, ut autoritate & gratia, qua Regem ad hæresin, quam vocant, Reformatorum extirpandam movere potuerunt, etiam ad eundem a furiosa, ut loquitur, persecutione Catholicorum retrahendum utantur, qui hierarchiam Christianam & disciplinam morum, veramque de gratia Christi doctrinam defendant. Adhortatur eos, ut spreto periculo, omnes & singuli Regem adeant: sic sperandum esse, fore ut tantis malis remedia obtineant; sin minus, sufficere ait, si conscientiæ suæ & officio satisfecerint. Taxat inde congregationes a Clero habitas, tum quod exclusi fuerint, qui zelum Ecclesiæ aulico favori prælaturi esse videbantur; tum ob Præsidis, Archiepiscopi Parisiensis (quem toto hoc libello acriter insectatur) affectus & spiritum schismaticum, autoritati Pontifi-

ciæ infensum, & conciliorum prærogativam intempestive asserentem. Nec mitius tractat *P. de la Chaise*, qui Regi a confessionibus est. His fere omnia imputat, quæcunque in synodis illis perperam & sæviter adversus doctores, Pontificiæ autoritatis defensores; decreta & executioni mandata sunt. Exaggerat imprimis, quæ statuta sunt adversus virgines *Charonnenses*, quæ in exilium ejectæ & omnibus rebus spoliatæ fuerunt: dein capitale supplicium, quod adversus Vicarium generalem Episcopatus *Apamiensis* (Pamiers) *Cerlium* decretum, & in effigiem ejus Tolosæ patratum est, non alia ex causa, quam quod injustis Aulæ jussis restiterit, & Pontificiis paruerit decretis. *Aletensis* inde Episcopi fatum describit, cujus vitæ cum ob gravem senectam pepercissent adversarii, eripuerint tamen illi quos maxime amabat, & in exilium egerint præcipuos muneris illius administros. Excusat quidem Autor Regem eatenus, quod deceptus sit falsis suggestionibus; censet tamen evitari ideo non posse judicium divinum, *nec unquam impiorum consiliis subjici Principem, qui sit secundum cor Dei.* Sequitur longa relatio de iis, quæ magna, ut ait, cum injustitia & violentia in Episcopatu *Apamiensi* ab anno 1677 acta sunt, allegatis epistolis aliisque documentis. Summa est, Episcopum criminis læsæ Majestatis reum factum esse, cum tamen causam suam Concilii CCCC Episcoporum, quod Lugduni olim habitum est, autoritate tueretur, & Pontificiis literis magno cum affectu ad Regem scriptis juvaretur. Refert verba epistolæ Pontificiæ d. 21 Septembris 1678 datæ, in qua Regis assertum de *Regaliæ* jure vocat *errorem manifestum, tum conscientiæ Regis tum Galliæ regno, tum Ecclesiæ universæ perniciosum.* Episcopum vero in literis ad eum scriptis Pontifex egregiis ornavit encomiis, & murum hostibus Israelis oppositum nominavit. Laudatur liber ejus *de Regaliæ jure*, & alia scripta & gesta ejus recensentur. Decessisse dicitur d. 7 Aug. 1680 tam inops, ut ad funeris tenuissimi licet sumtum mutuanda esset pecunia. Famæ etiam post mortem per immanes calumnias insultatum esse, imputatis illi hæresis, hypocrisis, luxuriæ & seditionis criminibus. Inter alia aulæ decreta etiam hoc fuit, ut Canonici Apamienses, qui regulari disciplina sub Episcopo vivebant, seculares, ut vocant, posthac essent, & pulsis, qui Episcopo obediebant, nominati a Rege succederent. Qui adversus *Regali-*

stas

ſtu illos, quos vocant, proteſtatus erat, *Carlatus* Prior Capituli Clauſtralis, 75 annorum ſenex, in carcerem male ſanum conjectus eſt, in quo poſt paucos menſes deceſſit, negato etiam, quem exquiſitis precibus deſiderabat, Sacramenti uſu. *Rechius* Vicarius Generalis, tam miſere in cuſtodia habitus fuit, ut pro beneficio maximo ſcriptis ad Præfectum Regium literis peteret, ut ſibi aliquando per oppidum panem mendicare liceret. Alius qui juſſis regiis Epiſcopi ordinationes, Pontificiis præceptis firmatas, prætulerat, quatuor horis in foro publice expoſitus, non tamen deriſus ſed deploratus a plebe, inde vero in carcerem abſconditus & hominum notitiæ ſubtractus fuit. *Dominicanorum Prior*, qui eadem conſtantia Pontificiis decretis parebat, in exilium ejectus, ſociisque ademta eſt lectio Theologica, & Jeſuitis attributa; pulſa etiam Carmelitarum virginum Antiſtita; aliis confeſſores ademti ſunt. Soror Epiſcopi Marchioniſſa *Mirepincenſis* exilium paſſa eſt, disjectis pulſisque, quas ſuo ſumtu conſtituerat, fœminis, quæ puellas informabant. *Ferrierius* quidam vir doctus, Canonicus, & Epiſcopo intima amicitia junctus, octoginta licet annorum ſilicernium, ex Albigenſium urbe in Burgundiam relegatus eſt, ut & in alium locum Procurator Epiſcopi, quod populum pro concione exhortatus eſſet, ut Dei in præſentibus Eccleſiæ calamitatibus auxilium imploraret. Multa in his aliisque patrandis, Jeſuitarum molitioni tribuit Autor, licet non neget, omnia autoritate Archiepiſcopi Toloſani, & ſecundum decreta Regia & Parlamenti geſta eſſe. Pontifex tanto cum rigore adverſus iſta omnia ſemet oppoſuit, ut excommunicaret omnes, qui Regio juſſu in Diœceſi illa munia Eccleſiaſtica invaſerant, nominatim Archiepiſcopum Toloſanum & Jeſuitas, utque omnes confeſſiones illis factæ, tum omnia matrimonia, quæ conſecrarent, irrita eſſent. Notabile eſt & inter effectus Pontificiæ venerationis referendum, quod decreto contra latitantem *Cerlium* (cujus ſupra mentio facta eſt) a Toloſano Archiepiſcopo & Parlamento mortis ſupplicio, (quod prolixe p. 76 & ſeqq. deſcribitur) carnifex Apamienſis fugere maluerit, quam effigiem viri, ut juſſus erat, de patibulo ſuſpendere. His aliisque de illa diœceſi relatis ſubjungit Autor plurima, quibus oſtendat, perſecutionem Eccleſiæ in Gallia univerſalem eſſe, & prætextum a *Janſeniſmo* ſumi. Narrat, ut ex *Sorbona* ſexaginta

ginta doctores ejecti fuerint, quod noluerint damnare propositionem, quæ tota sit Chrysostomi, Augustini aliorumque Patrum, *quod* nempe *S. Petrus in tentationis suæ momento non habuerit gratiam sufficientem ad eam vincendam.* Tantum vero rigorem exercitum esse adversus Doctores illos, ut & nomina eorum ex tabulis Collegii erasa & preces post mortem denegatæ sint, etsi pecuniam pro solitis expiationibus numerassent. Id speciatim accidisse notat Episcopo *Vinciensi* & *Catalaunensi. Arnaldi* persecutionem, qui in decrepita senecta exilium pati & latebras soli Deo notas quærere coactus sit, valde deplorat Autor, & notam illam de quinque propositionibus controversiam explicat, inque ea subreptum fuisse *Alexandro* VII contendit, qui non solum eas, uti conceptæ erant, sed in sensu Jansenii condemnaverit, quem tamen adversarii probare non potuerint. Distinguit itaque Autor in sententia Pontificia inter theses ipsas, quas juste condemnatas esse, ob sensum, quem admittant hæreticum, non negat, & additamentum, quod condemnatæ sint in sensu *Jansenii.* Prius ait juris esse, posterius facti, in quo falli potuerit & fallsus sit Pontifex, alio quippe lumine in quæstionibus facti, quam alii doctores, non præditus. Fraudem autem adversariorum in eo dicit versari, ut hoc modo Jansenii, & omnium, ut putat, orthodoxorum doctrinam de prædestinatione absoluta, & de gratiæ efficacis necessitate, ut hæreticam denigrarent: illum enim esse sensum Jansenii, qui ex libris ejus clarissime percipitur, dubitari non posse. Refert inde, quomodo sævitum sit in eos, qui formulæ a Rege præscriptæ, in condemnandis quinque propositionibus, subscribere recusaverint, licet silentium promiserint, & aliqui tantum ob ignorationem quæstionis in subscriptione dubitaverint, quod Virgines monasticæ potissimum causari solebant. Quatuor tamen Episcoporum renitentium constantia pudefactam esse Aulam, ut eorum subscriptionem cum distinctione & explicatione acceperit, quo ipso tota de Jansenismo concertatio ut spectrum evanuerit. Narrat, ut idem postea denuo a Jesuitis productum fuerit, excitata persecutione adversus sacras Virgines monasterii *Portus Regalis*, quæ prolixe describitur. Sequitur relatio de *P. le Noir*, Sezensis sive Sagianæ in Neustria Ecclesiæ Theologo. Is Jansenismi inculpatus, absque cognitione causæ literis Regiis sub sigillo sive secreto minori (de

(de cachet) expeditis in exilium pulsus, dein captus & Bastillæ, claustro Parisiensi inclusus fuit, damnatusque postea, ut funem collo circumpositum, manu cereum gerens, & indusio amictus, ad templum cathedrale sisteretur, ut & factum est; ubi cum loco revocationis preces recitasset, in aliud castellum ductus fuit, ad mortem usque in eo detinendus. Longum foret alios Canonicos, Vicarios Episcopales, Presbyteros, Parochos, Monachos & monasteriorum Præpositos, utriusque sexus, referre, quos eadem calamitas exilii carcerumque ipsa morte deteriorum oppressit, nominatim ab autore memoratos. Insigne est celeberrimæ Abbatiæ *Cluniacensis*, quæ Benedictini Ordinis primaria est, fatum. Cum enim monachi veteri more Abbatem elegissent, hic Regio mandato cum aliis primoribus monasterii in exilium ejectus est, & reditus monasterii fisco vendicati, donec Cardinalis *Bullionæus* a Rege nominatus iis potiretur. *Urbanistarum*, quas vocant, monialium clades ex eadem causa secuta est, quod Abbatissam sibi jure concesso eligere, nec admittere vellent a Rege datam. De *Charonnensium* exilio supra dictum est, quod Pontificiis decretis impediri non potuit. Sententia enim Parlamenti extinctum & venditum fuit monasterium, ejectis sine omni misericordia virginibus. Allegatur libellus, cujus titulus: *Innocentia oppressa*; in quo aliarum virginum, quarum Ordo ab *Infantia* Christi nomen habet, persecutio descripta esse dicitur. Succedit querela de mutatis *Nosocomiis*, & quæ pauperibus alendis destinata fuere *Hospitalibus*, quorum reditus Nobilitati & militibus attributi esse dicuntur. Tres pastores *Cadomenses* in exilium actos esse notatur, quod pro concione dixissent, *amorem Dei in pœnitentia requiri*; quod & cuidam Bellovacensi Canonico contigit, qui in sermone quodam docuerat, *omnia opera nostra propter Deum fieri debere*. Claudit libellum index sacerdotum & ecclesiasticorum, qui ob veritatem causa, ut Autor affirmat, non cognita, vel per solas literas regias sub sigillo minori emissas, vincula aut exilium passi sint, aut qui fuga sibi consuluerint; dein epistola erudita, quæ gravem persecutionum censuram continet, Romæ scripta d. 18 Octobr. 1686; adjuncta versione Gallica.

HENRICI HULSII THEOLOGI IN ACAdemia Electorali Duisburgensi de Principio credendi libri duo.

Lugd. Batavor. apud Jordan. Luchtmans, 1688, in 12.

NE quis disquisitionem hanc circa principium credendi in ipso statim limine aspiciat ut impiam aut superfluam, præfatur *Hulsius*, ejusmodi tractationem necessariam & utilem esse, quod athei sint, qui principia negent; quod conducat fundamenta principiorum firma vestigare; quod post excussam Romanam, qua omnia ab Ecclesiæ dicentis suspendebantur auctoritate, servitutem, per trita illa: *contra negantem principia non agendum; athei theoretici non dantur, nec dari possunt;* tanta succreverit quoad principia securitas, ut argumentorum, quibus eorum constat veritas, defectus reperiatur ingens. Profitetur autem, præsentem operam non tam ad principia confirmanda, quam naturam eorum interiorem vestigandam, mutuamque in se declarandam ἐμπεριχώρησιν ac immeationem destinatam esse.

Opusculum in duos libros dispescitur. In priore ipsa *principia* credendi considerantur, eaque *tria* enarrantur, primum *Ratio*, alterum *Scripturæ* testimonium, tertium *Res* earumque naturæ.

Ratio dicitur lumen Naturæ, in homine dignissimum persuasionis & fidei sive assensus principium. Non distinguenda illa gradu diversitatis & inferioritatis nimio, a Revelatione divina. Nam ratio (ut ait) est veri, ab unico Patre luminum & veri, simul profecta revelatio, hoc saltim cum discrimine, aut hac potius prærogativa, quod in lumine naturæ & rationis ea evidentiore modo contingat, & vicissim revelatio in multis sit ad majorem gradum elevata ratio. Improbat tum *praxin* in Academiis receptam, *qua Philosophia ante admissionem ad superiores facultates absolvi prius debet,* cum accurata speculationum & abstractionum perfectio, maturam ætatem & subactum judicium requirat, tironi autem generalis philosophiæ & naturæ rerum cognitio sufficiat; tum *dictum* illud vulgatum, *Philosophiam esse ancillam superioris disciplinæ ac Theologiæ,* quippe Philosophiam sibi esse dominam, suo superbire divino auctore, suo totum intel-

intellectum perfundere fulgore, sermonem fidei commutare in sermonem sapientiæ, esse universale illud per omnes mundi gentes demonstrationis & convictionis principium; annuente philosophia, dum veritas revelata ad conscientiam se commendet, conversionem ad DEUM & Ecclesiam succedere. Et si rite putemus, *Theologiam* potius *Philosophiæ famulari;* in eum enim finem Revelationem datam esse, ut lucem rationis aberrantem corrigeret, & sermonem fidei in sermonem sapientiæ proficere, nitique ut ad conscientiam se commendet. Si *injicis*, corruptam esse rationem, h. e. ratiocinium ex primis principiis concludens; respondet, non falli, cum clare & distincte rem percipit. Hanc claram ac distinctam perceptionem normam esse, juxta quam Ratio non solum totam Theologiam naturalem, cultum Numinis, & regulas æquitatis addiscat, sed & ad res novæ gratiæ assurgat. Licet enim modum & ipsam viam novæ salutis non assequatur; attamen esse apud DEUM iterum gratiam, sicque exstare condignam justitiæ DEI compensationem, gentilem probe attendentem variis edoceri posse. Ac posse forte hanc cognitionem & fidem generalem intemerate servatam, Spirituque comitatam, in se sufficientem esse, fundamento quamvis gratiæ & salutis ipso non similiter perspecto, cujus fidei generalis exemplum putat in Abrahamo Gen. 15, 1. in discipulis Christi Joh. 16, 24: at non servare rationem, solo naturæ lumine munitam, cognitionem illam & fidem intemeratam, sed dum in ratiociniis suis ratio irrequieta, fixum aliquod fundamentum quietis & gratiæ vestigat, ad verum autem fundamentum Trinitatis & Filii incarnati non assurgit, hinc necessario ad spurium, scilicet justitiam operum delabi, illaque niti, & sic Theologiam naturalem salutarem non esse.

Revelatio seu *Scriptura*, ut sit secundum credendi principium, autoritatem condignam & divinam originem ante omnia requirit, quæ illi asseritur & confirmatur, *primo* ex congruentia, quam ratio cum vero & æquo proximam in plurimis, remotiorem in mysteriis videt. In quem finem allegatur 2. Cor. 4, 2. ubi veritas revelata se ad conscientiam cujusvis commendare dicitur: *secundo* ex remotione aliarum caussarum; nimirum cum Scriptura non ab homine, non ab Angelo malo aut bono esse queat, relinquitur eandem a Deo esse profectam. Quam illationem ex variis confirmat, & quæ vulgo afferuntur ad divinam Scripturæ originem probandam criteria

& argumenta, in classes redigit, ac robur eorum expendit. Alteram conditionem, ut Revelatio divina principium fidei opportunum sit, ait esse, ut scripta sit: tertiam ut incorrupta ad nos pervenerit: quartam, ut credens ipse eam evolvat, ac vi coactionis ac lucis inde deductæ, assensum præbeat.

Succedunt porro *Res* ipsæ, quæ similiter Principium & norma in consequentiis fiunt, cum (1) in homine facultas seu potentia res concipiendi est; (2) verba ideam rerum excitantia intelligibiliter leguntur; (3) idea ipsa congrue naturæ rerum, actu formatur & expenditur.

At nihil adhuc fidei ex principiis his, petitisque inde & perceptis demonstrationibus constanter fluit, quamdiu ad DEUM ejusque perspectam veracitatem, in rebus clare atque distincte perceptis minime fallentem, cogitatione ac probatione non assurgitur. Id, quod ad principia credenda & roboranda perquam necessarium, fit partim ex intuitu microcosmi, quando homo suam realitatem ac perfectionem considerans, eam non a se, sed ab alio extra se, a DEO accepisse agnoscit; in specie dum animus suam originem recogitat, intellectus ideam seu conceptum DEI sibi objici & præsentari sentit, voluntas desiderio infiniti boni ac Dei trahitur, porro dum mens nexum suum naturalem cum corpore conspicit: partim ex consideratione macrocosmi. Nec infelicius *argumenta Cartesii*, modo rite urgeantur, procedere *ex idea*, adjicit. Hinc rejiciuntur Sceptici, qui universalem rerum omnium incertitudinem asseruere, aperiunturque fontes, & ex quibus tot errores in cognoscendis rebus exorti sunt, & ex quibus officia quæque practica pietatis & justitiæ fluunt.

Hactenus principia ipsa credendi lustravit. Nunc libro altero disquirit, *quæ sit principii in principium* ἐμπεριχώρησις ac *immeatio, quam mutuo sibi præstent utilitatem, quodque primum aliorum principiorum, in quo quiescit fides, fundamentum sit.*

Atque Revelatio quidem Rationi præstat usum, ei in vestigatione sua ad sanctum DEUM, ad legem, ad pœnas peccati adscendenti, & inde penitus cohorrescenti, omnemque scrutinii seriem abrumpere conanti, reconciliationem DEI per Christum factam exhibendo; atque sic cogitationem omnem legis suaviorem efficiendo. Ratio conscientiæ quietem ac salutem indagans, fundamentum spurium

tium assumit; Revelatio ad verum in Christo deducit. Ad hæc Revelatio rationem in meditatione & ratiocinio opportune dirigere ac juvare, item coercere ac in veritatis tramite retinere potest. Tandem & ad incrementa majora per revelationem promovetur rationis scientia ac cognitio naturalis, præprimis in practicis & officiis faciendis. *Res ipsæ* vero in natura sua bene consideratæ, triplici potissimum ratione *immeare solent*. *Primo* sermonem fidei in sermonem sapientiæ commutant, dum id, cujus veritas simpliciter credita est, qualitate ac ratione intrinseca perspecta, ad cognoscendum exhibetur, luceque ea se ad conscientiam commendat. *Secundo* res in sensu genuino loci assequendo operam sæpe conferunt unicam. *Tertio* res in natura sua intellectæ, consequentias & veritates in iis latentes menti attentæ aperiunt protinus. Sed de eo, quod *Ratio Revelationi affert* suffragio, *latius* deinde disserit. Sæpe, ait, ea illustrat, quæ sunt in Scripturis mysteria ac fide recipienda, comportatis in hunc finem omnibus iis, quæ ex libro naturæ, literis humanioribus, historiarum monumentis, disciplinis philologicis & philosophicis possunt haberi: post illustrationem confert Ratio, locum unum comparando cum alio parallelo, versiones exigendo ad fontes, conjungendo testes binos, vetus ac novum Testamentum, rem ipsam examinando ad fundamentum fideique immutatam analogiam. Excellit inter usus omnes ille, qui ex iis, quæ exstant, ea itidem, quæ non extant, per consequentiam educit. At *hi usus* rationis *organici sunt*, cum hic *de principali* inquirere maxime institutum sit. Tum vero se Ratio tanquam principium & fundamentum habet, cum (1) ipsa judicium instituit, quo id, quod credendum, non attenta auctoritate ulla, se per lumen rationale commendare ac probare debet, ut accipiatur & non rejiciatur, quando nimirum ratio sub obedientiam fidei se captivari non fert. (2) cum ratio normæ principem locum tenet, ad quam res exigi ita debet, ut assumatur, postquam eam tanquam congruam sibi approbavit, spernatur vero si eadem sibi disconvenientem improbarit. (3) ratio tanquam principium censetur, cum ejus cognita axiomata, causa & argumentum sunt, quare aliquid suscipitur fide & assumitur: sic enim existit illa principium, ex quo fides enascitur, & in quod ea rursus resolvitur.

Atque hunc *usum principalem Ratio potissimum exserere dicitur* in prima fundamenti confirmatione, seu *probatione divinæ Auctoritatis Scripturæ.* Ut enim gentilis ad Christianam professionem adducendus, divinam Scripturæ originem agnoscat, ratione sua eum adduci, qua judicat hæc vel illa criteria, quæ Scripturæ conveniunt, divinitatis indicium esse. Quin plebejum etiam fidelem & idiotam de Scripturæ divinitate certissime persuaderi, ex ratione sua & notitia naturali veri & boni. Videns enim in Scripturis proponi id, quod verum & æquum est, ex conscientiæ innatis principiis sine examine in Scripturis id agnoscit, recipit & reveretur. *Probat* suam sententiam ex eo, quod Scriptura fidem vocet rationalem cultum, doctrinam fidei rationale lac; quod σύνεσιν requirat ἐν πᾶσι; quod verbum DEI medullas penetrare, λόγον ἔμφυτον esse, immo ad conscientiam omnium se commendare dicat; quod probare jubeat Spiritus loquentes, num ex DEO sint. Addit hominis hanc esse indolem, ut nulli prorsus rei possit assentiri, nihil itidem debeat agere, nisi luce, axiomate & dictamine rationis præeunte, assensuique & actioni facem præbente. Hinc rejicit eos, qui Spiritus S. illustrationem immediatam principium esse putant, propter quod Scripturæ credimus, quod id ipsissimus Enthusiasmus sit, qui ad Scepticismum ducat, ad Epicureismum, imo & Atheismum. Refutat etiam alios, qui verum gustum rerum, & lumen ac alloquium Spiritus DEI ad animum laudant, quo fides & persuasio efficiatur. Pontificios tandem arguit, ad Ecclesiæ auctoritatem se recipientes.

Quibus de Ratione ejusque usu principali in confirmando fidei principio, qua principio, traditis, dispicit, quæ illius circa verba principii & canonis auctoritas & functio sit. Ubi docet, ad verborum certam significationem, ac sensum Scripturæ indubitatum eruendum, interpretes non male in subsidium inprimis vocare contextum & circumstantias loci speciales, attamen & hic ultimato ad axiomata & principia sanæ rationis innata, ad regulas bonæ connexionis recurrendum esse. Consequentiarum rationem, rei ac veritati ipsi revelatæ potissimum deberi, ideoque rationem instrumentaliter ac ministerialiter concurrere; eandem nihilominus fundamentales & principales partes agere, perspecta intime natura & quidditate rei, e qua consequentia elicitur, ut nimirum scire queat, quale consequens res patiatur. Suc-

Succedunt ultimo *res revelatæ in se*, quæ in natura & intrinseca quidditate credi potius debent, quam sciri possunt, in quibus rationi minimus usus relinquitur, non tamen nullus. *Primo* Ratio percipit luce sua, posse DEUM infinitum facere, intelligere, habere, multo plura, ac finita valet comprehendere acies. *Secundo* non permittit in mysteriis contradictionem ullam. *Tertio* generaliter & remote causam, quare hoc vel illud mysterium ita esse debeat, tradit. *Quarto* modum mysterii aliquo generali respectu denudat. Post quæ improbat *Socinianos*, rationis functiones adeo extollentes, ut omne id, quod non proxime, actualiter & plene perspicit ratio, non admittere velint; rationem autem judicem & normam credendi constituant. Confutat *Auctorem Tractatus Theologico-Politici*, qui adscribit Rationi (1) videnti ac adstipulanti, certitudinem in revelatis, cum sine ea conjectura & certitudo moralis tantum sit; (2) receptionem eorum, quæ sine ejus calculo adjecto admitti nondum queant; (3) veritatem & sapientiam, religione regnum pietatis & obedientiæ tenente. Eidem supparem facit alterum *Anonymum*, qui *in Exercitatione Paradoxa de Philosophia Scripturæ interprete* statuit, rationem etiam sensum Scripturæ inferre, eo quod ipsa tam obscura & ambigua sit, ut ex ea sensus erui non queat; locum etiam Scripturæ per alium explicari non fert, dicens loci cum loco nullum esse commercium, nullam unius in alterum auctoritatem. Ex adverso Lutheranos deviare opinatur Hulsius, cum corpus Christi in cœna substantialiter præsens esse docent, quod contra omnem rationem doceri existimat. In fine libelli indicat, *hanc de principiis credendi præliminarem tractationem* esse; aliam proxime exspectare jubet, qua veritas omnis revelata, ut ad conscientiam se commendat, proponetur.

JOHANNIS REGII PHILOSOPHIÆ DOctoris ac Professoris de modo percipiendi S. Scripturæ Divinitatem Liber.

Franecqueræ apud Henr. Amama &c. 1688, in 12.

CUm præcedentem *Hulsii* libellum de principio credendi perlegisset *Regius*, cognovissetque, Auctorem nonnullorum Philoso-pho-

phorum, qui ne falsis suis ideis S. Scripturæ auctoritate damnatis teneantur renunciare, ipsam Scripturam ad iniquum rationis tribunal rapiunt, omnemque ejus certitudinem, auctoritatem, veritatem, sensum, a rationis judicio accersunt, causam egisse, atque insuper sententiam communem Reformatis Enthusiasmi, Epicureismi & Atheismi audacter damnasse, aggressus est hæc refutare. Initio duo constituit veritatis cognoscendæ principia, videlicet notiones communes sive veritates nobis innatas, & testimonium fide dignum. Modos seu vias, quibus mens ad veritatis cognitionem perveniat, tres statuit: intelligentiam seu sensum intimum, ratiocinationem & fidem. Hisce præmissis transit ad *scopum propositum* qui est *inquirere modum*, quo de S. Scripturæ divinitate homo pius reddatur certior; *utrum* id fiat *sola ratione*, *an* vero *Spiritus S. testimonio.* Prius asserit Hulsius, *rationem non alio modo, quam ratiocinando, ac divinitatis characteres & indicia in DEI verbo existentia cum innatis veritatibus conferendo, de ejus divinitate persuaderi, & certam esse posse.* Posterius sustinet Regius, *Spiritum S. efficacissime in anima operari, eamque reficere*, atque aliqua ex parte pristinam restituere integritatem, i. e. *mentem DEI imagine donare*, atque hinc cum magna oriatur proportio inter mentem, & ea, quæ DEI sunt, etiam talia cum ipsi proponuntur persentiscere: *Quando* igitur *Scriptum S. quæ tota quanta divino lumine coruscat, ad mentis ejusmodi perveniat notitiam, statim suo fulgore eam immediate ita afficere & convincere, ut illico absque ullo argumentorum pondere, sola ejus certitudinis evidentia convicta ruat in assensum.*

Quam sententiam ut confirmet, ostendit *primo*, haud esse impossibile, mentem de veritate aliqua immediate reddi certiorem; *secundo* probabile esse, hoc modo Spiritum S. nobis S. Scripturæ divinitatem exhibere; *tertio* necessario Scripturæ divinitatem immediate percipi; tum quod homo natura respectu rerum spiritualium sit mortuus & cæcus, in quo vis, quæ Scripturæ inest animos afficiendi & convincendi, ob pravam dispositionem subjecti, sine Spiritus S. speciali illuminatione ac potenti operatione nihil efficere valeat: tum quod S. Scriptura unici doctrinæ salutaris principii rationem habere non possit, nisi vel innotescat nobis immediate, vel demonstratione a priori. Cum vero Scripturæ divinitas a priori non possit

fit ostendi, reliquum esse, nos eam efficacissima Spiritus S. operatione usu immediato percipere.

Hoc istis rationibus probato, ut adversarium falsitatis redarguat, ante omnia *fontem* ejus *aperit*, *Philosophiam Cartesianam.* Etenim Cartesium opinari, omnium rerum in mente esse ideas, i. e. facultatem & potentiam eas producendi, dummodo per sensus justa præbeatur occasio. Hinc statuere oportere, mentem in se habere potentiam eliciendi ideas omnium rerum, quæ in S. Scriptura continentur, quando verbum DEI sensibus oblatum istam suppeditat occasionem. Unde patere, non supra mentis vires esse rerum divinarum formare ideas, sed duntaxat extraordinarium: insuper menti indita esse principia veri & recti, ad quæ reliquas veritates omnes exploret, & quorum ope verum a falso discernat. Cum igitur mens ad occasionem sibi per S. Scripturas factam rerum spiritualium e se elicit ideas, ipsam utrum illæ veræ, utrum falsæ sint, prorsus ignorare, nisi eas ad principia per se nota examinaverit. Quibus Noster opponit, Theologiam ab omni scientia naturali prorsus distinctam esse; ergo principii Theologiæ, S. Scripturæ, divinitatem seu veritatem, sola ratione demonstrari non posse. Aliud argumentum a rationis per lapsum corruptione desumit, in qua nihil, quod spectat spirituale, sit recti, nihil veri. Concedit adversario, non exstinctam esse ratiocinandi facultatem; concedit lucem primarum veritatum & discretionem non plane periisse, sed dicit rationem facultate percipiendi spiritualia destitui, eamque perfectionem ei a solo Spiritui S. regeneratione restitui, juxta consentientem Ecclesiæ Reformatæ doctrinam, a qua abeat adversarius nimium rationi circa res spirituales tribuens. Ulterius absurdorum ex opinione adversarii sequentium catenam nectit: totam Theologiam revelatam esse scientiam mere naturalem; fidem esse nullam, aut non nisi humanam; Scripturam nullam aliam habere auctoritatem, quam humanam; Scripturam rationi humanæ subjici, eaque existere inferiorem; nos mysteria, ac consequenter totius nostræ salutis fundamentum ignorare; rationem esse Scripturæ interpretem, ac controversiarum Theologicarum normam ac judicem. Notat insuper, ipsum adversarium meliora passim & sibi contraria loqui.

Tandem Hulsii argumenta, quibus suam opinionem conatus

fuit adstruere, excutit. In prima acie ille collocaverat, *cultum* nostrum a Paulo vocari *rationalem*, & a Petro DEI sermonem *lac rationale*. Quod argumentum Noster ait vitio collectionis laborare: cultus noster rationalis est; ergo Scripturæ divinitas sola ratione potest demonstrari. Dici autem cultum nostrum rationalem, quia, postquam DEI naturam voluntatemque ex Scriptura agnovimus, ratio ipsa dictat, toto animo ad ejus gratiam & communionem nos conniti debere: posse etiam cum præstantissimis Interpretibus dici, Paulum respicere ad cultum V. T. in quo DEO pecora immolabantur. Deinde potissimum urget adversarius Pauli dictum, *verbum DEI se ad omnem conscientiam commendare*. Respondetur, id non habere Apostolum, sed dicere, Ministros declaratione veritatis se commendare ad omnem conscientiam. Respicere enim quorundam falsorum agendi modum, qui suam doctrinam ab Evangelio diversam verborum lenociniis inculcare satagebant, cum Apostoli puram Evangelii doctrinam simpliciter proponerent, cujus omnis conscientia, cui verbum Dei proponebant, testis esse poterat. Plura de hac materia desideranti, allegamus *Witsium*, ex cujus Epistolica ad Ulricum Huberum Dissertatione excerpta in *Sectione II. Supplementorum* pag. 88 & seqq. exhibuimus.

LEGATIO MARCHIONIS LAVARDINI Romam, ejusque cum Romano Pontifice Innocentio XI dissidium; ubi agitur de jure, origine, progressu & abusu Quarteriorum, Franchitiarum seu Asyli &c. & refutantur rationes a Lavardini Advocato producta, in Libello Gallico, cujus initium: si l'Auteur &c.

Anno recuperatæ salutis 1688, in 12.

AUtor hujus tractatus, qui nomen suum suppressit, est Illustrissimus Dn. *Celestinus* ex Marchionibus de *Sfondrati*, Mediolanensis, *S. R. I. Princeps* & *Abbas S. Galli*; cui etiam *Regale Sacerdotium* debemus, sub *Eugenii Lombardi* nomine paucis abhinc annis editum, & in *Actis* nostris *mense Augusto 1685* memoratum, nec non *Galliam vindicatam*, cujus recensionem ad aliud tempus re-

ser-

ſervamus ; Tomo *Supplementorum* inſerendam. Argumentum præſentis libelli circa acerrimum Regis Galliæ ejusque Romam Legati Marchionis Lavardini cum Pontifice Romano hodierno diſſidium verſatur : & cum Pontificis cauſam jam egerint Autor libelli Italici, qui Pontificis Bullam contra Lavardini Apologiam defendit, & alius, qui Gallico ſermone Talonii Regii Advocati declamationem confutavit, Reverendiſſimo Autori ſcriptum quoddam Gallicum ab Anonymo quodam Lavardini Advocato editum cenſuræ ſuæ, nec admodum prolixæ, nec lectu injucundæ ſubjicere placuit.

Ac primum quidem Principum, etiam hoſtium, Legatos omnium gentium jure inviolabiles eſſe concedit, ſed aſyli privilegium Legatorum domibus jure gentium competere negat; cum potius delicta reosque, maximo publicæ quietis damno impune ferri, juri gentium repugnet; ideoque nec in Pariſienſi, nec in aliis quam plurimis Aulis jus illud aſylorum vigeat. Progreditur deinde ad varia incommoda ex aſylorum abuſu Romæ imprimis nata, quæ Pontificibus neceſſitatem impoſuerint, ut creſcentem indies flagitiorum licentiam, cum nullibi magis quam Romæ graſſari videretur, edictis coercere niterentur. Tum quid ſinguli Pontifices in hoc negotio effecerint exponit; ut ſimul oſtendat, non eſſe tantam illius immunitatis, quam Galliæ Legati Romæ ſibi vendicant, antiquitatem. Producit igitur Urbanum V, Julium III, Pium IV, Gregorium XIII, Sixtum V, & Urbanum VIII, qui jus aſyli a Cardinalibus primum aliisque Magnatibus peſſimo exemplo uſurpatum, variis edictis perſecuti ſunt, & Legatorum aliorumque, immunitate iſta frui cupientium, palatia juſtitiæ miniſtris impervia minime ſiverunt. Innocentio quoque X Pontifice, duos ſicarios e Gallici Oratoris ædibus, Legato minime repugnare auſo, ad ſupplicium eductos, & adhuc ſub Alexandri VII initiis, quid Franchitiæ eſſent, Romæ ignoratum fuiſſe refert; nec Chriſtinam Sueciæ Reginam, cum prima & ſecunda vice Romam perveniret, de aſyli immunitate poſtulanda quicquam cogitaſſe. Hinc ad hiſtoriam conventionis Piſanæ pergit, A. 1664 inter Ludovicum XIV & Alexandrum VII initæ, & inter articulos pacis, a Principe Matthia, Fratre Magni Hetruriæ Ducis, Romam transmiſſos, poſtulatum quidem memorat, ut ad majorem Legati Gallici ſecuritatem, non amplius apparitoribus militibus-

que licentia plateam Farnesiam obeundi permitteretur; verum Pontificis nomine responsum fuisse, in hanc conditionem nulla ratione consentiri posse; tandemque in id fuisse conventum, ut Pontificis ministri debitam Galliæ Legatis reverentiam exhiberent, & paucis post Pisanam conventionem mensibus *Crequium*, cum Romam repeteret, nihil de asyli jure tentasse. Clementem IX, etsi mitissimis moribus & in Galliam indulgentissimis fuerit, nunquam tamen passum ait, ut Principum Legati Franchitias occuparent; neque Legati Gallici *de Chaulnes*, qui Crequio successerat, præsentiam obstitisse, quo minus in caupona Farnesio palatio vicina in delinquentes animadversum fuerit. Postea vero sub Clementis X Pontificatu Franchitiarum usurpationem apud Legatos admodum invaluisse, quorum conatibus ansam dedisse credit simultates, ob novum de vectigalibus edictum cum Cardinali Alterio contractas. Neque tamen hinc legitimam possessionem aut præscriptionem Legatis nasci potuisse censet, Pontifice quidem vi & pœnis, nec tamen querelis abstinente.

Ad Innocentium XI devolutus, quanta cura is asylis extirpandis incubuerit, quas ob causas, quibus mediis, & quo successu tantæ molis opus aggressus fuerit, enarrat. Deprædicat summam hujus Pontificis & prudentiam, qui non præcipitanter sed lento gradu ad censuras processerit, & parem moderationi constantiam, cum ne Anglicum quidem Legatum, qualis centum retro annis Romam non pervenerat, nisi renunciato asylo admittere voluerit. Miratur contra, cur Rex Galliæ, Hispano aliisque cedentibus, in re justissima solus, contra promissa Varesio olim data, Pontifici restiterit, creditumque ait, *Estræum* Ducem, cui non exigua a delinquentium patrocinio emolumenta subnata fuerint, in culpa fuisse; aliis quoque in mentem venisse, Regem Galliæ, turbata Italia, Cæsaris victorias morari voluisse. His aliisque, quæ ad historiam rei pertinent præmissis, descriptoque militari Lavardini in urbem Romam ingressu, objecta ab Anonymo Autore diluit.

Lavardinum contra jus pro Legato se ferentem, & tamen de injuria sibi facta, & violato Legati jure querentem, lupo comparat, qui in fabula ovibus infra se aquantibus turbatos fontes objicit. Legatum non solum Principis mittentis, sed ejus etiam, ad quem mittitur

tur, assensu & voluntate constitui asserit, idque multo magis in Legatis assiduis & ordinariis locum habere, quos salvo gentium jure respui posse, *Grotii* & *Wicquefortii* verbis confirmat. Adducit ex veteri historia varia Legatorum exempla, qui a Romanis aliisque gentibus vel non admissi, vel ad suos Principes remissi fuere. Ex recentiori historia adducit Paulum IV, & ipsum Galliæ Regem, qui ex causis sibi notis Legatos Gallia exire jusserit, eosque neque conspectu suo dignatus fuerit, nec ad tractanda cum Ministris suis negotia admiserit. Ex his concludit, Pontificem optimo jure Lavardino Legati honorem negare potuisse, imprimis cum toties per Varesium, Laurum & Ranuccium rogaverit, ne Lavardinus Romam mitteretur, & insuper Lavardinus non tam Legati, quam hostis in morem, Romam intraverit. Injustam pœnam Lavardino Regis sui jus tuenti inflictam negat, cum nulla pœna sit, cum alicui non tribuitur, quod ipsi non debetur. Ad censuras, in quas postea Lavardinus incidit, respondet, id invito Pontifice a Lavardino sponte factum, nec accusandum fabrum, si quis gladio se perimat, sed ipsum qui in ferrum incubuit. Quod Lavardinus ex Regis imperio asylum occupaverit, nihil interesse statuit, cum juxta Apostolum digni morte sint & qui mala faciunt, & qui facientibus consentiunt, nec Principis imperium, sed causa innocentem faciat, idemque Heliodorus, etsi Antiochi jussu templum spoliare aggressus, flagella tamen divina non effugerit.

Ad argumentum, quod Pontificis in Christianos potestas, tanquam precaria, ex Principum arbitrio dependeat, ideoque Pontifici cavendum sit ne eos offendat, regerit, etiam secularium Principum potestatem precariam esse, neque Pontifici persuadendum esse, ut offendendi Regis metu injusta concedat, cum nec ullus Principum seditionis metu omnia subditis indulgeat, & in Dei causa nihil æque metuendum videatur ac metuisse. Magna esse Regum Galliæ in Pontifices & Romanam Ecclesiam merita, quod Anonymus Lavardini Advocatus objecerat, lubens agnoscit, indeque spem concipit, hodiernum Regem majoribus suis nihil cessurum; negat tamen, Pontifices pro tot meritis ingratos fuisse, cum nec minora, nec pauciora in Gallos contulerint, meritoque dubitari possit, Romanean Gallia, dum beneficiis utraque certavit, superaverit. Id probaturus,

rus ab ipso Petro auspicatur, cujus cura per Trophimum aliosque Religio Christiana in Gallias illata fuerit. Hinc ad varios Pontifices progressus, quid quisque in Galliæ regnum beneficii contulerit, exponit. Inter alia observat, hodiernum Galliæ Regem non futurum, nisi Clemens VIII paternum ejus avum Henricum IV a sterili matrimonio cum Margaretha Valesia liberasset, eique nuptias cum Maria Medicea indulsisset, ex qua Ludovicus XIII præsentis Regis pater natus est. Addit, si vel maxime Pontifices accepta beneficia remunerati non fuissent, non ideo Innocentium permittere debuisse, quod Ludovico postulare jure non licuit; peti Christi patrimonium; Petri hæreditatem, nec ullum Regis commodum, sed latronibus, parricidis & adulteris refugium; quo postulato cum cæteri Reges & Principes omnes promtissime cesserint, non ullam rationem superesse, cur Galli injuriam sibi factam putent a Pontifice, quem ipsi Calvinistæ amore & veneratione dignum censeant. Unicum hoc esse Innocentii delictum, quod Regnantium cupiditatibus non obtemperet, sed tot Martyrum, qui Romæ jacent, trophæis incitatus, liberam pro justitia vocem emittat. Si Innocentius ea tantum spectasset, quæ oculos incurrunt, facile persuaderi debuisse, ut ætate jam provecta, & ad vitæ occasum vergens Regi tam potenti cederet; verum æstimantem, de Magno Ludovico post brevissimas annorum periodos nihil superfuturum, quam frigidos cineres, animamque nullo amplius regio apparatu, sed operibus tantum bonis malisve stipatam & obseptam, indulgere minime potuisse, quæ utriusque conscientiam onerarent.

Dixerat Anonymus, Rege tanto conatu & successu, ut religionis Catholicæ limites proferret, laborante, ejus Legatum accessu ad Pontificem prohiberi non debuisse. Respondet Illustrissimus Abbas, comparanti quæ Rex contra hæreticos inermes, nec resistere ausos in Gallia; & quæ Pontifex in Austria, Hungaria, Græcia, & Peloponneso, consiliis & auro contra Turcas præstitit; fatendum esse, nihil Innocentium Ludovico cessisse. Quæ Ludovicus contra hæreticos peregit, magno pretio compensata; plus regni quam religionis interfuisse, hæresin extingui; & infinitos ex proscriptorum bonis thesauros in Regem redundasse; denique melius fuisse, si bona malis conferantur, hæresin in Gallia tolerari, quam impugnata

Pon-

Pontificis autoritate, universam religionem Catholicam prostitui & periculo exponi. Ignorantiam Bullæ Pontificiæ a Lavardino prætensam creditu difficilem asserit, nec ignorantiam juris clari vulgatique excommunicationis effectum morari potuisse; & frustra se Lavardinum ignorantia bullæ excusare, cui sciens jam & volens obsequium deneget; nec opus fuisse, ut bulla Pontificis Parisiis affigeretur, cum & Regis edictum, quod Legatos Moscoviticos mercatura pellium interdixit, in Moscovia promulgatum non fuerit; & certum sit, Lavardinum nihilominus facturum fuisse quod fecit, si vel maxime Pontificis bulla in Gallia fuisset promulgata. Eum enim esse hodie Gallorum morem ait, ut diplomata Pontificia Galliæ inferri prohibeant; eaque postea non vulgata causentur; quod a Caroli M. aliorumque pristinorum Galliæ Regum erga bullas Pontificias reverentia, & Episcoporum juramento alienum putat.

Lavardinum sine causa, sine ratione, non auditum, non defensum, pro excommunicato declaratum negat, qui contra Pontificis bullam jus asyli & quarteriorum, ut vocant, usurpaverit, tantoque fastu & derisu supremam Pontificis in rebus ecclesiasticis potestatem calcaverit, ut post Attilæ & Alarici ætatem, vix simile aliquid Roma conspexerit. His factis censuras Pontifici extortas asserit. Enimvero cum de Pontificis voluntate jam constaret, & Gallicis negotiis Cardinalis Estræus non modo sufficere, sed etiam abundare potuisset, nullam Galliæ Regi Legatum mittendi necessitatem fuisse putat, magnoque publicæ quietis periculo tam importune, tamque intempestive, non minimam Urbis partem copiis militaribus implendi. Æquius fuisse, ut Rex indignationem suam adversus Turcas & Barbaros, quam sufflaminatis Christianorum Principum in Oriente victoriis, adversus Pontificem convertisset; cum Gallicum Oratorem Constantinopoli a Turcicis Ministris mancipii more aula ejectum constet. Lavardini Advocatum sacrorum canonum & disciplinæ ecclesiasticæ imperitum statuit, quod Lavardinum in re mere temporali excommunicari non debuisse dixerit; cum tamen quæ semel ecclesiæ donata sunt, pro rebus sacris & Christi patrimonio habeantur; quod imprimis Parisiensis & Turonensis conciliorum A. C. 570 habitorum autoritate probat. Æque falsum esse censet, quod Reges Galliæ eorumque Legati excommuni-

cationi

cationi obnoxii non sint; quod ut probet, plurium Galliæ Regum exempla producit, in quos excommunicationis fulmen Pontifices vibrarunt. Addit, Galliam Pontificum censuris servatæ religionis Catholicæ beneficium debere, cum nunquam Henricus IV, & fortasse post ipsum nulli amplius Galliæ Reges Catholicam religionem amplexi essent, nisi illum Pontificis censuræ compulissent. Ad quæstionem, si Pontifex religioni sibi duxit asyla ferre, cur tanto tempore tulerit, nec primis statim Pontificatus sui annis deleverit? respondet, tulisse eum zizania, ut commodiorem evellendi occasionem expectaret, dum Principum Legati, qui tum vivebant, decederent; & vicissim quærit: si Rex conscientiæ sibi duxit Calvinistas in regno tolerare, cur non statim ejecerit?

Ad exceptionem, quod generalibus Bullæ verbis personæ speciali charactere dignæ comprehendi non possint, regerit, ab Innocentio XI diplomata Julii III, Pii IV, & Gregorii XIII renovari, in quibus expressa Legatorum mentio; clausulam insuper additam, qua personæ quacunque dignitate & auctoritate, sive ecclesiastica sive seculari, feriantur non minus, ac si expressa earum mentio injecta fuisset: nec obstare Innocentio XI, quod Sixtus V, cum asyli jure Legatos prohiberet, excommunicationis pœnam non addiderit, imo jam ab Antecessoribus latam sustulerit; omnibus enim rebus tempus suum & maturitatem esse, & multa quoque a Rege Galliæ confecta, quæ ejus Majores non tentaverint. Sixtum V temporales pœnas spiritualibus antehabuisse, & curandis delictis ferro quam cruce uti maluisse; Innocentium autem Chrysostomi, Ambrosii, aliorumque, quam Sixti exemplum imitari maluisse; nec inconsultis, quod Lavardini Advocatus objicit, Cardinalium suffragiis id aggressum, ut ex ipsa Bulla ejusque subscriptione pateat; neque remedium hoc ipso morbo pejus censendum esse. Anonymi postulatum, dicentis consultius facturum Pontificem, si non palatiis, sed ecclesiis asyla demeret, ad preces, non ad flagitia protegenda institutis, iniquum esse putat, cum templorum asyla a Deo in V. T. & in N. T. ab ecclesia, tot canonibus sancita sint, nec opus sit a Gallis Pontificem moneri, ne sceleratos sacris ædibus abuti permittat. Ad exempla Ludovici Sancti, Philippi Pulchri, & Ludovici XII, qui Pontificum excommunicationes nihili duxerint, respondet, videndum,

dum, non quid Reges faciant, ſed quid lex fieri jubeat. Ad hæc ſuſpecta eſſe, quæ *Matthæus Pariſienſis* de Ludovico S. memoraverit, cum ejus hiſtoria primum ex bibliothecis Anglicanis ſub regno Eliſabethæ prodierit; Philippum Pulchrum in flore ætatis raptum, & tres filios relictos immaturo fato ſine maribus defunctos Valeſiis coronam reliquiſſe; Ludovicum vero XII, quinquennio poſt peſſima illa conſilia, infelici morbo abreptum: ideoque hæc exempla ſilentio potius quam memoria digna.

Exprobranti Anonymo, quod Pontifices Romani factiones rebellium, qui ſub prætextu religionis legitimum Regem Henricum IV impugnarunt, adjuverint, reſpondet, calumniam hanc non tam Pontifices Romanos, quam præcipuas Regni Gallici familias, & maxime Clerum Gallicanum tangere, qui adduci non potuerit, ut Regi Calviniſtæ ſubjiceretur. Ipſam Galliam & maxime Sorbonam imploraſſe Pontifices, ne Calviniſtam regnare paterentur. Gregorium oblatis Gallici fœderis legibus, probaſſe quidem, ut contra hæreticos ageretur, at motus populares & factiones regno fatales probare minime voluiſſe; neque Sixtum V, etſi Henricum regno inhabilem pronuntiaſſet, induci potuiſſe, ut fœdus cum Hiſpano jungeret; tandem vero urgentibus Gallis, Pontifices Henricum metu, ut hæreſin desereret, compuliſſe, neque effectu id caruiſſe, cum Henricus religionem quam regnum relinquere maluerit.

Secretas inſtructiones, easque Pontifici gratiſſimas futuras attuliſſe Lavardinum, ob quas in conſpectum Pontificis admitti debuiſſet, perſuadere ſibi Autor hujus libelli doctiſſimus non poteſt, cum Galli meliora non abſcondere, ſed piſcantium potius more eſcam foris oſtendere, & hamum intus celare conſueverint. Querelam, quod Hiſpani a Pontifice indulgentius quam Galli tractentur, injuſtam eſſe judicat, cum Hiſpanos etiam Legatos non alia conditione admittat, quam ut aſylis cedant. Excommunicationis abuſum non probandum eſſe Anonymo concedit, neque tamen ob abuſus quosdam omnem ejus uſum auferendum arbitratur, cum bella quoque magna mala ſecum ferant, neque tamen Galliæ Rex Belgium, Auſtraſiam, Alſatiamque bello vaſtare abſtinuerit.

Pontificem ſapientiſſimis quibusque Cardinalium ſecluſis, totum a conſiliis Religioſorum ignorantium, & Prælatorum quorundam

dam minoris ſortis dependere, qui præmiorum ſpe genio Pontificis adulentur, objecit Lavardini Patronus; cui Pontificis Hyperaſpiſtes reſpondet, Religioſos illos, qui contra jus Regaliæ & quatuor propoſitiones Conventus Pariſienſis calamum ſtrinxerunt, ignorantiæ poſtulari non poſſe, cum nemo tota Gallia repertus fuerit, qui ignorantibus his reſpondere auſus fuerit, & vix aliquot Taloniorum faſces ſufficere, ut unum ex minutis illis Prælatis componant; neque tamen ullum eorum, qui Pontificis cauſam egerunt, ad lautiorem fortunam evectum, præter Cardinalem Aguirre, cui excellens doctrina purpuram meruerit. Se quidem, ſi pro lucro magis quam pro veritate certare velit, Pariſiis quam Romæ operam locare malle. Occaſione ab Anonymo ſuppeditata, de conventu Pariſienſi diſſerit, eumque nullius autoritatis eſſe judicat, cum Præſules illius conventus alii odio & vindictæ cupiditate, alii metu corrupti fuerint, nec facultatem habuerint definiendi, quæ ad cauſas majores & ſoli Pontifici reſervandas pertineant. Poſtremo loco quæ Anonymus de Legato perſonam Principis ejusq; ſupremam & independentem autoritatem repræſentante, de poſſeſſione aſyli immemoriali, de violata conventione Piſana, de malo Pontificis erga Gallos animo, & de periculo quod ipſi impendeat, objecerat, refellit, tandemque verbis Ambroſii ad Imperatorem in ſimili cauſa dictis totum opuſculum concludit; cui ſubjicitur Refutatio Talonii, Regii Advocati, ex Gallico in Latinum ſermonem tranſlata. Noſtrum non eſt, tantas componere lites. Sufficiat igitur præcipua libelli hujus elegantisſimi argumenta, pro inſtituti noſtri ratione recenſuiſſe, & benevolo Lectori communicaſſe, cujus judicio ulterius controverſiæ examen relinquimus.

Daniel Caspars von Lohenstein, Großmüthiger Feld-Herr Arminius, oder Hermann, als ein tapferer Beschützer der teutschen Freyheit, nebst seiner Durchlauchtigen Thusnelda, h. e.

Danielis Caſpari a Lohenſtein, Fortiſſimus Imperator Arminius, libertatis Germanicæ vindex, juxta cum Sereniſſima ejus Thusnelda. Opus rebus politicis ac caſibus

ama-

amatoriis refertissimum, in gratiam præsertim Nobilitatis Germanicæ compositum; cum figuris æneis scitissimis. Tom. I.

Lipsiæ, apud Jo. Fridericum Gleditschium, in 4, 1689.

QUemadmodum Germanorum natio in excolendis, quas paulo serius accepit, bonis literis, reliquas omnes nationes, vel exterorum aliquorum candidissimo judicio, assecuta est & superavit; quod peculiari opera ostensurum se nuper pollicitus est celeberrimus *Morhofius*; ita neque in concinnandis ex arte fabulis, quas dicunt, Romanensibus, minores hucusque fecit progressiones. Postquam enim *Serenissima* etiam *Capita* a celsissimo suo fastigio non existimarunt alienum, tam delicato ac nobili occupari argumento, adeo decore atque egregie in eo versata sunt, ut scitissima illorum monumenta omnibus gentibus, quarum operibus antea in nostram linguam saltem conversis fere usi fueramus, palmam intercepisse censeri possint. Ac istud etiam opus, quod in præsentia præ manibus nobis est, & *Auctorem* agnoscit, non de illustri solum Uratislaviensium civitate, in qua splendido Syndici perfunctus est munere, sed de literaria republica & Germania tota immortaliter meritum, luculento esse potest testimonio. Ille enim, ut rectum a natura & excellens acceperat ingenium, quod pulcherrimis præterea institutionibus & præceptis, adhibita incredibili industria, inter medias etiam, quibus creberrimis distinebatur, forensium negotiorum curas, impense expoliverat: ita ære perennius monumentum admirando utique hoc opere patriæ suæ excitavit. Equidem quam eruditionis ingentem possideret supellectilem, quam limatissimo & raro inventionum acumine polleret, poemata ejus in lingua vernacula evulgata testatum faciunt, inter primos præstantissimorum ingeniorum foetus æstimata; testatum id faciunt ejus etiam dramata, quæ diversis temporibus summo studio elaborata Hellados simul ac Ausoniæ in his Musis artes ac venustates felicissime æmulantur. Sed hoc tamen libro, in quem omnes ingenii thesauros præcipue impendit, sine dubio semetipsum ac omnes prope, quos antecessores habuit, longum vicit, qui tanta mentis sagacitate, tantoque lepore compositus est, ut vix ejus similis in Germania hac-

tenus apparuerit, ipſeque Italiæ Hiſpaniæque decora obſcuraturus ſit; nec cauſæ ſit amplius magnopere celeberrimo *Huetio*, ut Galliæ primas in hoc genere partes in eruditiſſimo *de origine fabularum Romanenſium libro*, a nobis *menſe Septemb. 1683* p. 385 recenſito attribuat; nec verendum nobis, ne plus, quam res patitur, dixiſſe videamur, cum facile nos promtam plenamque fidem impetraturos eſſe confidamus a lectoribus, qui *Auctorem* ipſum evolvere ſuſtinuerint.

Studebat Vir patriæ amantiſſimus Germaniæ decori, quod amplificare pro viribus boni & egregii civis munus eſſe, ſemper exiſtimaverat; cumque inſuper a perſonis illuſtribus ad condendum ejusmodi monumentum ſubinde inſtigaretur, facile vinci ſe paſſus eſt, ut de argumento cogitaret, quo & Germanorum gloriæ velificaretur, ac linguam patriam expoliret, virtutumque præcepta & elegantiæ ſenſum nobilioribus animabus inſtillaret. Quam in materiam aſſumere demum placuit *Arminium*, illum Germanicæ libertatis fortiſſimum aſſertorem, qui a ſe petitis rerum initiis, proculcatam patriam reſtituerat olim. Invictiſſimus ille Heros, *qui non primordia populi Romani, ſicuti alii Reges Ducesque, ſed florentiſſimum imperium laceſſivit*, idem expertus videbatur fatum, quod multi, qui vixere ante Agamemnonem, viri fortes, nullum virtutum ſuarum præter *Cornelium Tacitum*, fere nactus præconem, *Græcorum annalibus ignotus, qui ſua tantum mirabantur; Romanis haud perinde celebris, qui vetera extollere in more habebant, recentium incurioſi*, & meritus tamen eſſe videbatur, qui minimum a popularibus ſuis dignum laboribus ac virtutibus acciperet præmium. Sed hi tum temporis *literarum ſecreta viri pariter ac fœminæ ignorabant*, fortia ſuorum facta memoria circumferre, ac carminibus & cantu celebrare quam ſcriptis conſignare ſatius habentes. Repertus igitur eſt, qui poſt revoluta tot ſecula, ſerum quidem ſed invidendum tantæ fortitudini erigeret monumentum. Ubi tamen tacendum non videtur, jam initio ſuperioris ſeculi *Ulricum Huttenum*, virum nobiliſſimum, & ob ſtudia in puriorem religionem ac humaniores literas clariſſimum, *Arminium* emiſiſſe, *Dialogum* lepidiſſimum elegantiſſimumque, quo introducitur *Arminius* noſter de injuria conqueri, quod Minos inferorum judex præmia Imperatoribus ſtatuens, ſe, quaſi qui in vivis nunquam fuerit, præteriverit plane, idque tanta eloquentia animi-

animique præsentia præstat, ut professus sit rigidus ille arbiter, si ambitiosus esse voluisset *Arminius*, & primo statim cum primariis illis belli Ducibus, Alexandro puta, Scipione, Annibale contendisset, sine dubio se ipsi palmam adjudicaturum fuisse, Mercurio interim illud imponens negotii, ut ubi ubi Deorum hominumque frequentia sit, *Arminium* pronuntiet liberum & invictissimum.

Cæterum, ut ad *Lohensteinium* nostrum revertamur, in duos opus suum Tomos dispescuit nobilissimus *Auctor*, quorum prior nunc in octo distributus libros in lucem prodit publicam, quem alter nundinis nostris auctumnalibus cum copiosissimis indicibus subsequetur. Apparet autem, dictionem adhibitam fuisse puram admodum, emendatissimam, ac nativo cultu & nitore exsplendescentem; genus ipsum dicendi totum apparet excelsum, quod sublimia animi cogitata pari cum dignitate referat, rerumq; pondera verborum majestate constanter exæquet; orationis tamen tractu æquabili ubiq; contextum: quod præterea quoq; gravissimis prudentissimisque sententiis, & ex universa natura depromtis hinc inde similibus quæ infinita pene sunt, & in quibus admirabilis est maxime, veluti flosculis quibusdam ac gemmis distinguatur, ut paucæ sint periodi, in quibus ejusmodi amœnitatis aliquid non effulgeat. Res ipsæ vero concinno & accurato positæ sunt ordine, multique sese exhibent objecti negotiorum & rerum nodi, qui insperato demum, in quo quam maxime id generis narrationum eminet præstantia, evolvi conspiciuntur eventu. Cumque duplex sit utilitas, in qua *Photius* præcipuum lectionum fabularum Romanensium fructum judicat esse repositum, ut vitia nempe sistantur pœnis ad ultimum coercita, & virtutes ex adverso præmiis exornatæ, quorum aversari illa, has amplecti addiscat lector; non minus hic vitam dissolutam & vitiis ignominiosam, post longos ac varios triumphos, infelicissimum nancisci exitum; honestas autem actiones & virtutes, gravissimis laboribus casibusque exercitas, gloriosius semper attolli videbimus. Neque hoc tantum, sed ubique inspersam observabimus eruditionem omnigenam, ut pene nimius in eo fuisse, & illud ex vero dici possit, quæcunque modo in historia antiquorum & recentium, (quam ultimam vel noviter, vel per literarum transpositionem effictis nominibus, solerter proponere solet,) Græcorum, Romanorum, Sinensium, Ægyptio-

gyptiorum, Gallorum, Germanorum aliarumque gentium abstrusa & recondita sunt, ab inexhausto hoc eruditionis fonte in opus hoc fluxisse, neq; ullam fere quarumcunque sectarum & nationum sapientiæ partem esse, ex qua elegantissimi subinde non afferantur discursus. Talia sunt, ut speciminis loco aliquid allegemus, quæ de Regio ludo, Principumque deliciis & venatione, de Alchymia, de insula Atlantica, sive America, *Lib. II:* De discrimine inter causas & prætextus bellorum, de nobilitate, de vectigalibus subditis imponendis, de infelicitate virorum virtuti studentium, de fato, fortuna, & libertate voluntatis, *Lib. III:* De legibus naturæ & principiis rationis, de geniis, *Lib. IV:* De Amazonibus, Sirenibus, somniis, *Lib. V:* De legatorum inviolabilitate, *Lib. VI:* De religione & schismate superiori seculo exorto, de laniena Parisiensi, de origine fontium, de cognitione sui, *Lib. VII:* De aloe, *Lib. VIII.* & innumeris aliis argumentis disserit; ut intelligatur exinde facile, lectionem hujus libri & voluptati & studiis inservire posse. Sed in eo maxime ingenii vim exeruisse patriamque demeruisse videtur, quod pleraque potiora facinora, quæ in Græcia olim, Syria, Sina, Thracia, Hispania, Italia, Gallia, alibique locorum designata sunt, Germanorum fortitudine invicta patrata esse, ex historiis eruat, aut allatis ingeniose circumstantiis verisimillimum faciat. Quantumvis autem optandum fuisset, ut adjuncta *clavis* nominum mysteria explicatiora redderet, haud tamen læva mente augurabimur, quod ad rei summam pertinet, sub *Arminio* latere Invictissimum Imperatorem, LEOPOLDUM nostrum; id quod ex eo non tantum suspicari subit, quod in fine Præfationis, quanquam obscurius, illud innui videatur; sed cumprimis quod *Lib. II.* cum *Arminii* majores recensentur, illustrissimæ *Austriacorum* res gestæ a Rudolpho Habspurgico usque ad nostra tempora clarissime deduci animadvertantur. Sed de hoc certius & accuratius pronuntiare poterimus, ubi altera parte inventionis exitum contemplari licebit.

NOUVELLE MANIERE DE FORTIfier les places, h. e.

Nova ratio construendarum munitionum.

Parisiis

Parisiis apud Stephanum Michallet, Anno 1689, in 8.

(Notandum: *circellum numeris superpositum, ubi longitudo lineæ exprimitur, semper denotare perticas hexapedas Gallis usitatas.*

PRodiit hic liber citra Autoris sui nomen: qui consulto id premere voluisse videtur, ut tanto liberius judicium suum præstantissimorum Gallicæ gentis Ingeniariorum placitis interponere, tantoque sincerius aliorum in cogitata sua vicissim experiri posset. Novam enim hanc methodum, tituli indicio, ex scitis Triumvirorum celeberrimorum, Comitis *Pagani*, Equitis *de Ville*, & primarii hodie in Gallia Architecti *Vaubani* deductam, cum iisdem ita committit & comparat, ut quid eorum sequendum, quid cavendum corrigendumque sibi videatur, toto passim libro ingenue profiteatur. Liber ipse in sex capita, hæc in suos articulos dividuntur, pro argumenti diversitate & conditione.

Circa Munitionis intimas & velut essentiales partes, *alam* Cap. I.
figentem, *Villeo* usitatam, longe præfert radenti, *Pagano* & *Vaubano* p. 7.
propriæ; illamque, quæ ex ala primaria & cortina hostem impetit,
validiorem defensionem præbere altera, quæ ex ala propugnaculi
tantum constat, contra *Pagani* aliorumque argumenta, prolatis in p. 15, 18.
contrarium rationibus, contendit. *Angulum propugnaculi* robore p. 31.
non inferiorem obtuso *Villeum* demonstrasse asserit; atque ex hoc
principio, & quod faciebus propugnaculorum tantum ignis subsidiarii ex cortina concedendum sit, quantum citra reliquarum partium munitionis debilitationem fieri possit, quantitatem hujus anguli determinat; ita tamen ut octo decemve gradibus minorem recto, eidem huic robore parum concedere pronunciet: unde ne hexagono quidem angulum rectum assignat, ut tanto validiorem e
cortina defensionem indipiscatur. E re porro futurum arbitratur, p. 33.
si *facierum*, ad angulum acutum concurrentium, *commissura* a summitate ad usque duos pedes subtus horizontem campi (*du niveau de la campagne*) circumjecti, non constituat angulum, sed eæ per $\overset{\circ}{2}$ utrinque ab angulo communi in curvaturam flexæ jungantur. *Lineam de-* p. 34.
fensionis grandiorum munitionum ad $\overset{\circ}{150}$ extendit, utut sclopetum militare non ultra $\overset{\circ}{130}$ ad metam (*de but en blanc*) jaciat: fortuitis etiam jactibus (*a coup perdu*) quales in hostes assilientes dirigantur, hominem ultra $\overset{\circ}{168}$ *trajici* posse. *Latus polygoni interioris* p. 40.
Autor

Autor ita diſponit, ut ſub certa proportione ſemicolli ad hoc latus, certaque alæ longitudine, linea defenſionis intra 150° conſiſtat. Unde in munimentis

	majoribus	mediis	minoribus
Latus Quadrati eſt	130°.	120°.	100°.
Pentagoni	140.	130.	110.
Hexagoni	150.	130, & ſic porro.	
Heptagoni 150, & ſic porro.			

p. 44. *Semicollum*, quod *Pagano* & *Vaubano* cum angulo circumferentiæ creſcit, *Autori* a pentagono ad octogonum conſtanter eſt quinta pars lateris polygoni; in plurilateris vero, pro ſingulis dicti anguli ultra 135mum gradibus uno pede ampliatur; in quadrato vero ex-
p. 52. pandendis alis aliquantum contrahitur. *Facierum* longitudinem non ſolicite determinandam *Autor* exiſtimat; dummodo circumjecto campo defendendo ſufficiant, nec nimia extenſione defenſioni ſui officiant. *Cortinas* rectas præfert aliis, easque 1° infra alas & facies deprimit, ut tormentis & ſclopetis ex ala cortinæ imum foſſæ
p. 55. & planta faciei impeti poſſit. *Alarum Auriculas*, ob noxam, hoſti foſſam tranſituro & cunicularii, ex tormentorum intra eas reconditorum jactibus inferendam, ſumme commendat; nec ullum fortalitium iisdem deſtitutum probe munitum pronunciat: craſſitiem earum, ut ictibus tormentorum citra damnum excipiendis ſuffici-
p. 50. ant, præciſe 7° ſtatuit. *Alarum quantitatem* minimum variat: eſt vero eidem ſexta pars lateris polygoni 150°; 24, ſi latus iſtud minus
p. 60. ſit; in quadrato autem mediæ formæ 23½° & minimæ 21°. Ipſas porro alas cum *Vaubano* in arcus ſpeciem introrſum circumducit, hujusque figuræ non una ratione rectis præfert. *Suggeſtum* etiam *inferiorem* (*place baſſe*) inibi conſtituit: non obſtante metu, quem a frequentibus pyrobolorum jactibus injici ſibi paſſus eſt *Vaubanus*, qui in ejus locum prætenturam, ſuccinctui valli (*fauſſe braye*) aliquo
p. 67. modo ſimilem, cortinæ alisque præſtruit, media foſſa a vallo diſtin-
TAB. V. Fig. 1. ctam. (*vid. fig. 1.*) Suggeſtum hunc *Autor* in majoribus munimentis alæ ſuggeſtui ſuperiori (*flanc haut*) parallelum, in cæteris rectum efficit; fallendisque bolidibus igniariis foſſulam, alæ ſupernæ & lineæ defenſionis prolongatæ præcingit, 2° profundam, latam 3°. In

TAB. V.
ad A. 1689. pag. 292. sqq.






Fig. III.
Methodus Paganiana

Fig. IV.





In omnibus præterea munimentis, quæ alæ secundæ locum præbent, p. 71.
alam superiorem 2° versus centrum loci producit: quod tormenta
eo collocata defendendis operum externorum recessibus (*retranchemens*) & faciei oppositi propugnaculi, dejiciendis vero aggeribus
hostilibus, viæ tectæ imminentibus, conducant. *Loricæ Villeana* p. 74.
quatuor pedes altæ vitium accusat; suam vero sex septemve pedibus attollit, cum uno duobusve scabellis, crassamque facit 20 pedes:
quod ne directioni jactuum ex alis & faciebus incommodet, vel
loricas desuper tanto magis versus oppositas facies inclinari, vel earum scabella levari tantisper debere indicat. *Propugnacula cava* p. 78.
plenis præcellere arbitratur, recipiendis validis recessibus: *illorum* p. 80.
vallum 3° supra horizontem loci eminet; cortinæ 2°, ut collibus tormentariis superimponendis aptum sit. *Autoris* autem *propugnacula* nec plane solida sunt, ut *Villei*; nec plane cava, ut *Vaubani*: quæ
recessu insuper firmat, forcipulæ figuram referente, cujus frons totam propugnaculi latitudinem occupat, facies vero alis 14° defenduntur; explicatque cæteras ejusdem conditiones & commoda.
In munitionibus a solo excitandis *plateas* ita disponi jubet, ut ædi- p. 82.
ficia a tergo cujusque propugnaculi recessum forment, æque validum ac opus cornutum parmula armatum: (munitionum vero p. 86.
minorum quadratarum & pentagonarum, ubi colli angustia hujus
formæ recessus non admittit, Autor propugnacula duplicat.) *Con-* p. 91.
tracuniculorum hactenus usitatorum defectibus corrigendis, binas
eorum formas alias, expositis earum rationibus profert. *Fossæ* la- p. 99.
titudinem versus angulum propugnaculi constanter facit 6°, estque ea
vel parallela rectæ, ab angulo alæ & cortinæ ad angulum propugnaculi oppositi ductæ; vel ductis rectis a contiguorum propugnaculorum
angulis ad angulos humeri oppositos, a puncto intersectionis earum,
lineis faciei utriusque propugnaculi parallelis determinatur; priorem tamen rationem potiorem habet: profunditatem ejus ante cor- p. 102.
tinam 4° majorem periculosam existimat, ante facies non perinde. *Fos-* p. 104.
sulas depressiores (*cuvettes*) pariter atque *fossas anteriores* (*avant fossez*)
nisi aqua plenas rejicit: harum tamen exemplum præbet, cujus imum,
subducta ab hoste aqua, a lorica viæ copertæ & vallo defendi possit. *Viam coopertam* equitatui reponendo infra horizontem loci
deprimi, contra *Villeum*, inconsultum; eundem vero rectius p. 106.

intra fossam recipi, judicat: angulos etiam illius procurrentes
p. 108. a reliqua parte lorica sex pedes alta præstructaque fossula disjungit:
duplicatam vero viæ coopertæ loricam varios ob usus insigniter com-
p. 109. mendat. *Præcincturam valli Paganianam* rejicit; adhibita tamen cor-
120. rectione quomodo usurpari possit, commonstrat. Succinctum ve-
p. 113. ro valli quadantenus *cortina inferiori* (*cortine basse*) supplet, cujus
aream (*terreplein*) horizonti ad libellam constituit; loricam vero
sex pedibus elevat, eamque 7° a cortina superiori diducit, quarum
tres loricæ, reliquæ quatuor areæ hujus cortinæ, & declivitati su-
p. 117. perioris cedunt. Ante hanc cortinam suam, quam pluribus ex
p. 119. causis *Vaubaniano* succinctui præfert, ab adversa unius auriculæ par-
te (*revers d'orillon*) ad alterius oppositæ paralleliter receptum
(*coffre*) statuit, aliquot pedibus fossa humiliorem, & lorica novem
pedum tectam, eruptionibus promovendis, amoliendisque alæ
p. 121. & cortinæ inferioris ruinis accommodam. *Colles propugnaculorum*
(*cavalliers*) secundum usus suos in tres species distinguit, eorum-
que rationes & incommoda, & quomodo cortinæ utiliter super-
imponi possint, exponit: eorum vicem ipsi aliquam præstat ala
p. 126. superior producta. *Portas* munitioni esse vult quam paucissimas,
in medio cortinæ sitas, atque a plateis primariis aversas: de ne-
cessariis earum partibus & præsidiis amplissime, & quod sufficiat,
egisse *Villeum* profitetur; annexa ratione construendi pro eru-
p. 129. ptionibus *emissarii* (*poterne*.) Circa *castella* urbibus imposita errorem
notat plerorumque architectorum, eorum defensionem debilio-
rem atque urbis adjacentis efficientium; cum contrarium fieri o-
porteat; qua de causa & locum iisdem vendicat maxime validum:
p. 131. pro editiori tamen paludosum, si præsto sit, eligit; aut ad ostium
fluvii majoris per urbem decurrentis. Inter alias *maritimi forta-
litii* conditiones & hanc præcipit, ut sua ipsius defensione, non ur-
bis se tueatur: quo loco obiter vitium notat *castri portus Liburni*.
p. 134. Propugnaculorum civitatis, castro utrinque contiguorum, faciem
alteram castro obversam versus faciem propugnaculi ipsius castri,
quod extus urbi adsitum est, non ad id, quod intra urbis veluti com-
plexum hæret, extendit; ut adeo hæc linea formam præbeat semi-
propugnaculi & cortinæ, satis utique defensæ, & aream urbis
dilatantis.

Ex Ope-

Ex *Operibus externis* reprobat *forcipulas*, quod mediam frontem sive angulum retractum indefensum habeant; nec proinde cum munitiunculis stelliformibus temere, ab Italo quodam, Cometæ, architectis & defensoribus suis fatali, comparari asserit. Cæterorum autem defensioni quam optime prospici demonstrat, si *fossæ* eorum subjectæ sint ictibus, ab editiori & suppressiori aggere (*place haute & basse*) faciei propugnaculorum defendentium; quos hanc ob causam & auriculis instruit tormentum recondentibus, cui totum præstructorum operum latus expositum est, quodque parmula minori, ad angulum colli intra opus externum excitati, hostilibus aggeribus subducit, viæ tectæ incumbentibus. Ipsa vero opera non necessario intra jactum sclopeti a munitione interiori consistere, sed exigentibus rationibus longius protendi posse affirmat; dummodo eadem ab aliis externis defendentibus, & hæc porro similiter, majori spatio non distent. Cap. II. p. 136. p. 141.

In specie: *Parmulas*, (*ravelins*, *demilunes*) ab autoribus ad *Vaubanum* usque omnibus perperam constructas animadvertit, faciebus earum ab angulo humeri propugnaculorum vicinorum productis; & ultra hunc errorem longius adhuc deviasse *Paganum*: *Ipse* vero lineam dictam 9° ab angulo illo designat, ita ut suggestus faciei inferior fossæ parmulæ exacte respondeat, eamque propugnet. Angulum earum defensum 70° optimum reputat; cujus scilicet defensio minus obliqua sit, quique alas propugnaculorum melius obtuso tegat. Post simplices parmulas contemplatur etiam *forcipulatas* & *corniculatas* (*demilunes tenaillées ou accornées*) hoc est quas forcipula aut opus cornutum amplectitur, easque ratione roboris & conditionis suæ inter se comparat. Circa *prætenturas propugnaculorum* (*contregardes*) *Autor* Batavorum *lunulas* ridet, quæ nec angulo nec alis propugnaculorum tegendis sufficiant, nec ulli hostem fossam earum invadentem periculo exponant, nisi a granatarum noxa. *Villei* vero *prætenturas*, nec quadrare locis amplioribus, pronuntiat, nec quadrati & pentagoni propugnacula tegere, quorum angulus sit acutus & defensio radens; ipsasque adeo præcipuo suo usu, qui est conservatio alarum propugnaculi, privari. A *Paganianis* vero in eo dissidet, quod angulis propugnaculorum acutis, faciebus eorum aut fossæ tunicæ (*contrescarpe*) parallelas non faciat; versus fle- p. 143. p. 144. p. 147.

xuram enim hujus latitudinem eis largitur 16°, versus alas illorum 8 tantum aut 10: deinde alas prætenturarum *Autor* non otiosas, ut *Paganus*, relinquit, sed iisdem auricula instructis, ex aversa ejusdem parte tormento hosti inconspicuo totam parmulæ faciem denudatam stringit. Pro *operibus cornutis*, tam propugnaculo quam cortinæ præponendis, juxta diversas eorum structuras, regulas tradit, indicatis eorum defectibus, quorum latera vel simplici ala, vel propugnaculo sunt instructa; quibus tollendis, extremos operis in fronte angulos integris propugnaculis firmat. Corrigit etiam cum *Vaubano* antiquiorum errorem, qui operum cortinæ præfixorum alas rectis, ab alis propugnaculorum productis, determinarunt. *Duplicato operi cornuto*, aut *cornuto parmula armato* præfert simplex, quod intra se parmulam simplicem grandiorem, aut corniculatam comprehendat. *Operum coronatorum* usum potissimum statuit tegendis duabus cortinis contiguis, quarum defensioni alias duo cornuta paranda essent. *Loricæ* operum externorum æqualem atque internorum tribuit crassitiem; *Vallo* vero eorundem dimidium altitudinis valli interioris demit, ut hinc quaquaversum pateat prospectus. *Fossæ* latitudinem ad 10 aut 12° extendit. *Pontes* qui externa opera interiori munitioni jungant, minime necessarios existimat, nisi illa portis civitatis præjaceant: *lineam* tamen *communicationis* concameratam a cortina inferiori aut receptu illi contiguo, subtus fossam intra eadem duci jubet, ne transitus ab aggeribus hostilibus utrique lateri admotis intercludatur. Quæ pleraque ut Lectori velut in conspectu sint, munitionis ab *Autore* hactenus descriptæ, octogonæ quidem, scenographiam adjunximus, una cum ichnographica delineatione munitionum ad regulas autorum sæpius nominatorum exactarum.

[Margin notes: p. 156. p. 162. p. 168. p. 170. p. 172. Tab. VI. Fig. I. Tab. V. Fig. I. II. III.]

[Margin notes: Cap. III. p. 176. seqq.]


His præjactis, postquam *Autor* illorum institutum improbasset, qui singulas polygoni partes ad certam cum latere ejusdem proportionem adstringunt: enumeratas supra partes tum ipsius munitionis, tum operum externorum, per tria muniendi genera, & pro quibusque polygonis construere docet, subjunctis deinde singulorum mensuris orthographicis (*profils.*)


[Margin notes: Cap. IV. p. 215. Cap. V. p. 224.]

Circa *irregulares munitiones*, quarum anguli lineæve methodi regularium plane incapaces sunt, præcepta tradit generalia, leges




Fig. III.


Fig. IV.



leges partium munitionis concernentia, quibus deinceps casus earum & conditiones speciales cum rationibus muniendi subjungit. p. 230.

Ultimo *Autor* occupatus est circa muniendi rationes novissime ab aliis propositas, tum etiam a se excogitatas; utrasque a vulgari modo longius abeuntes: & suarum quidem descriptiones rudes tantum lineas esse vult, magis ut commonstret, nondum exhaustum esse aliorum industria hoc argumentum, a se ductas; quam quod spem concipiat, in usum exemplumque aliquando translatum iri. Illarum prima est, cui nomen *ordinis corroborati* (*ordre renforcé*) fecere: de cujus cortina 40 aut 44° introrsum ad angulos duos rectos flectuntur: alæ propugnaculorum, cortinæ perpendiculares, ipsiusque cortinæ, sunt 24°; linea defensionis a 150 ad 200° excurrit. Hujus, utut inventoribus suis duplicare robur loci perhibeatur, binas alas *Autor* ultra sclopeti jactum porrigi notat; media tamen & constructionem suppeditat, quibus perfici firmarique ulterius possit. Huic ordini cognatæ aliquo modo censendæ sunt delineationes, quas *Marchi* Italus, in *epitome artificiorum muniendi* proposuit, quarum descriptioni ut supersedere possimus, ipsas Fig. 3 & 4 Tab. VI. exhibemus: quarum utraque hexagoni binas forcipes repræsentat, quarum prioris latus interius est 140°, posterioris 120°. Circa *priorem* observat *Autor*, alas secundas cortinæ retractæ ita expositas esse tormentariis oppugnantium suggestibus; tamque parum idoneas, vel iisdem impugnandis, vel tormentis statuendis adverso propugnaculo defendendo; in polygonis etiam ultra octogonum adeo exilium facierum, ut eidem ordinem corroboratum anteponat. *Posteriorem* ejus census inter opera architecturæ militaris esse sustinet, cujus opera Gothica in architectura civili habeantur: ejus cortinam, ea parte qua solo propugnaculo parvo defenditur, impressionibus obnoxiam esse; ipsa propugnacula justis recessibus locum non relinquere; casas armatas & semicollum nimium arctari.

Cap. VI. p. 248. p. 249. Tab. V. Fig. IV. p. 256. p. 258. Tab. VI. Fig. II. p. 249. Fig. III. IV. p. 259. p. 260.

Blondellianam methodum, quam Acta anni 1684, p. 225. compendio referunt, *Autor* eatenus approbat, quatenus partes propugnacula defendentes insigniter multiplicat & amplificat; immanem tamen impensarum, & præcipue tormentorum operarumque tormentariarum, Blondellianis structuris necessariorum summam longe melius collocari posse, persuasum habet. Præter quod animadver- p. 260. p. 262.

madverſione digna cenſet: quod 1 alæ ejus non usque quaque jactu ſclopeti (juxta ſuum ipſius axioma fundamentale) defendant; 2. munitiones ejus citra præſidium externorum operum plane imbelles ſint, nec etiam parmula & prætentura ſatis protectæ; 3. facies & prætenturæ propugnaculorum obliquitate ſua acceſſus hoſtiles parum morentur, adeoque campum ſubjectum inſufficienter ſtringant; 4. interiora parmulæ inutiliter excaventur; 5. foſſula ejus depreſſior optatum præbeat nidum cunicularis; 6. ſuggeſtus alarum adeo longi ſint & anguſti, ut exiguo tempore bombis & bolidibus repleantur; ſuggeſtus porro editior (*cavallier*) propugnaculum ita occupet, ut idem
p. 266. impoſſibile ſit receſſu firmare. Tandem nec ſibi facilitatem perſuadere poteſt *Autor*, qua *Blondellus* locis antiquo more munitis ſuas conſtructiones applicari poſſe profitetur: cum eadem alis ſecundis, quibus tamen fere careant, præditas eſſe ſupponat; neceſſumque habeat, priſtinas alas dejicere, infinita ædificia demoliri, &c.

p. 252. *Autoris* nova Opera ſunt bina. *Prioris* octogoni ichnogra-
TAB. V. phia eſt fig. 5, Tab. V. In ea alæ ſunt $\overset{\circ}{58}$ (interior 25, anterior 33) linea
Fig. V. defenſionis $\overset{\circ}{150}$, facies $\overset{\circ}{42}$, angulus propugnaculi $\overset{\circ}{75}$. Ex angulo alæ & cortinæ per extremum alæ oppoſitæ, recta ducta faciem determinat propugnaculi interioris; vallum facierum anteriorum $\overset{\circ}{2}$, interiorum $\overset{\circ}{3}$ ſuper horizontem elevatur. Foſſa a planta anterioris alæ $\overset{\circ}{4}$ profunda eſt, inde leni acclivitate aſſurgit, ut pone cortinam $\overset{\circ}{1}$ tantum alta ſit. Suggeſtus alæ anterioris inferior foſſam $\overset{\circ}{2}$ ſupereminet; ſuperior vero ad horizontem finitur, areamque $\overset{\circ}{4}\overset{r}{1}$ complectitur, & ante ſe foſſam habet $\overset{\circ}{3}$ latam profundamque; reliquum propugnaculi, retro ſuggeſtum ſuperiorem, altitudine ſuggeſtui inferiori reſpondet. Suggeſtibus alæ citerioris concavis convexus arcus præcingitur, $\overset{\circ}{1}$ depreſſior ſuggeſtu inferiori, reponendis ſclopetariis. Receptus cortinæ parallelus, ab eadem cum averſa auriculæ interioris parte æquidiſtat. Foſſa ad modum ſupra memoratum ſecundum ducitur, ante facies propugnaculorum $\overset{\circ}{16}$ vel $\overset{\circ}{20}$ lata; hujus declivitatem exteriorem ſuccinctus (*Paganiano*, niſi qua hic deficit, non abſimilis) ambit, cujus alæ ab angulo alterius ſuccinctus oppoſito non ultra $\overset{\circ}{150}$ abſunt: hunc non minus oppugnantibus faceſſere negotii contendit Autor, atque præſtantiores munitio-

munitiones possint. Contra cuniculos omnibus faciebus & auriculis substruit, detegendis non solum hostium similibus machinis, sed & evertendis ope furnulorum (*fourneaux*) ejus receptibus, sub ruinis succinctus valli anteriorisque propugnaculi. *Posterioris* scenographiam Fig. 5, Tab. VI. adjunximus, ex qua & hactenus dictis ea facile intelligi potest: habet vero facies *priori* longiores, parmulæ tanto fortius defendendæ; alasque minus inclinatas, minusque suggestibus hostium ex obliquo obnoxias. Utriusque cum Blondellianis comparationem longum foret hic enarrare: quam, ut & cætera, quæ pleniori eorum descriptioni desunt, *Autor* B. Lectori non ingrata brevitate suppeditat.

Tab. VI. Fig. V.

p. 267.

DE ARTE EXCERPENDI LIBER SINGULARIS, una cum historia excerptorum propriorum Vincentii Placcii, Hamburgensis. Accedit Invitatio amica super symbolis promissis aut destinatis ad Anonymos & Pseudonymos suos.

Holmiæ & Hamburgi, apud Gotfr. Liebzeit, 1689. in 8.

Quam sollicite priscis temporibus, quæ lectu & memoratu digna fuere visa, in memoriales quos vocant libellos seu adversaria, a studiosis literarum relata sint, vel Plinii majoris exemplo patet, quem *nihil legisse quod non excerperet*, nepos ejus lib. 3. ep. 5. narrat, qui de suo etiam Livii historiarum libros excerpendi studio lib. 6. ep. 20. mentionem facit. In artem redigere hoc studium, ac certos modos, quibus memoriæ consuli & potiora e libris decerpi ac colligi possent, complures studuerunt: quorum rationes expendens, earumque quæ præstet ac reliquis commodior sit examinans, in literis concinnandis ac curiose scrutandis industrius vir *Vincentius Placcius*, quam commodiorem & accuratiorem invenerit, hoc libello docuit, ac præcepta artis tradidit, verborumque ac rerum locos communes qua ratione quis adornare optime possit, adjectis figuris ostendit, *scrinium* etiam *literatum*, cujus inventum e Joh. Adolphi Tassii schedis ad se pervenerat, & arcularum ei inservientium rationem monstravit; ac quem ipse per triginta & amplius annos in excerpendo tenuerit, laboriosum sed utilissimum modum, prolixa

prolixa epistola p.184. & seqq. exposuit, juventutis arbitrio relinquens, num hos tramites cupiat sequi, quibus institisse ipsum non pœnituit.

Libro *de arte excerpendi* subjunxit prolixam *epistolam*, qua de literarum cultu meritissimum virum Ant. Magliabechium, & alios eruditione ac literis insignes viros rogat, ut institutum suum recensendorum Anonymorum & Pseudonymorum collatis symbolis juvent. Nimirum anno 1674 *de scriptis & scriptoribus anonymis atque pseudonymis* syntagma emiserat, in quo circiter sesqui mille omnis generis, argumenti, lignarumque scripta, partim nullis, partim falsis nominibus præfixis edita, veris auctoribus vindicavit, & qui isti sint indicavit. Sed dum quindecim ab editione sylloges istius effluxere anni, plures anonymos pseudonymosque deprehendit, quorum illis verum nomen reddere, his larvam detrahere studuit, inque commentarium hæc reperta retulit. Qui ut majori apparatu instructior prodeat aliquando in publicum, omnes in orbe eruditos rogat, symbolas conferre ne graventur: quod præ cæteris Illustrem *Magliabechium* posse persuasus, illum potissimum rogat, ut desiderio huic satisfaciat. Cumque intellexerit, virum omni elegantiori literatura instructissimum *Adrianum Bailletum*, Bibliothecæ Lamoignianæ in urbe Parisiensi præfectum, in eodem argumento versari, & de auctoribus personatis (*des auteurs deguisez*) commentarium moliri; eundem compellat rogatque, ut opus istud tam egregium collectaneis, quæ Auctor ipsi transmissurus esset, augere velit, totum edendi operis sui onus in Bailletum derivaturus. Sed postquam ex eodem cognovit, ipsum non Latina sed Gallica lingua opus suum esse conditurum, nec anonymos, nec plagiarios, ac ne omnes quidem pseudonymos recensiturum, sed illos duntaxat scriptores detecturum, qui dolo malo, scientes fucum in adsciscendis nominibus alienis facere tentarunt; adigi se animadvertit, ipse ut proposito insistat, & quæ de pseudonymis ac anonymis collegit, quorum numerum in schedis suis jam ultra quartum millenarium excrevisse affirmat, in publicum edat. Cui studio juvando socias & subsidiarias operas a quibusvis per orbem eruditis hac Invitatione clarissimus *Placcius* poscit.



ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Junii, Anno M DC LXXXIX.

VITI LUDOVICI A SECKENDORF EQ. FR. Conf. Sax. Int. Supplementum ad Librum primum Commentarii Hiſtorici & Apologetici de Lutheraniſmo, maximam partem ex Archivis & MSS. collectum, & Tomo Secundo Operis, loco ſpeciminis & prodromi præmiſſum.

Lipſiæ, apud Joh. Frider. Gleditſch, 1689, in 12.

ILluſtris Autor, promiſſi memor, continuationem operis ſui de Lutheraniſmo, non parvo labore moliens, impedimenta tamen habuit, per quæ abſolvere *Tomum Secundum* deſtinato tempore non potuit. Moram itaque in præloquio hujus libelli excuſat, & ſpem facit fore, ut Tomus iſte, quem magna ex parte affectum habet, egregiis documentis locupletatus, in lucem prodeat, ſimulque indicat, unde Supplementa, quorum ſpecimen nunc edit, hauſerit aut adhuc expectet. Laudat inprimis Sereniſſimorum Saxoniæ Ducum Archivum, quod *Vinariæ* commune habent. Ex hoc ad ſupplendam priorum annorum hiſtoriam, quam in Actis noſtris A. 1688 p. 1 & ſeqq. enarravimus, nunc producit lectu digniſſima, quorum pleraque nunquam edita fuerunt. Confidit igitur, gratum fore hunc libellum, quem exiguo ſumtu parare & paucis horis pervolvere, quibus id lubet, poterunt, indeque judicium facere, quantum interſit, num ex authenticis documentis, an ex dudum vulgatis, commentarii ſcribantur. Cætera quæ ab Autore Illuſtri intenduntur & deſiderantur, ex præfatione cognoſci præſtat, quam prolixius a nobis hoc loco enarrari. Acceſſit in fine *Index corrigendorum in Libro I*, quæ Autor ingenue & denuo profiteri

teri maluit, quam cum veritatis detrimento dissimulare. Si qui sunt, qui monumenta habent, quibus laborem hunc juvare possint, ab illis ad operis majorem perfectionem opem petit. Hanc enim æstatem, juvante Deo, magno cum studio ad exequenda, quæ destinavit, impendet, ut anno sequenti, tum Supplementum hoc, cum accessione insigni recudendum, Tomo secundo inseri posfit, tum hic ex ingenti MSS. numero ita elaboratus exeat, ut in hoc scribendi genere eruditis & æquis lectoribus placere posfit, & si qua Libri I editione æstimatio acquisita est, secundi publicatione non imminuatur.

ULRICI HUBERI, SUPREMÆ FRISIORUM Curiæ Ex-Senatoris, Prælectionum Juris Romani & hodierni Pars II, quæ est ad Libros undeviginti priores Pandectarum.

Franequeræ, apud Henr. Amama & Zach. Tædama, 1689, in 4.

PRælectionum harum Partem I *in Actis anni proxime elapsi, Mense Septembri pag. 464 seqq.* jam tum commemoravimus, pluribusque ibidem tam de Autoris Consultisfimi scopo, quam operis ipsius accuratisfimi methodo disseruimus: quæ adeo singula hic iterare non erit opus; cum quæ ibi relata sunt, huc pariter quadrent. Id modo lectorem denuo monitum volumus, ipsum Pandectas ita sibi tractandas proposuisse, ut quæ in parte prima, nempe ad Institutiones dicta essent, eadem scribendo aut explicando non repeteret, nisi quatenus rerum connexio id efflagitare videretur. Quemadmodum vero nova hæc & secunda Prælectionum Pars cum priore illa id commune habet, quod utrobique id imprimis actum appareat, quo jus antiquum eo modo traderetur, ut in id, quod nunc usu servatur, desineret; ac vicissim, ut jus hodiernum ex fontibus suis, hoc est, ipsius antiquæ doctrinæ principiis educeretur, & ex humanioribus etiam disciplinis illustraretur: ita posterior hæc, quæ Pandectas respicit, sectio id præcipui habere videtur, quod in ea Nobilisfimus Autor Jus Romanũ ea ratione proponere sategerit, ut institutio ejus academica magis ad fori disciplinam utilis esse posset: hoc enim utut in prima Prælectionum parte, quæ est ad Institutiones, etiam

etiam quodammodo in conspectu habuerit; hic tamen, quia Pandectarū auditores judicii fere maturitate & spe propinquiore tractandis rebus, studiisque suis ad usum deducendis admoventur, apertius id agendum arbitratus est: ut adeo hoc pacto & studiosi una cum fundamentis theoreticis usum eorum anticiparent, & qui jam foro se commisissent, dum exempla tractatusque rerum, quæ hic commemorantur, legunt, ad theoretica principia revocarentur, intelligerentque, nullam praxin nisi ex theoria profluentem dari. Quo etiam nomine imprimis commendat *Antonium Merendam*, Italum, eique præ aliis plerisque hoc intuitu palmam adjudicat; quod ipso fere nemo felicius acumen theoreticum judicio conjunxerit practico: sententiasque forenses ex intima juris ratione potius, quam autoritate Doctorum infinitisque citationibus deduxerit. Ut vero hoc ipsum tanto felicius præstaret Noster, passim id operam dedit, ut sententias notabiliores historiis rerum judicatarum explicaret: quæ quidem præjudicia hic commemorata omnia, paucis exceptis, post tempora *Sandii*, JCti egregii, prodierunt ex eadem, cui ille interfuit, suprema Frisiæ Curia, jurisdictionis, ut ait, amplitudine causarumque varietate & multitudine nulli secunda; e quibus proinde decisionibus, cum hactenus nondum innotuerint, insigniores aliquas, uti alias facere suevimus, in lectorum gratiam exempli loco excerpere hic & communicare, non erit ingratum. Sic v. g. judicatum refertur, dignitatem Locumtenentis in centuria militari non tollere patriam potestatem, *pag 54*. Magistratus municipales de injuria suis personis, etsi in officio illata, ipsos judicare non posse, *pag. 97*. Credita summarum potestatum ex conventione publica non esse subjecta arresto, *pag. 113*. Eum, qui in causa arresti concludit, ut arrestum declaretur validum, neque simul, ut sibi ex re arrestata satisfiat, ipso jure nihil agere, *pag. 115*. Pactum de futura successione, consentiente eo, cujus hereditas expectatur, initum, contrario ejusdem testamento posse abrogari, *pag. 146*. Pactum desistendi a lite, data valde modica pecuniæ summa in memoriam defuncti, non esse transactionem, sed potius pactum remissorium, nec adeo rescisioni propter læsionem obnoxium, *pag. 150*. Enarratis in transactione speciebus controversiarū & subjecta clausula, quod partes ab omnibus litigiis desistant, posse tamen moveri

litem de rebus in transactione non commemoratis, *pag. 158.* Juramentum, quod Advocati in suprema Frisiæ Curia præstent, permittere iis in causa, quam ex postfacto malam esse reperiant, continuare, modo nil dicant in ea vel scribant, nisi quod eis expresse a partibus demandatum, *pag. 165.* Condemnatum injuriæ, licet atrocissimæ, non fieri infamem, nisi id fuerit in sententia expressum, *pag. 171.* Moribus hodiernis, & in integrum restitutionem, & actionem de dolo contra parentes dari, *pag. 215.* Judicem, qui est frater aut parens Advocati in causa, non posse ideo recusari, *pag. 241.* Si mulier nupta cum marito subscripserit chirographo, & vir solus dein suam manum agnoverit, hoc ad condemnationem mulieris etiam, cujus ille legitimus curator est, respectu sufficere, *pag. 253.* Uxorem dissidentem & seorsim habitantem a viro, tamen eidem, quod vir habet, foro subjectam esse, *pag. 260.* Prodigos ratione fori habere privilegium miserabilium personarum, *pag. 271.* Personam miserabilem, quæ cessionem habeat a non miserabili, gaudere tamen privilegio fori, *pag. 272.* Viduam non posse exercere idem privilegium contra minorem; posse tamen contra militem, *pag. 273.* Prohibitionem factam testamento, ne pater habeat usumfructum bonorum filio relictorum, non pertinere ad legitimam filio relictam, *pag. 290.* Hereditatis petitionem non dari adversus eum, qui se dicit heredem, nec tamen ullas res hereditarias possidet, *pag. 304.* Si prius actum sit judicio possessorio frustra, deinceps actor obtinuerit in petitorio, fructus venire præstandos, non a prima interpellatione possessoria, sed ab ultima petitoria, *pag. 322.* Emphiteutam teneri ad solvendum vectigal, etsi nihil fructuum ob vim hostilem percipere, nec fundum colere potuerit, *pag. 333.* Heredem, qui promisit, se omnibus testamenti articulis exacte pariturum, non tamen prohiberi exigere cautionem fructuariam in eodem testamento prohibitam, *pag. 358.* Professionem æris alieni ab his, qui sub juramento declarant res hereditarias & in inventarium relatas, non habere vim plenæ probationis, *pag. 406.* Parietem communem alterum sociorum pro sua parte altius tollere posse, altero quoque invito, *pag. 411.* Submissionem sive fori prorogationem factam in instrumento, cui inserta est hypotheca, non præjudicare tertio possessori hypothecæ, *pag. 430.* Eandem factam

ctam a duobus correis, cum tertio contrahentibus, non pertinere ad correos inter se, *ibid.* Asseverationem Mennoniticam, licet conjunctam cum submissione pœnæ perjurii, non tamen habere vim jurisjurandi, *pag.* 453. Ad renunciationem authenticæ, *si qua mulier.C. ad SC.Vellej.* si instrumentum sit publicum & tribus testibus subscriptum, non requiri jusjurandum, *pag.* 531. Mulierem, quæ pro viro intercedens renunciavit SCto Vellejano ea forma, quæ requiritur ad renunciationẽ *auth. si qua Mulier*, licet ejus mentio facta non sit, non posse tamen beneficio hujus authenticæ uti, *pag.* 532. Eum qui in jus vocatus accipit aliunde cessionem adversus actorem, posse quidem vi cessionis illius compensare, sed teneri ad refundendas actori impensas, *pag,* 542. Procuratorem in rem suam non agere ex falsa qualitate, si præ se ferat simplex mandatum, nulla juris in se translati mentione facta, *pag.* 560. Mercatorem, qui hominibus a se emere consuetis merces aliquas mittit domum, pretiumque in rationes refert, videri habuisse fidem de pretio, nec ideo præferri aliis creditoribus, *pag.* 583. Fratrem, qui vendidit hereditatem coheredi fratri, non teneri ad conferendum ei, quod a communibus parentibus ipse prius accepit; etsi frater emtor id ignoraverit, *pag.* 590. Retrahentem, qui minus offert emtori, quam in instrumento venditionis scriptum est, præsumtione fraudis, si hanc probare nequeat, deinceps quod pretio deest, supplere non posse, sed excidere retractu, *pag.* 609. Post emancipationem tacitam, quæ fit per nuptias, patrem non habere dimidiam ususfructus partem in bonis adventitiis, utut post expressam jus civile ipsi eandem largiatur, *pag.* 655. Sed forte decisionum amœnitate illecti debitos gratæ brevitatis fines jamjam transgressi sumus; quapropter pluribus excerpendis merito supersedemus; maxime cum eædem in peculiari indice uno quasi obtutu in fronte operis exhibitæ reperiantur: quemadmodum & quæstiones juris his in prælectionibus tractatæ, nec non digressiones in varias juris materias data occasione factæ, ut & leges aut illustratæ aut conciliatæ separatis catalogis comprehensæ sistuntur. De Responsionibus ad Scholia Lipsiensia, quæ pariter hisce prælectionibus inseruntur, non est cur dicamus adhuc, cum de iis jamjam ad Partem I loco supra citato abunde egerimus. Nil denique superst, nisi ut accurata hujus operis elegantia capti, Nobilissi-

bilissimum Autorem publico nomine rogemus, velit quamprimum reliquos etiam triginta & unum Libros Pandectarum similiter collustratos publico largiri: quem in finem perennes ei corporis animique vires, suave otium & fausta quævis cordicitus apprecamur.

ספר בית דוד ושלמה

SEPHER BETH DAVID USCHELOMO;

i. e. Liber *Domus Davidis & Salomonis*, sive Commentarius in *Pirké Abbóth*, autore R. *Salomone* F. R. Zebhi Hirsch.

Pragæ, a. 449, i. e. Christi 1689, in 4.

INter antiquiores ac melioris notæ libros Judaicos non postremo loco collocari æquum est פרקי אבות PIRKE ABHOTH, *Capitula Patrum.* Congessit ea anno a Christo nato centesimo trigesimo primo *R. Nathan Babylonius*, ac in iis tum seriem patrum traditionis non scriptæ enarravit, tum veterum magistrorum sententias morales in synopsi exhibuit.

Placuit viri opus contribulibus ejus tantopere, ut dignum judicarint, quod & *Talmudicis pandectis* & *libris precum* insereretur. Quin & tot commentariis illustratum fuit hactenus, ut eorum inire numerum perdifficile videatur. Ac *Maimonides* quidem, *Raschi*, itemque *Ephraim Orientalis* simplicem פירושים (*commentariorum*) titulum operibus suis imposuerunt. A prudenti autem illa simplicitate proxime recesserunt R. *Moses Almosninus*, R. *Joseph Chajon*, R. *Samuel de Uzeda*, quorum ille commentario suo פרקי משה, alter מילי דאבות, ultimus מדרש שמואל nomen fecit. Remotius illi, quibus non nisi figurata nomina fœtuum suorum frontibus præfigere libuit. Hujus generis sunt R. *Leonis Bezaleelidis* דרך חיים, R. *Isaaci F. Salomonis Jaebez* חסד אבות, R. *Josephi* Eliæ filii יסוד יוסף, R. *Salomonis Isaacidis* Levitæ לב אבות, R. *Juda*, Samuele Lerma Hispano nati לחם יהודה, R. *Jechielis* filii R. Jedidiæ מנחה חדשה, Don *Isaaci Abrabanelis* נחלת אבות, R. *Zebhi Hirsch* filii R. Simsonis Tuchführer נחלת צבי, R. *Elchananis* Filii Bezaleelis Uri Lipmanni קרית חנה, alii.

Nec

Nec paucos novimus Christianos Judæorum æmulos, qui & libri hujus versionem, & in illum commentaria Latino idiomate adornarunt, quales sunt celeberrimi viri, Paulus *Fagius*, J. *Drusius*, Fr. *Taylerus*, Joh. *Leusdenius*. E nostratibus Georgius Henricus *Lehmannus*, vir nobilissimus, *Capitula* illa Ebraice & Germanice cum *notis* Germanicis prolixis, ac varia eruditione refertis, Lipsiæ A. 1680 in octava forma edidit.

Nuperrime tandem novam lucem Nathani Babylonio accendere studuit R. *Moses*, R. Isaaci Sprinzes Cremnicensis, (אב״ד ור״מ דק׳ שינאווא) Archisynagogi Genevensis filius. Is enim, cum forulos soceri sui R. Davidis (autoris טורי זהב) excuteret, forte fortuna incidit in R. SALOMONIS filii R. Zebhi Hirsch *commentarium* MSCtum *in Pirké Abhóth*. Huic ab autore *Salomone*, & *Davide* socero suo, nomen *Domus Davidis & Salomonis* Moses petiit, ac Pragensibus typis exscriptum cum pluribus hoc ipso anno communicavit. Quamvis autem scholiastes ille nihil fere novi, post tot tantosque supra laudatos viros attulisse, & fortassis in suum magis, quam aliorum usum scripsisse videri queat, cum tamen laude sua minime privandum esse opinamur, cum & brevitatis ac perspicuitatis studiosum, ac ab allegoriis longeve petitis digressionibus alienum deprehenderimus.

COLLEGIUM CHYMICUM CASP. CRAMERI Med. D. & P.P. Erfurt. quinque dissertationibus editum a Justo Vesti Med. D. & P.P. in eadem Academia; cujus additur Observationum Medicarum rariorum Decas prima.

Francofurti & Lipsiæ, ap. Joh. Jacobum Erth / 1688, in 4.

CHymicæ artis nobilitate & utilitate adductus Cl. *Vesti*, suam pariter ad limatius illam excolendam conferre symbolam decreverat. Elegit igitur regulas, quas olim *Casp. Cramerus* juventuti ad intimiora ejus penetralia admittendæ in collegio quodam chymico præscripsit. Quamobrem id ex pulvere in lucem protraxit, concinno ordine disposuit, & notis suis illustravit. Dissertationibus quinque rem proponit, quarum prima fermentationem in genere, & varias res naturales illarumque affectiones refert, adeoque &

que & generalia phyſices principia ſtabilire ſatagit. Itaque chymiam cap. 1. artem dicit, quæ per fermentationem corpora varie alterare poſſit. Alterationem vero hanc vel in uſum pharmaceuticum, vel mechanicum, vel phyſicum terminari aſſerit. Fermentationem illam, non tam chymicam, quam naturalem, per actionem ſpirituum influentium in ſpiritibus inſitis, ad generationis, nutritionis & transmutationis finem, definit. Spiritus influos eſſe ſubſtantiam æthercam, ſubtiliſſimam, ſumme activam, & proſapiam primigeniæ lucis, in ſe indeterminatam, ſed ad recipiendas & ulterius continuandas formas ſpirituum inſitorum aptiſſimam. Illos eſſe vel univerſales, qui determinationes ſuſcipiant, vel particulares, qui ſuſceptas propagent. Spiritum inſitum exiſtimat ejusdem cum illo eſſentiæ, ſed cum materia jam concretum, ſalinam primigeniam ſubſtantiam, quæ ab aliis natura, archæus, aſtrum &c. nominetur. Hunc vel indeterminatum in ſale univerſali contineri, vel jam ad quævis mixta ſpecifice accommodatum eſſe. Ab his ſpiritibus concurrentibus oriri in aqua & aere fermentationes univerſales, a quibus omnes particulares dependeant, & ſal quoddam naturæ produci, ſine cujus acceſſu illæ peſſum irent, & quod eapropter inſitum pariter & influum ſit. Memor deinde, ſe ſpiritus lucis primigeniæ proſapiam appellaſſe, cap. 2. iisdem lumen aſſerit, inprimis quod omnes ſpirituum affectiones in luce contineantur, eique conveniant. Lucem hanc non incongrue aſtris aſcriptam, cum ſit in rebus, ſpecificas iisdem formas tribuere, hinc influentis affluxu reſtaurari, & ex rebus quandoq; colliſione elici tradit. Cap. 3. magnetiſmos a ſaliũ horum, inſiti nimirum & influentis, ſimilitudine derivat; quatenus hoc elatere quodam expanſivo propulſum, non niſi ad ea loca, ubi ſimile illud reperit, & elatere minus efficaci renitens, ſecedat. Poſtea exemplis ea illuſtrat, & ſalis ſui originalis exiſtentiam probatum it. Recenſitis igitur fermentationis principiis activis, ſpiritu ſcilicet & ſale, illum ignem non urentem, hoc terram (non vero communem, utpote ob particulas heterogeneas elementi nomine indignam) nuncupat. Subjectum alterationi obnoxium paſſivum, aquam dicit & aerem. Adeoque hæc cap. 4. quod elementis deſtinavit, examinat. Etenim aquam materiale elementum unicum, argumentis ab Helmontio & Boyleo mutuo acceptis

acceptis innixus, pronuntiat. Quandoquidem vegetabilia sola aqua succrescunt, hæc vero in sal, oleum, terram &c. mutantur, imo omnia fere concreta in liquores resolvi possunt. Quippe nec aerem ab aqua ratione materiæ discrepare, nisi quod in hac atomorum arctior, in illo laxior cohæsio sit. Hinc enim, quod illa dissolvi valeat, aerem ex aqua generari, nec hanc continuo illius affluxu indigere. Atomos igitur, seu insectiles Democriti particulas admittit, & probat; aeris elasticitatem atque gravitatem, quibusdam recentiorum scriptorum experimentis asserit, & regulas motuum, & cohæsionum inde dependentium tradit. Dissertationis IIdæ cap. 1. vulgaria principia chymica examinat, ex quibus mercurium cum spiritu suo, salem vero eorum cum suo, spiritus hospitio, comparat. Sulphur vero non systaticum cum illis principium, sed utriusque actionem tantum cum Marco Marci proclamat; cum sulphur ex concretis vi ignis progenitum, nomen principii non mereatur. Cap. 2. contra Sylvianam, & Tachenii, aliorumque, qui acido & alcali patrocinantur, hypotheses disputat. Quibus præmissis, varia fermentorum genera exponit, & quidem cap. 3. de igneo, utpote potiore, agit. Hoc per spiritus luminosi vorticem quendam, in spiritum resinosis & oleosis insitum influentem describit. Lumen vero ab igne non differre, nisi modo & compactione, putat; siquidem ignis dispersus lumen sit, lumen vero, sive radii conjuncti, v. gr. in speculo ustorio, ignem constituant. Lumen hoc aliud nobis amicum atque intimioris admissionis esse, aliud vero contrarium. Illud in exsuscitatione spiritus nostri; hoc in constrictione illius consistere: ut exinde illud caloris, hoc frigoris nomine veniat. Lumen hoc quoque infrigidans, tenebricosum seu tenebras, & naturæ lunaris appellat, quemadmodũ illi igneam & solarem naturam tribuit. Ab hujus elatere expansivo corporum rarefactionẽ, ab illius constrictivo eorundẽ firmitatem & connexionem derivat, atq; utriusq; concreta sub hisce modis alterandi vim enarrat. Enimvero sicut fermentum hoc igneum omnia tria regna invadere potens est; ita duo alia recenset, quibus tantum animalia & vegetabilia, utpote laxioris, oleosæ scilicet & humidæ texturæ, pareant. Cap. igitur 4to agit de vinoso, quod vegetabilia potius, & cap. 5. de putrefactivo, quod animalia inprimis aggreditur. Copiosum quippe in illis acidum, spiritum

ætheream figere in oleum,& attenuare in ſpiritum ardentem; hæc vero acido deſtituta ætherem dimittere, ut in putredinem reſolvantur, & ſi quid oleoſi ſubſit, in alkali faceſſat. Dein per quænam utraque hæc fermentatio inſtituatur, & quomodo pro concretorum diverſitate variari debeat,edocet. Cap. autem 5to mediam etiam quandam admittit de utraque participantem, illamque exemplis ab urina & lacte deſumtis explanat.Cap.6to metallorum & mineralium ab aere mutationes, ſalium volatilium cum fixis combinationes, mercuriorum ex metallis eductiones, horum per aquas fortes ſolutiones,transmutationes, tandem & exaltationes fermentationis quodam modo contingere profitetur, & variis inſtantiis roborat. Tranſitum hinc ad operationes chymicas facturus, diſſertationis III cap. 1. eas in tres claſſes diſpeſcit. Alias aliquid a ſubjecto ſeparare, alias illud per ignem immutare, alias compoſitas pronuntiat. Ex iſtis alteram humidam vocat, deſtillationem ſcilicet & digeſtionem; alteram ſiccam,nimirum ſublimationem. Illis calcinationē & liquefactionem attribuit. Sub his denique ſolutionem, partim inpræcipitabilem ſeu radicalem, partim præcipitabilem,item ſolutorum combinationem comprehendit. Proinde cap. 2. a deſtillatione orditur. Illam variare furnorum, vaſorum & ignis adhibiti ratione,per exempla declarat. Ex illis, quæ deſtillatione producantur,cap. 3. primas tribuit aquis. Ubi non genuinum tantum eas eliciendi modum, ſed varia etiam circa illas præjudicia & errores delineat. Pariter cap. 4. in ſpirituum & oleorum quorumvis deſtillationibus modos concinnos, enchireſes congruas & cautelas non inutiles deſcribit. Diſſ. IV. cap. 1. digeſtionem, eam vero tantum humidam; cap. 2. ſublimationes ſalium volatilium, ſulphurum, florum mineralium, item mercuriales; cap. 3. calcinationem, & per hanc ſalia fixa vegetabilium (quæ ſpecificam herbarum virtutem retinere affirmat) & animalium, calces mineralium & metallorum &c. conficiendi modos ſelectiores tradit. Dum diſſertat. V. ſeu ultimæ cap. 1. de liquefactione agit, vegetabilium ſalia facile, animalium contra difficulter aut nunquam in vitrum converti aſſerit. Vitra mineralium pariter atque metallorum, & circa gemmarum originem, confectionem, & tincturas quædam exponit. Metallorum liquationes, depurationes, probationes, reducti-

reductiones, & in regulos mutationes docet. Cap. 2. de solutione, quæ ope menstruorum peragitur, disserit: & quidem hanc fieri ait, quod illa poros concreti subeant, & vim cohæsionis destruant. Hinc menstruorum universalium, & ex his primo Alkahesti historiam enumerat, & ejus existentiam admittit. Postea menstruum quoddam æthereum, quod in aere, aqua, terra contineatur, statuit, & de menstruis spirituum nitri, vitrioli &c. æthereis loquitur. Alkalica, sulphurea & acida menstrua particularia vocat, quod extimam tantum concretorum superficiem recludant, & quæ illis auscultant, explicat, ubi simul de tincturarum extractionibus verba facit. Cap. 3. de præcipitatione, & variis soluta a menstruis liberandi modis, item de unitorum fixatione & concentratione agens, operi huic chymico colophonem imponit. Sane pleraque Autoris limatum judicium, & diuturna laborum chymicorum experientia locupletem eruditionem abundanter testantur.

Altera hujus libri parte Cl. *Vesti* observationum medicarum rariorum decadem exhibet. Obs. 1, ut paucas indicemus, glandulam pinealem lapidibus viridibus refertam; glandulas ventriculi in humano subjecto satis conspicuas; ductus epaticum & cysticum valvulis bilis ex intestinis regurgitationem impedientibus instructos: Obs. 2. strumam in viro pituitoso unico mane desubito ortam: Obs. 8. vermium quadrupedum instar lacertæ, in vetula repertorum, & ejectorum historiam refert.

DE INVENIENDA CUJUSQUE PLANI DEclinatione, ex unica observatione projectæ a stylo umbra, per I. B.

PRo hac invenienda varii varias dederunt methodos. Sed cum ad artis perfectionem conducat, in re præsertim non adeo facili & obvia nosse vias plurimas, quibus eadem conficiatur, exponam hic modum, quo declinatio plani cujuscunque, ex unica observatione umbræ in illo projectæ, mediante tamen Solis Azimutho reperiri possit. Quem quidem modum ut omnibus accommodarem casibus, sequenti typo inclusi:

In Plano proposito ducantur duæ lineæ rectæ, una horizonta-

 lis,

lis, altera perpendicularis, priorem ad angulos rectos secans; in intersectione linearum erigatur stylus notæ longitudinis normaliter ad planum, & splendente Sole notetur longitudo umbræ de illo sparsæ, angulusque quem umbra cum perpendiculari constituit: quibus cognitis, tum declinatio Plani a verticali Solis, tum altitudo Solis, indeque ejus Azimuth, planique declinatio a meridiana investigabuntur, ut sequitur:

Planum autem *Verticale* appello, quod cum Horizonte angulum rectum constituit: *Reclinatum*, quod obtusum: *Inclinatum*, quod acutum.

Inclinationem voco ipsam quantitatem anguli acuti, quem planum inclinatum cum horizonte constituit: *Reclinationem* vero anguli illius obtusi, quem planum reclinatum cum Horizonte facit, complementum ad 180.

Azimuthum Solis est Arcus Horizontis interceptus inter quadrantem Solis verticalem & punctum meridiei; qui arcus quadrante major esse potest.

In omni Plano:

Sicubi necesse est, explorare distantiam Solis a polo plani, fiat:
Ut stylus ad umbram, ita Sinus totus ad Tangent. distantiæ Solis quæsitæ.

In Verticalibus:

I. *Si nulla Umbra:* Planum non declinat a Solis verticali, & Sol est in Horizonte.

II. *Si umbra perpendiculariter deorsum vergit:* Planum non declinat a verticali Solis; altitudo Solis autem est æqualis distantiæ illius a polo plani.

III. *Si umbra cadit horizontaliter:* Sol est in Horizonte; declinationem autem plani a Solis verticali mensurat vicissim ejus distantia a polo plani.

IV. *Si umbra cadit inter horizontalem & perpendicularem; & altitudo Solis supponitur quadrante explorata:* erit:
Ut sinus tot. ad tang. perpendicularis & umbræ; ita tang. altitudinis Solis ad sinum declinationis plani a verticali Solis.

non supponitur cognita, utrumque sic explorabitur:

α Ut

α. Ut stylus ad umbram; ita sin. ang. perpendic. & umbræ ad tang. declinat. plani a verticali Solis.

β. Ut sin. tot. ad tang. compl. ang. perpend. & umbræ; ita sinus declinat. plani a verticali Solis, ad tang. altitudinis Solis.

In Reclinatis:

I. *Si nulla umbra:* Planum non declinat a Solis verticali; altitudo vero Solis est æqualis complemento Reclinationis.

II. *Si umbra perpendiculariter deorsum vergit*, erit aggregatum ex distantia Solis a polo plani & complemento reclinationis (siquidem quadrante minus sit) Solis altitudo, nec declinabit planum a Solis verticali: at si aggregatum illud sit quadrante majus, erit ejus complementum ad 180 Solis altitudo, planique facies ab illius verticali abest integro semicirculo.

III. *Si umbra perpendiculariter sursum tendit*, non declinat planum a Solis verticali, sed distantia Solis a polo plani subtracta ex complemento reclinationis, erit residuum Solis altitudo.

IV. *Si umbra cadit horizontaliter, & altitudo Solis quadrante explorata habetur*, erit

ut sin. tot. ad tang. altitud. Solis: ita tang. reclinationis ad sin. compl. declin. plani a Solis verticali.

non habetur per quadrantem, utrumque sic invenitur:

α. ut sin. reclinationis ad sin. tot. ita tangens distantiæ Solis a polo muri, ad tang. declin. plani a Solis verticali.

β. ut sin. tot. ad sin. compl. declin. plani a verticali Solis: ita tang. compl. reclinat. ad tang. altitudinis Solis.

V. *Si umbra cadit inter horizontalem & perpendicularem, & altitudo Solis cognita habetur*, erit

ut sin. compl. altit. Solis, ad sin. ang. perpend. & umbræ, ita sinus distantiæ Solis a polo plani, ad sinum anguli, qui ipsam exhibet declinationem plani a verticali Solis (siquidem hæc declinatio quadrante non sit major) secus enim anguli illius compl. ad 180 est quæsita declinatio, ubi hæc quadrantē excedere debet: quod cognoscitur perpendiculo, cujus umbra si infra lineam horizontalem cadit, indicio est, murum plus 90° declinare.

Si non est cognita, utraque sic investigabitur:

α. Ut stylus ad umbram, ita sin. compl. ang. perpend. & um-

bræ, ad tang. segmenti cujusdam (addendi ad reclinationem, ubi umbra styli supra lin. horizont. spargitur; aut subtrahendi a reclinatione, illave minuendi, ubi infra dictam lineam projicitur.)

β. Ut sin. summæ vel residui, ad sin. segmenti modo inventi; ita tang. ang. perpend. & umbræ ad tang. anguli, qui ipsam exhibet declinationem plani a Solis verticali (ubi segmentum modo dictum minus est reclinatione) secus enim illius anguli compl. ad 180° declinationem plani modo dictam metitur, sicubi segmentum illud reclinatione majus fuerit.

γ. Ut sin. compl. segmenti (modo additi, ablati, minutive) ad sin. compl. summæ vel residui; ita sin. compl. distantiæ Solis a polo plani, ad sinum altitudinis Solis.

In Inclinatis:

I. *Si umbra perpendiculariter deorsum vergit*: Planum non declinat a Solis verticali; complementum vero Inclinationis subtractum a distantia Solis a polo plani relinquit Solis altitudinem.

II. *Si umbra cadit horizontaliter*: Sol est in Horizonte, planumq; stringit; quare declinatio plani a Solis verticali est 90 gr.

III. *Si umbra spargitur inter perpendicularem & horizontalem, & altitudo Solis*

Per Quadrantem habetur, erit

Ut sin. compl. altit. Solis, ad sin. ang. perp. & umbræ, ita sin. distant. Solis a polo plani ad sin. declinat. plani a verticali Solis.

Si non habetur, utraque sic investigabitur:

α. Ut stylus ad umbram; ita sin. compl. ang. perpend. & umbræ ad tang. segmenti, a cujus complemento ad 180 subtrahatur inclinatio.

β. Ut sin. residui ad sin. segmenti; ita tang. ang. perp. & umbræ, ad tang. ang. declin. plani a verticali Solis.

γ. Ut sin. compl. segmenti, ad sin. compl. residui; ita sin. compl. distantiæ Solis a polo plani, ad sin. altitudinis Solis.

Exploratis ita Declinatione Plani a verticali Solis hujusque altitudine (unde Azimuthum ejus via communi elici potest)

poteſt) ita porro Declinatio Plani ab ipſa meridiana inveſtigatur: Obſervatione facta

Ante meridiem:

I. *Si umbra reſpectu tui ante planum conſtituti a linea perpendiculari ſpargitur dextrorſum:* adde Azimuth ad declinationem plani a Solis verticali: Aggregatum (ſi minus eſt 90°) dat *declinationem a merid. in ortum*; (ſi 90°) *orientale directum*; (ſi majus 90°) ejus compl. ad 180° dat *declinat. a ſeptentr. in ortum*; (ſi 180°) *ſeptentr. directum*; (ſi majus 180) demtis 180 relinquitur *declin. a ſeptentr. in occaſum*; (ſi 270) *occident. directum*; (ſi majus 270) ejus compl. ad 360 relinquit *declinat. a merid. in occaſum.*

II. *Si umbra ſpargitur ſiniſtrorſum:* ſubtractis vel

Declinatione plani a verticali Solis ex Azimutho, (ſi nihil remanet) eſt *meridion. directum*; (ſi quod remanet, eſt minus 90°) *declin. a merid. in ortum*; (ſi 90°) *Orient. dir.* (ſi majus 90°) ejus compl. ad 180° dat *declinat. a ſeptentr. in ortum.*

Azimutho a Declinatione plani a Solis verticali: (ſi nihil remanet) eſt *merid. dir.* (ſi remanet minus 90°) *declin. a merid. in occaſum*; (ſi 90°) *occident. dir.* (ſi majus 90°) ejus compl. ad 180° dat *declin. a ſeptentr. in occaſum.*

Poſt meridiem:

I. *Si umbra cadit dextrorſum:* ſubtractis vel

Declinatione plani a verticali Solis ex Azimutho; (ſi nihil remanet) eſt *merid. dir.* (ſi minus 90) *declin. a merid. in occaſum*; (ſi 90) *occid. dir.* (ſi majus 90) ejus compl. ad 180 dat *declin. a ſeptentr. in occaſum.*

Azimutho a declinatione plani a Solis verticali: (ſi nihil remanet) eſt *merid. directum*; (ſi minus 90) *declin. a merid. in ort.* (ſi 90) *orient. dir.* (ſi majus 90) ejus compl. ad 180 dat *declin. a ſeptentr. in ortum.*

II. *Si umbra cadit ſiniſtrorſum:* adde Azimuth ad declinationem plani a Solis verticali: Aggregatum (ſi minus eſt 90) dat *declin. a merid. in occaſum*; (ſi 90°) *occid. dir.* (ſi majus 90) ejus compl. ad 180 dat *declin. a ſept. in occ.* (ſi 180) *ſept. dir.* (ſi majus 180) demtis 180 relinquitur *declin. a ſeptentr. in ort.* (ſi 270) *orient. dir.* (ſi majus 270) ejus compl. ad 360 dat *declin. a merid. in ortum.*

Obſer-

Observanda.

1. Non necessum est, ut stylus muro sit infixus perpendiculariter: possumus uti gnomone quocunq; fortuito inserto; dummodo (quod facile fieri potest) determinetur in muro punctum illud, quod omnium brevissime distat a styli apice, & per hoc punctum normaliter agantur duæ illæ lineæ horizontalis & perpendicularis: tum enim distantia inter apicem styli & hoc punctum repræsentabit longitudinem styli, distantia inter punctum istud & extremitatem umbræ referet longitudinem umbræ, &c.


2. Sed nec opus est, cuilibet plano examinando stylum infigere: poterimus instrumento uti ad id jam præparato, omnibusque indifferenter planis applicando, quale ex. gr. pro planis verticalibus esse potest gemina norma ABC & GFE, quarum (vid. fig. 1.) illa sit crurum æqualium, & utrique cruri inscriptas habeat divisiones sinuum pro singulis gradibus, sumpta longitudine alterutrius cruris pro radio; in concursu vero crurum erectum normaliter stylum AD, cujus longitudo sit æqualis radio. Volens enim explorare declinationem plani verticalis, applica alterutrum normæ hujus latus lineæ perpendiculari in plano ductæ IH, sic ut umbra de stylo sparsa AL utrique cruri interjaceat: dehinc volve alterius normæ GFE crus brevius FE super linea perpendiculari plani IH sursum deorsumve, donec crus longius FG (quod capiat divisiones tangentium ad 60 vel 70 (vid. fig. 2.) transeat per apicem umbræ; tum enim gradus abscissi FL exhibebunt declinationem plani a verticali Solis: hos ipsos gradus numera simul in crure horizontali normæ BAC, atque in fine numerationis applica illi crus brevius normæ GFE; sic abscindet umbra gnomonis in crure longiori gradus altitudinis Solis.


Tab. VII. Fig. 1. Fig. 2.

3. Observatio non instituatur prope meridiem, aut Sole multum elevato, sed duabus tribusve horis ante vel post, tempore & loco, ubi paralleli Solis sunt maxime declives: quia error unius minuti prope meridiem integros gradus in Azimutho involvere potest.

4. Pro operationis certitudine consultum est, eodem aut differentibus diebus illam ter quaterve repetere; cum vix caveri possit, ne in singulis aliquot minutorum differentia reperiatur: quare tum inter omnes declinationes mediam assumere expediet.

DION.





DION. PAPINI ROTATILIS SUCTOR ET Pressor Hassiacus, in Serenissima Aula Cassellana demonstratus & detectus.

SIphonem Wurtembergicum, ex liberalitate & jussu Principis Serenissimi D. D. Friderici Caroli Ducis Wurtembergici Administratoris, in lucem anno 1684 edidit celeberrimus vir Salomo Reiselius D. Consiliarius & Archiater Wurtembergicus: solas autem proprietates novi illius siphonis characteristicas ibidem recensuit, neque aperuit causam, cur tales effectus producerentur. Verum, sic jubente illustri Regia Societate Londinensi, machinam ego construxi, quæ iisdem illis in libro enumeratis proprietatibus gaudebat; prout videre est in Transact. Philos. Londin. n°. 167, pag. 847, & in Novellis Batavis Mensis Maji, anni 1685: (videatur Figura 3.) visaque mea descriptione declaravit clarissimus Reiselius, totum rei artificium a me fuisse detectum. Animos mihi addidit tam felix successus; quumque sub auspiciis Serenissimi Principis Caroli Hassiæ Landgravii operari mihi jam detur, *Rotatilem Suctorem & Pressorem* in eodem libro memoratum itidem imitari indubitanter sum aggressus: & quanquam nullam ibi dictæ machinæ notitiam inveniamus, nisi quam ex solo nomine expiscari licet, me tamen hac etiam in parte haud infeliciter divinasse confido. Ac sane quum Marpurgi nuper commoraretur Princeps noster Serenissimus, me jussit Celsitudini suæ quædam exhibere experimenta, quæ novitatis gratia commendarentur; quumque inter ceteras illam, de qua nunc agitur, machinam observasset multis in locis posse esse valde utilem, statim mihi mandavit, ut dictum inventum sedulo publicarem. Sequentem igitur descriptionem, qua potui ingenuitate & claritate exaravi; neq; dubito, eam a Litteratis magno cum gaudio acceptum iri, quum manifeste satis perspicere inde liceat, quod Serenissimus Princeps, quanquam tot tantique momenti curas in res bellicas hisce temporibus quotidie impendat, humaniores tamen scientias & artes solito suo favore ac generositate semper prosequatur. TAB. VII. Fig. 3.

Machina hæc constat ex unico vase cylindrico exiguæ profundi tatis (quale est AAAA, fig. 4.) per cujus centrum transmitti- TAB. VII. Fig. 4.

tur axis BB, cui infixæ sunt alæ CCCC, quæ a dicto axe ad circumferentiam extenduntur, ipsamque tantum non attingunt; adeo ut immoto vase ipsæ alæ liberrime possint circumrotari. Patet quod si dictus axis una cum alis circulari motu cieatur, simul etiam necessario circumagetur aqua contenta in vase AAAA, ac proinde continuo tendet a centro recedere. Optime enim sub initium Principiorum Philosophiæ observavit Cartesius, hanc esse Naturæ legem, ut corpora omnia motus suos secundum lineas rectas continuare tendant, sicq; fiat in circulari motu continuus conatus recedendi a centro, secundum directionem tangentium circuli. Sequitur ergo, quod si exacte occludatur vas AAAA, ac relinquantur foramina aliqua prope axem, quæ aquam extrinsecus ingressuram admittant, fiatque in circumferentia aliud foramen, cui applicetur tubus AD secundum directionem lineæ tangentis, sequitur, inquam, quod aqua in vase AAAA circumacta toto suo impetu subingredietur tubum AD: ac proinde ad eam altitudinem ascendet, ad quam corpora ejusmodi velocitate mota secundum illam directionem pervenire possunt. Si igitur velocitas esset percurrendi 32 ped. intra 1, aqua illa (abstrahendo a resistentia aeris) posset perpendiculariter ascendere ad altitudinem 16 pedum; ac si major vel minor esset aquæ velocitas, majus etiam vel minus foret spatium ascensus in ratione duplicata velocitatum (prout demonstrari potest ex Doctrina Galilei in Dialogis Mechanicis.) Facili igitur calculo investigari poterit, qui velocitatis gradus requirantur, ut aqua ad optatam quamcunque altitudinem possit assurgere. Quumque in infinitum augeri possit velocitas, nulla potest dari tanta sublimitas, ad quam machinæ hujus ope perveniri non possit, modo vires suffecerint, & a resistentia aeris abstrahatur.

Valde commodum foret hoc inventum, non solum ad decorandas villas amœnitatis gratia extructas, ubi possent pauci homines ejusmodi machinas exercere, atque insignes aquæ saltus, quando & quamdiu liberet, in locis etiam excelsissimis exhibere: quumque simplicissima sint hæc instrumenta, neque ullis deductoriis tubis indigeant, vix ullus requireretur sumptus, præterquam ad conficienda receptacula, quæ aquam semel in altum delatam ad saltus & circuitus

cuitus

cuitus omni data occasione iterandos conservarent: verum etiam utilissime adhiberentur hæ machinæ ad restinguenda incendia, atque aquam e longinquo & copiose immittendam, quocunque necessitas exigeret: unicumq; vas cylindricum, cujus diameter esset unius aut alterius pedis, profunditas vero unicum digitum æquaret, cum alis paratu facillimis, plus posset præstare, quam quævis machina hactenus ad ignem restinguendum comparata: etiamsi plerumque instrumenta illa constent ex duabus antliis satis amplis, quibus aptata sunt duo pistilla, quæ per totam longitudinem apprime congruere debent, cum quatuor valvis affabre etiam elaborandis: ut taceam quod si vel hæc vel illa per sordes aliquas impediatur, quo minus claudatur exacte, sæpenumero fiat, ut maxima parte optati effectus frustremur. Possent etiam novæ hæ machinæ, utpote exigui sumptus, in multis hortis adhiberi, ad aquam tempestate calida & sicca inspergendam.

Ad Instrumentorum horum usum, facillimũ juxta ac tutissimum foret ipsa in aquam immittere, ut foramina prope axem infra superficiem demergerentur, atque ita aqua proprio pondere sine suctione posset ingredi. Verum tamen, si ita res postularet, possent etiam hæ machinæ in loco commodo supra aquam elevandam collocari, prout videre est fig. 5, in qua exhibetur vas A A A A undiquaque clausum, foraminique prope axem ab anteriori parte adferruminatus est tubus P P, adeo ut pars ejus inferior immersa aquæ elevandæ ipsam necessario sugere debeat, ad replendum spatium ab aqua per tubum AD erumpente derelictum; modo machina eo impetu exerceatur, qui columnam aqueam altitudinis P P elevare valeat. Difficultatis tamen aliquid reperiretur a parte posteriori vasis AAAA, ubi axis BB pertransit: necesse enim est, ut dictus axis circumagatur, & cavendum tamen, ne per foramen qua transmittitur ille axis, transitum etiam aer inveniat. Si enim intraret aer, non posset aqua per tubum PP attolli: facili tamen negotio superatur illa difficultas coriorum ope, quæ ejusmodi foraminibus applicantur: axis enim cylindricus foramen aliquod in corio dilatans, illud exacte replet & obturat. Verumtamen, quo possit omnis suspicio amoveri, plura ejusmodi coria adhibentur, & facile procuratur, ut spatium inter coria interceptum syrupo aut alio aliquo liquore crasso ple-

Tab. VII. Fig. 5.

num semper remaneat, adeo ut locus ille contra aeris ingressum non minus sit tutus, quam quivis alius in tota machina. Si igitur reliquæ partes eadem sedulitate obturentur, atque axis, ut par est, circumrotetur, necessario sugetur aqua per tubum PP, ac deinde ab alis pressa & expulsa erumpet per tubum AD: proindeque hæc machina, juxta ac Reiseliana, *Rotatilis suctor & pressor* nuncupari meretur.

Omitto hic exhibere ligneum apparatum, cui inserenda est ejusmodi machina, quo possit facile & commode in motum cieri: id enim a quovis, pro data occasione, diversimode potest alterari. Atque ego ad primum hoc specimen nihil aliud adhibui, quam vulgarem machinulam, quæ ad nandum usui esse solet. Hujus funem circumvolvo trochleæ RR, quæ axi BB firmiter adhæret: adeo ut circum acta dictæ machinulæ rota, trochlea una cum axe atque alis ipsi affixis necessario etiam circumgyrentur; tumque manifestissime observamus, quod quo major imprimitur velocitas, eo etiam majori cum impetu aqua per tubum DD erumpit.

Cæterum præter utilitates hujus machinæ superius recensitas, adjici etiam possit, quod illa pro præstantissimo folle facile inserviat, ipsique motus a fluviis, ponderibus, aliisve potentiis hujusmodi multo facilius communicetur quam follibus vulgari jam usu receptis. Hic enim ad aperiendum & claudendum follem contrarios motus alternis imprimere necesse non foret: neque opus haberemus corio, quod ab ignis calore facillime vitiatur: quumque solus aer, cujus pondus admodum exiguum est, movendus hic occurreret, mediocris aliqua vis motrix sufficeret ad alas machinæ velocissime movendas, vehementissimumque ventum excitandum. Longe tamen plures ex hoc invento utilitates percipi posse judicavit Princeps Serenissimus; fit enim multo sæpius ut aqua per tubos evehenda sit, quam ut per apertum aerem salire debeat. Si igitur legitima proportione observata parentur tubi, per quos fine ullo impedimento aqua possit ascendere, poterunt illi, ubi res postulabit, inseri aperturæ D, ut per eos attollatur aqua: atque ita usus hujus machinæ occasio multo frequentius offeretur, quam alioquin factum fuisset. Id autem valde optandum esse nemo inficiabitur, quandoquidem admodum simplex est hoc instrumentum, sine frictione partium, nec

vitiatu

vitiatu facile: & hoc igitur præstare me jussit Clementissimus Princeps, neque dubito quin res felicissime cedat: constat enim aquam tubis inclusam æque facile sursum ferri, ac si in aere aperto saliret: quin imo observatur aqua saliens ad eandem altitudinem nunquam pertingere, ac si per tubos ascenderet. Hoc igitur saltem erit observandum, ut tuborum capacitas eadem proportione augeatur, qua velocitas aquæ ascendendo minuitur: sic enim fiet, ut eadem aquæ quantitas eodem tempore ubique præterfluat. Facile autem demonstrari potest, quod dictum capacitatis incrementum legitime procedet, si recta AC (fig. 6.) æqualis altitudini ad quam aqua propellenda est, dividatur in partes quotlibet, quales sunt CD, EF, FG &c. ducanturque per puncta divisionis perpendiculares d D, x X, y Y &c. sumptaque c D semidiametro tubi in infima parte, fiat EX ad CD in ratione subquadruplicata ipsius AC ad AE: & FY ad CD in ratione itidem subquadruplicata ipsius AC ad AF: sicque deinceps usque ad ultimam TZ, cujus ratio ad CD debet etiam esse subquadruplicata rationis AC ad AT. Sumantur deinde ab altera parte rectæ CA distantiæ cd, Ex, Fy &c. æquales ipsis CD, EX, FY &c. ductisque curvis per puncta DX, Y, &c. d, x, y, &c. spatium zZ dD erit canon, unde desumendæ erunt diametri competentes variis tubi altitudinibus, dum tornabitur argilla, cui liquefactum metallum ad conflandum tubum circumfunditur. Vel potius, quoniam tubi sic per fusionem conflati nimii sunt ponderis, præstabit tubos conficere quadratos ex quatuor laminis sibi invicem adferruminatis, quæ signatæ atque resectæ fuerint ope canonis alicujus modo supra descripto efformati. Observandum tamen erit, quod ejusmodi laminæ non perpendiculariter sursum tendunt, sed ad ampliandam tubi capacitatem necessario divaricantur: ideoque non sufficit, ut ipsarum longitudo perpendicularem ascensuræ aquæ altitudinem æquet; verum ipsam tantundem superare debent, quantum curva DXY &c. superat rectam perpendicularem æque altam: atque eadem illa observatio in singulis linearum partibus locum habet. Fateor equidem, non posse in principio ejusmodi tubos sine magno temporis & laboris dispendio confici; verum, postquam semel Canones ad varias altitudines parati fuerint, dicti tubi æque facile ferme ac vulgares construentur. Insigni autem hac proprietate gaudebunt, quod neque

Tab. VII. Fig. 6.

validitatem, neque magnam in conferruminatione ἀκρίβειαν requirent, quantacunque sit ipsorum altitudo. Ascendentis enim aquæ pondere nequaquam gravabuntur, quoniam impetus sursum vim gravitatis semper superabit, atque impediet, quominus in tubi latera agere possit. In aliis autem machinis aquam ad insignem altitudinem evehentibus, magna admodum reperitur difficultas in conficiendis tubis, ita validis tamque firmiter adferruminatis, ut gravitati aquæ intus prementi ipsosque continuo distendenti per longum tempus resistant. Forsan etiam supra dicti Canones facili satis negotio confici poterunt, ope alicujus aquæ saltus, cui, ex parte luci directe opposita, admoveatur planum perpendiculare: ductis enim lineis per margines umbræ in planum projectæ, verisimile est describtum iri figuram a canone requisito perparum discrepantem. Poterit etiam fabricari instrumentum ad describendam curvam DXYZ: exiguus autem ejusmodi Canon majori construendo facile inserviet, modo exiguus juxta ac magnus in partes æquales dividantur, & earum numerus utrobique sit æqualis: e. g. si minor in 16 digitos; major vero in 16 pedes divideretur. Varia, meæ machinæ ope, circa ejusmodi tubos experimenta, Deo juvante, instituam: ac si quid in praxi, ut fieri solet, inexpectatum mihi occurrerit, publici id juris facere satagam. Spero interim fore, ut Clar. Reiselius dignetur declarare, utrum hic æque feliciter ac in *Siphone Wurtembergico* rem acu tetigerim: aut si quid discriminis hunc inter & ipsius *Rotatilem suctorem & pressorem* intercedat, id non ulterius reticeat; quo possint ex utroque invento majores in orbem utilitates emergere, palamque fiat, quid quisque de publico meruerit.

IN J. B. APPENDICEM illam AD PERPETUUM Mobile, Actis Novemb. A. 1688 pag. 592. sqq. insertam, Observationes D. P.

PAucula hic subnectere liceat, quo possint Lectores Hydraulicorum minus periti, ex scriptis circa Perpetuum illud Mobile editis, aliquid tandem percipere, in quo, ex communi disputantium consensu, acquiescant. Observabo igitur, contra quam existimat clarissimus

rissimus Bernoullius, nos in computanda virium machinæ quantitate nequaquam dissentire. Easdem enim Physicas hypotheses, gravitatem aeris, pressionem liquidorum pro ratione altitudinis, &c. admittimus; reliquus autem discursus est pure mathematicus, ac proinde fieri non potest, quin ad easdem consequentias deducamur: & si quæ inter nos oriatur controversia, id ex eo fieri necesse est, quod alter alterius mentem recte non capiat, vel quod ad omnes easdemque circumstantias non attenderimus. E. G. mihi in superioribus objecerat Vir excellens, quod Prisma Pyramidis ejusdem basis atque altitudinis duplum esse statuerem: id autem ex eo factum fuerat, quod ad mea scripta satis non attendisset. Sic etiam me nunc asserere existimat, in proposita machina solam mercurii altitudinem esse spectandam, ita ut consideratio vectis & latitudinis alarum in censum nequaquam venire possit. Si vero Acta A. 1688 pag. 338 attente perlegisset, sine dubio vidisset, me contrarium prorsus tueri. Ibi enim dico, ejusmodi circumstantias mihi favere, esse subsidia, esse suppetias, quas vero omitto utpote superfluas: non me igitur provocasset ad experimentum, de cujus eventu futuro jam prorsus inter nos convenit. Non nego, quin ex ipsius objectionibus viri Hydraulices periti satis eruere possint, unde machinæ vitium demonstrent; verum pauci sunt illi periti, neque examinibus nostris indigent: quumq; expresse asseruisset clarissimus Bernoullius, se ex vectis ratione machinæ defectum deducere; machina autem facili negotio ita construatur, ut nulla ibi vectis ratio haberi queat: Lectores, quibus instruendis scripta hæc destinantur, statim judicassent, corruente præcipuo objectionis fundamento, ipsam quoque objectionem stare non posse. Non igitur immerito metuebam adhuc, ne Publicum spe successus perpetui mobilis in posterum deluderetur. At inquit: alæ follis non possunt parallelo motu ferri, nisi in ambabus extremitatibus æqualiter premantur: ac proinde sponte rationem vectium induent. Hæc altera inter nos controversia procedit ex altera causa a me superius allata, quod nimirum Vir clarissimus ad omnes circumstantias non attenderit: ejusmodi enim follium alæ per virgas ferreas facili negotio ita diriguntur, ut a parallelismo deviare nequeant, etiamsi in alterutra extremitate multo fortiorem quam in altera pressionem

nem

nem patiantur. Sic igitur patet, omnes inter nos lites facillime dirimi. Fateor enim, mobile perpetuum valide satis ab eo fuisse impugnatum, pro peritioribus, ut supra dixi: neque proculdubio ipse inficiabitur, quin in meis contra eandem machinam scriptis, quæ tum in Ephemerid. Anglic. tum in Novell. Bat. extant, intentum prorsus obtinuerim: si saltem ad id animum advertat, quod expressis ibi verbis declaravi; me velle novas machinæ alterationes aliis refutandas relinquere. Superest ut addam, verissimam esse clarissimi Bernoullii observationem, quod si axis motus inter centrum gravitatis & dimidiam machinæ altitudinem applicetur, poterit vasculum ita collocari, ut motus perpetuus inde sequuturus foret, si sola mercurii altitudo spectaretur. Hoc igitur casu aliarum causarum alterutra, ratio scilicet vectis, vel alarum inæqualis latitudo, in subsidium necessario vocanda foret: jamque nullum circa propositæ machinæ futuros successus dubium relictum iri spero; qui fuit utriusque nostrum unicus scopus & finis. Quemadmodum enim ex Novell. Bat. anno 1687 pag. 710 satis patet, de detecti hujus erroris gloria me parum esse sollicitum; sic etiam idem de se asserit clarissimus Bernoullius, facileque fidem inveniet: quis enim miretur, Virum magno cum successu gravioribus intentum leviora parvi facere?

SENTIMENS DES-INTERESSES SUR la Retraite des Pasteurs de France, &c. i. e.

Judicium integrum de abitu Pastorum ex Gallia, sive Examen libri, cui titulus est, *Historia & Apologia recessus Pastorum propter persecutionem Gallicam.*

Daventriæ, apud hæredes P. Hamel, 1688, in 12.

AFflictis addendam non esse afflictionem, vetus & tritum verbum est, verum idem & humanitati maxime conveniens. Agnoscit id libri hujus Autor, ideoque ab initio statim, intempestivi rigoris invidiam a se amoliturus, causas indicat, quibus propositum suum tueatur. Veritum se esse dicit, *primo* ne silentium ad Apologiam pro fuga Pastorum ex Gallia, non ita pridemeditam, eo ab adver-

adversariis Reformatæ religionis traheretur, quasi totum Reformatæ Ecclesiæ corpus ejusdem cum Apologista sententiæ esset, & vincula, Pastorum officium adstringentia, plus justo laxaret; deinde ne evenientibus paribus casibus, alii Pastores exemplum Gallorum imitandû sibi proponerent, & rationibus ab Apologista adductis desertionem gregis sibi commissi defendi posse existimarent. Testatur tamen, se fugitivos illos ita respicere, ut ex infirmitate peccaverint, neque ideo commiseratione & auxilio, quod apud exteros invenerunt, indigni sint. Optat ut pensiones, quas nunc ab iis, a quibus recepti sunt, obtinent, prænumeratas accipiant, & ad prædicandum sub cruce Evangelium in Galliam redeant.

Liber ipse tribus constat partibus, ad exemplum *Apologiæ* quæ refutatur. Hanc fatemur ad nos nondum esse perlatam; putamus tamen ex illis, quæ ex ea a Censore referuntur, statum quæstionis, quibusq; argumentis disceptetur, satis pro instituto nostro explicari & intelligi posse. Præfatur Autor censuræ in *parte prima* iterum de intentione sua, & quod minime nocere cupiat exulibus, cum culpam ex infirmitate commiserint, quam forte alii in eodem periculo constituti non magis evitassent. Autorem etiam Apologiæ ab eruditione aliisque dotibus non parum laudat, facturus id, ut innuit, apertius & prolixius, nisi vereretur gravem se illi futurum esse, qui latere malit, quam elogiis, licet bene meritis detegi: ad suum vero nomen reticendum causas idoneas sibi esse asserit. In prima hac parte brevis est, cum non multum discrepare se dicat in narratione & judicio de persecutione, contra Reformatos Gallos excitata & peracta. Erratum esse a Pastoribus, cum ipso Apologista observat, quod motam ab initio particulariter adversus cœtus persecutiones, non satis ad animum revocaverint universi, & vafritie se decipi passi sint, quia adversus se nil duri statuebatur, etsi cœtibus variæ inferrentur injuriæ. Putat igitur, si Pastores pro cœtibus sese satis animose opposuissent, & consilia junxissent, multa non fuisse secutura, quæ secuta sunt, dum persecutores viderent, singulos, eosque maxime qui zelum quendam ostendebant, a reliquis, tanquam importune repugnassent, argui ac deseri. Hoc modo per octodecim aut viginti annos afflictas fuisse unam Ecclesiam post aliam; dein periculum factum esse in subversione integræ *Picto-*

num provinciæ, ut & postea *Vivaretensium*. Quod vero tunc non statim contra reliquas vis adhibita fuerit, in causa fuisse putat Autor, quod tunc Angliæ Rex *Carolus II* adhuc vixerit, qui illam sævitiam æquo animo laturus non fuisset. Describit inde artificia Aulæ Gallicæ in mittendis Legatis aliisque emissariis, qui in exterorum aulas perrepentes, falsa persuasione, per multas calumnias, Reges & Principes eorumq; ministros implerent, ac si non ob religionem sed ob rebellionem, aliaque crimina in Reformatos animadverteretur; unde factum esse ait, ut initio persecutionis exules parum aut nihil præsidii invenerint. Singulari autem Dei bonitate evenisse, ut erumpente postea universali illa persecutione, consilium Aulæ & Cleri patesceret, & exterorum mentes ab omni cunctatione in recipiendis profugis, & maxime Pastoribus, tanto numero adventantibus, liberarentur. Ad extremum autem illum rigorem descendisse persecutores, cum in Anglia regnare Jacobus cœpisset, Pontificiis sacris addictus.

Parte secunda iterum in multis consentit Autor cum Apologista; dissentit in sequentibus. Defendit tractatum sub titulo *Epistolæ captivorum quorundam in Gallia* editum, quem Apologiæ Scriptor reprehenderat, injustas captivorum illorum querelas de fuga Pastorum esse statuens. Censor itaque justas esse pronuntiat, licet non neget, Pastores fuga illa sua confessionem veritatis edidisse, quosdam etiam martyrii quandam speciem subiisse, carcerem nimirum aliaque mala, antequam exirent, passos, eoque ipso commiserationem & beneficentiam apud exteros meritos. Improbat inde methodum Apologistæ, quod præjudiciorum allegatione prius, quam rationum deductione, fugam Pastorum excusare annixus sit. Ostendit ergo diversitatem casuum, quos Apologista de fuga ex sacris literis aut historia veteris Ecclesiæ allegaverat, a Pastorum Gallicorum recessu, eosque non obstantibus mandatis regiis obligatos fuisse decernit, ut occulte in Gallia remanerent, vestitu mutato latebras quærerent, interdiu latitarent, noctu prodirent, fideles visitarent, aut si alloqui eos non liceret, literis aliisque, quibus possent, modis erigerent & consolarentur, & fidem officii sui præstarent, licet id sine periculo fieri nequiverit; hoc enim evitari tandem a fidis Pastoribus non debere. Occurrit objectionibus

bus

bus Apologistæ, quod multi cœtus jam defecissent, nec Pastores suos amplius agnoscerent, neque exempla constantiæ deessent, quibus confirmari, qui sequi vellent, potuissent: modos enim nihilominus superfuisse, & obligationem mansisse arbitratur, quæ Pastores a fuga retineret. Capitalem itaque errorem esse pronuntiat, quod mandato regio paruerint, & cœtus suos regnumque deseruerint. Illustrat ista similitudine a ducibus & præfectis militum, copias suas etiam fusas & fugientes revocantibus & colligentibus. Regio vero jussui divinum opponit præceptum, cui magis parendum fuerit. Imputat hic Pastoribus aliam timiditatem, quæ ultimam persecutionem præcessit; obsecutos enim esse nimis facile mandato regio, quo vetabantur contra religionem Romanam & Regis sui concionari, indeque ausos amplius non esse, ut superstitionem & idololatriam nominarent abusus Pontificios, quo tamen elencho Reformatores primi mascule usi erant, & sic populo illorum abominationem inspiraverant. Dum ergo sive per metum, sive quod delicatiori & ad seculi mores composito ingenio essent, veterumque magnanimitatem, ut horridam & rudem fastidirent, a mascula refutatione abstinerent, plurimos auditorum emollitos fuisse, ut accedentibus scriptis Episcopi Condomensis, & formulis a Clero callide præscriptis, quibus controversiarum tractatores utebantur, tanto facilius in apostasiam laberentur. Non minus improbat obsequium, quod regiis edictis præstiterunt, quibus vetabantur in cœtus suos recipere relapsos, monachos, Judæos, Paganos, tandemq; omnes Catholicos. Incubuisse iis putat, ut destructis licet templis, secretos conventus instituissent, titubantes confirmassent, ægrotos visitassent, & nihil omisissent eorum, quæ ad salutem auditorum pertinebant, Verum jamdudum ad obediendum assuefactos, & molestias refugientes, etiam ultimo mandato promte nimis paruisse, cum tamen extrema potius expectare & pati debuissent; frustra itaque jactari, quod divina providentia periculo mortis subtracti fuerint. Destruit inde excusationem, quod cœtus jam ante Pastorum abitum defecerint: coacte enim id fecisse ait, & reduci ad veritatem potuisse. In fine laudat, quæ Autor Apologiæ adversus *Brueysium* scripsit.

In *tertia parte* argumenta, quibus fuga Pastorum defenditur,

prolixe examinat. Nihil tamen peccasse fatetur eos, qui vi & additis satellitibus ex regno educti sint; sed eorum exiguum numerum fuisse existimat: plerosque enim, ut jussi erant, prompte cessisse, & commeatus literas ultro & acervatim petiisse, ne rebellionis crimen incurrerent; id tamen frustra metuisse, cum jubenti, quæ Deus prohibet, impune & absque rebellionis culpa non obediatur. Longa inde sequitur disputatio de dicto Matth. X, 23. quo fuga Apostolis a Christo permittitur, & Joh. X, 12. quo eadem prohibetur. Examinantur primum, quas Apologista adduxerat, interpretationes Patrum, Tertulliani, Athanasii, Augustini, Origenis. Horum quosdam rejicit Autor, alios pro se facere statuit. Contrarium fere in omnibus asserit, & operose demonstrat; exempla etiam expendit Moysis ex Ægypto, Eliæ Jezabelem, Sacerdotum Antiochi sævitiam fugientium; tum ex Novo Test. ipsius Christi & Apostolorum; denique ex historia Ecclesiastica Polycarpi, Cypriani, Gregorii Neocæsareensis sive Thaumaturgi, aliorumque; nihilque ea omnia ad culpam Pastorum minuendam facere decidit. In explicatione dicti Matth. X, 23 multus est, ut omne, quod in eo pro excusanda fuga a Pastoribus quæritur, præsidium eripiat. Allegat Patrum sententias, qui dictum illud Christi temporale fuisse statuant, ad primam missionem restringendum. Refutat itaque Apologistam, qui existimat, id etiam ad successores Apostolorum pertinere. Notari inprimis vult, quod Apostoli in aliam civitatem fugere jussi, idem subierint persecutionis periculum; cum Pastores fugientes omne discrimen vitent, & a munere suo plane desistant. Peccasse etiam dicit Apostolos, cum Christum captivum desererent, & Petrum ob temeritatem culpari, quod suis fideret viribus, non vero quod fugam cæterorum non esset imitatus. Confirmat dicta testimonio, quod adscribit, *Calvini* & *Musculi* ex Reformatis; item *Cornelii* a *Lapide* ex Romano-Catholicis; *Wolzogii* ex Socinianis; ideoque nihil minus probabile esse ait, quam quod Christus illo dicto fugam Apostolorum jubere aut approbare voluerit, sed potius quod continuationem laboris sui illis injunxerit, etsi ex uno alteroque loco expellerentur. Respondet dein ad ea, quæ Apologista regesserat ad dicta Christi Joh. X. de fuga mercenarii: rejicit, quam is attulerat, restrictionẽ, quasi Christus, ea dicens, casum præsupposuerit,

quo

quo Deus Pastori sufficienti evidentia voluntatem suam manifestaret, mortem ei pro grege obeundam esse; nec minus in censuram vocat, quæ de boni pastoris & mercenarii characteribus commentatus erat, suamque de iis sententiam luculenter exponit, & adducto Calvini loco corroborat. Quamvis vero non neget, dari casus, quibus Pastoribus fugere liceat, & quosdam ipse exponat, concedere tamen generatim non vult, sat graves fuisse, ob quas Pastores Galli aufugerint, & conditiones quibus fugam illam Apologista defendit, omnes rejicit & enervat. Excipi nihilominus aliquos posse existimat, qui ante motam gravem illam persecutionem, & personalem maxime insectationem, abierint, aut qui senio vel morbis fracti officio suo, clam præsertim & moleste exercendo, superesse non potuissent. At reliquos ætate & viribus valentes nequaquam excusat, & si hic casus, qui in Gallica persecutione accidit, Pastores ad manendum etiam cum vitæ periculo non obligaverit, nullum excogitari posse arbitratur, quo doctrina illa Christi *Joh. X.* locum habeat. Laudat quendam *Fulcranum Rejum*, quem illustrem martyrem vocat, ejusque historiam typis vulgatam esse notat. Repetit quædam in præloquio dicta, & de sua infirmitate, quibus rigorem emolliat. Denique ad reditum in Galliam exules adhortatur.

DEFENSE DE L' APOLOGIE POUR LES Pasteurs de France. i. e.

Defensio Apologiæ pro Pastoribus Gallis, adversus Librum cui titulus est: *Judicium integrum &c.*

Francofurti, apud Johannem Cornelium, 1688, in 12.

AUtor Apologiæ pro Pastoribus ex Gallia profugis, adeo non a sententia sua dimoveri se passus est scripto illo, quod modo retulimus, ut potius ad eandem tuendum fortius insurrexerit. Palma utiq; inter viros, ut apparet, paribus viribus congressos, in medio posita est. Agnoscit quidem Defensor in præloquio, duriorem sibi conditionem incumbere, cum proniores plerique omnes ad accusandum, aut accusationibus & satyris credendum, quam ad excusationes accipiendas esse soleant. Fortassis tamen a suis partibus non pauciores habiturus est, omnes puta, qui mitiorem senten-

tiam in dubiis casibus rigori præferunt; tum quia rem ita repræsentat, ut conceptam adversus Pastores sequiorem opinionem non parum diluisse videatur. Refert, tres Pastores post revocationem edicti Galliam pervagatos esse, neque tamen ullum ex iis, qui Reformati fuerint, invenisse, qui de fuga Pastorum quereretur. Dein utut vestitu mutato, alioque modo summe elaboraverint, ut laterent, cognitos tamen & captos, atque ex regno, additis custodibus, eductos fuisse, ægre evitata ad triremes damnatione; frustra vero toto illo tempore laborasse, ita ut nec unum ad religionem abjuratam denuo convertere potuerint. Addit, Pastores alios ne a suis quidem gregibus tutos fuisse, quo minus regiis executoribus, antequam abirent, proderentur. Memorabile est quod narrat, quinque aut sex ante abitum Pastorum mensibus consultatum fuisse Lutetiæ, quomodo Ministerium Reformatum in regno conservari posset, & judicatum fuisse, requiri (1) Pastores, qui vellent & possent remanere; (2) media ad eos sustentandos; (3) cautelas, quibus observatis latitare, & per provincias loca subinde mutare possent, ne deprehenderentur; (4) administratores pecuniæ ad eos alendos destinatæ; (5) modum commercii literarii de loco in locum instituendi. Ad priora quatuor, inventa esse consilia & media sufficientia, sed quintum nullatenus expediri potuisse: aut enim non fuisse, qui id onus suscipere vellent, aut non idoneos, aliquos etiam suspectos fuisse, ita ut nihil concludi nec effici potuerit. Unde judicari posse existimat, si ante revocationem edicti præstari non potuerit, ut parvus aliquis Pastorum numerus in regno conservaretur, quæ securitas speranda fuerit post publicatum Regis mandatum, & distributos per totum regnum milites, secutamque universalem omnium consternationem, sublata denique omnia ad sustentationem media. Non dissimulat tamen, mutatam esse aliquatenus post annos duos rerum faciem, ita ut si nunc de reditu Pastorum quæratur, aliter forte decidi possit. Optasse ideo se, ut illis qui in Gallia nuper denuo cœtus facere ausi sunt, sapientes quidam & moderati viri adessent, quorum consilio tutius & cautius agerent. Post præfationem alia sequitur admonitio de epistola pastorali, haud ita pridem a viro, quem non nominat, sed a navata dudum ad ædificationem & consolationem Ecclesiæ opera commendat, edita

edita, in qua media sententia proponatur. Hanc quidem non improbat, licuisse tamen sibi putat ulterius progredi, & cum Autor epistolæ concedat, mansionem Pastorum in Gallia impossibilem & inutilem fuisse, apertius pro exulibus pronuntiare. Hæc & alia in præfationibus leguntur.

Liber ipse, qui duplo major est, quam is cui opponitur, *septem partes* habet, quarum contenta pag. 9. & 10. paucis referuntur. In *prima* scopus & labor Censoris, cui respondetur, generaliter consideratur, & ab initio reprehenditur, quod tam studiose nomen suum occultare voluerit, cum Apologista ita scripserit, ut non facile latere potuerit. Affectatum etiam ab adversario rigorem accusat, & quod majori specie, quam veritate & pietate, periculosa & præcipitia urgeat; dein quod singularem opinionem proponat, nulla necessitate aut vocatione, nulloque applausu, quem tamen Apologia invenerit; porro quod falso se integrum & extra partes jactet, incognitus tamen esse cupiat; quod statum quæstionis non recte intellexerit nec formaverit &c. Maximum disputationis in parte secunda Apologiæ (de prima enim parum controvertunt) momentum in eo ait versari, an Galli qui ad sacra Romana transierunt, justam causam habuerint, culpam in Pastores eorumque fugam rejiciendi. Hoc ab Apologista negatum esse; & a Censore vel tacite vel expresse idem fieri. Nec ad rem facere, quæ is contra tertiam partem scripserit, cum legitimam contradictionem non formet, & tandem multo verborum ambitu, idem quod Apologista dicat, fugam nempe quandoque licitam, quandoque vetitam esse. Imputat itaque ei perpetuam petitionem principii, dum statum Ecclesiarum Reformatarum in Gallia eum fuisse præsupponat, ut a præsentia Pastorum sustineri aut juvari utiliter potuerit.

Parte secunda imprudentiam Censoris culpat, quod reditum Pastorum in Galliam aperte suadeat, & promovendum illum commendet; cum eo ipso adversarios excitet, ut eum tanto diligentius præcaveant & impediant. Examinat quæ Censor de obedientia commentatus est, Deo potius quam hominibus præstanda, itemque de patientia, quam ab obsequio differre notat. Ignorantiam in factis adversario tribuit: ex ea enim fluere imputationem, quod Synodorum nationalium convocationem Reformati sua culpa omiserint:

ſerint: quomodo enim res illa ſe habeat, ex hiſtoria, in qua componenda laborari dicit, appariturum aliquando eſſe. Neque Angliæ res ſatis penetraſſe Cenſorem exiſtimat. Dudum enim conſilia illius aulæ a Gallicis dependiſſe, neque mortem Caroli II Regis ad Reformatorum cladem in Gallia conferre aliquid potuiſſe, cum eo tempore vix decem Eccleſiæ in regno ſuperfuerint, in controverſiam non vocatæ. Ita nec admittit, quæ de induſtria emiſſariorum Gallicorum in aulis exterorum retulit Cenſor. Aſſeverat potius, interitum Reformatorum in Gallia decretum fuiſſe, etſi nullus apud exteros Legatus regius fuiſſet, qui conſilia illa inſinuaret aut excuſaret. Præcipitatos eſſe cenſet ab Aula ultimos adverſus Reformatos inſultus, non ſine errore; quia non præviderint, tot homines regnum religionis cauſa deſerturos eſſe. Itaque ex ſuo ingenio de aliis improvide judicaſſe aulicos, qui nullum Numen quam utilitatem colant. Denique contemtum notat, quo Galli poſt concluſas cum Germanis, Hiſpanis & Batavis inducias, diſſolutasque eo ipſo æmulorum vires, omnes exteros tractaverint, iisque ſusque deque habitis, ad oppreſſionem Reformatorum feſtinaverint.

Parte tertia defendit Autor, quæ ad epiſtolam nomine captivorum in Gallia compoſitam, in Apologia animadverterat, & vulgare ſcriptorum vitium notat, qui perſonis, quarum nomine loquuntur, ineptos tribuunt ſermones, idque Autori epiſtolæ ſpeciatim exprobrat. Tuetur deinde methodum Apologiæ, quod præjudicia prius quam rationes allegaverit, eaque occaſione erudite de uſu & abuſu præjudiciorum differit. Docet inde amplius, quale crimen ſit deſertio gregis ſine juſta cauſa, & quod cum confeſſione veritatis conſiſtere non poſſit. Rejicit quæ Adverſarius de fuga Apoſtolorum tempore paſſionis ſcripſerat, eamque ab ipſo Domino juſſam aut approbatam fuiſſe monſtrat, qui eorum præſentia juvari, ut Defenſor opinatus eſt, nullo modo potuerit. Cum vero potiſſimum circa factum quæratur, an Cœtus Reformati præſentiam aut reditum Paſtorum deſideraverint, & per eos juvari potuerint, pluribus oſtendit, neutrum fieri potuiſſe. Triremium enim vel capitis pœnam omnibus Paſtoribus non abeuntibus interminatam & inevitabilem fuiſſe; ideo qui Paſtores retinerent aut revocarent, ad nullam ſuam utilitatem, ſed ad eorum præſentaneum

taneum exitium retenturos aut vocaturos illos fuisse. Parallelismum inde instituit inter veteres Christianos, quomôdo illi persecutionis tempore erga Pastores suos se gesserint, & inter Reformatos Gallos, eorumque erga suos affectus & actiones; quibus ostendit, quam parum a Cœtibus suis præsidii aut fidelitatis sperare potuerint, & quam injuste illi de absentia Pastorum querantur. Indicat speciatim, quo statu fuerint Ecclesiæ Reformatæ, cum Edictum Nannetense revocaretur. Destructa enim jam fuisse pleraque Reformatorum templa. Pastores eo usque in universum infestatos non fuisse, quanquam adversus quosdam particulares institutæ fuerint vexationes. Mutatum inde consilium Aulæ subito & ex impatientia fuisse, condito adversus Pastores edicto, idque anno 1682 demum factum esse, cum jam viginti per annos persecutio Ecclesiarum durasset. Versam itaque omnem iram in Pastores fuisse, omissis Cœtibus; omnium quæ edictis vetabantur, transgressiones Pastoribus imputatas, ita ut ad rationem de omnibus reddendam ipsi adstringerentur & condemnarentur. Ita Pastores vel in vinculis habitos, vel ad ea damnatos, vel in causa dicenda occupatos & ab Ecclesiis avulsos fuisse, cum milites in provincias ad exequenda regia jussa mitterentur; ita ut vix 40 Ecclesiæ toto regno superfuerint, quarum vel templa non diruta, vel Pastores iis, quos retulit, modis non remoti aut impediti fuerint. Nullam vero Ecclesiam, ne unam quidem, a Pastore suo sponte desertam fuisse, quamdiu is aliquid, quod proficeret, agere potuerit. Quocunque autem milites venerint, a captura Pastorum, quos præsentes deprehendebant, initium factum esse, ita ut cœtibus suis plane essent inutiles. Antequam etiam Pastores regno exirent, plus quam dimidiam Reformatorum partem jam pactam fuisse de transitu ad sacra Romana; imo etiam ante adventum militum provincias quasdam, terrore & metu præventas, conditiones obtulisse. Pastores neque in provinciis, quæ primum insultum passæ sunt, neque in reliquis, a cœtibus suis auditos, imo a visu, colloquio & hospitio remotos fuisse, ita ut qui humanissimi fuerint, blandis solum verbis sese excusaverint. Ad summam tandem mali accessisse illam edicti clausulam, qua privatis quies promittebatur, condemnatis solummodo Pastoribus & iis, qui vel minimum cultus religiosi actum exercerent; inde enim fa-

ctum esse, ut nemo eos amplius admitteret. Exploratores quoq; constitutos fuisse, qui cum Pastoribus colloquentes observarent, idq; pro crimine capitali habitum & punitum fuisse. In eo itaque statu omnes fuisse, ut aut jam succubuerint persecutioni, aut a Pastorum accessu destituti cruciarentur, aut ad transigendum festinantes omne cum Pastoribus commercium vitarent. Quosdam denique edicto fidem habentes, sperasse, si a Pastorum consortio abstinerent, fore ut quieti tolerarentur; itaque etiam eos, qui postea insignia constantiæ exempla ediderunt, aspectum & colloquium Pastorum fugisse. Hæc prolixius recensemus, tum ad cognoscendum persecutionis ingenium, tum quia fatendum est, quæstionem in facto potius quam in jure versari. Ex his enim concludit & pluribus deducit Apologista, præsentiam Pastorum neque necessariam, neque utilem, neque possibilem fuisse, quicquid censores de constantia & perseveratione declament. Applicat hic exemplum S. Cypriani, & ex ejus epistola VII locum memorabilem adscribit, quo hoc ipsum genus persecutionis morte pejus, quod Gallorum dimachi exercuerunt, nervose repræsentat; dein ad objectiones & comparationes Adversarii prolixe respondet. Tangit etiam, quæ is objecerat de nimis prompta paritione ad regia edicta, in omittendo elencho Romanorum abusuum. Notat ipso edicto Nannetensi dudum provisum fuisse, ut modestia in concionibus uterentur, neque motus in populo excitarent: interim tanta severitate a Pastoribus errores, non obstante prohibitione, taxatos fuisse, ut eo nomine plerique ad tribunalia tracti fuerint & pessime vexati. Monet etiam, non omni tempore opus esse, ut veræ religionis doctores acribus increpationibus utantur, idque Christi & Apostolorum exemplo demonstrat.

Partis quartæ summa tantum capita, cum jam plus satis excreverit relatio, indicabimus. Respondetur hic cap. I. ad loca ex Tertulliano, de quibus Censor disputavit. Cap. II. de Athanasio agitur, cujus historiæ occasione notabilia de persecutione, per sexaginta millia in regno dispersorum militum adversus inermes exercita referuntur. Cap. III. Augustini dicta examinantur, & emendanda esse ostenditur, quæ jam senex non satis accurate hac de materia tradiderit. Plurima de natura persecutionis & officio Pasto-

rum

cum in ea vel sustinenda, vel fugienda, magna cum industria explicata hic invenient lectores.

Parte quinta ad alias Censoris observationes, & exempla ex historia sacra de Moyse, Elia, aliisque ex Vet. Test. tum de Josepho, ipsoque Christo & Apostolis, denique etiam de Patribus & Doctoribus quibusdam, ita respondetur, ut ostensa disparitate casuum, argumentationes Censoris ad fugam Pastorum condemnandam elidantur.

Parte sexta examen instituit Autor omnium, quæ Censor ad dictum Christi Matth. X. de fuga ex una civitate in aliam commentatus est: suam vero sententiam operose & evidenter proponit tueturque, ut Pastorum fugam licitam fuisse evincat. Quæ enim Christus Apostolis majoribus præsidiis instructis permisit, nulla ratione Pastoribus longe infirmioribus denegari posse contendit. *Calvini* etiam opinionem pro se interpretatur non minus, ac *Musculi* & *Corn. a Lapide*. Ad ea vero quæ ex *Wolzogenio* adducta sunt, eadem notanda esse dicit, quæ ad *Grotium*; hujus enim exscriptorem esse Socinianum istum. Tandem contradictionibus & paralogismis Adversarii id effici dicit, ut nullo tempore ac casu fuga permittatur. Transit inde ad examen dicti *Joh. X.* & imputationem enthusiasmi a se amolitur, eoque minime opus esse dicit in cognoscenda voluntate divina, quo casu fugere liceat. Sequitur ampla de characteribus mercenarii dissertatio, & concluditur, ex collatione utriusque dicti *Matth. X. & Joh. X.* statuendum esse, quod certæ sint causæ & conditiones, quæ fugam licitam aut illicitam faciant, ita ut nulla in divinis illis effatis contradictio admitti debeat.

Igitur *Parte septima* has ipsas conditiones sive circumstantias, quas in Apologia octo capitibus consideraverat, denuo stabilit, & refutatis quæ Censor opposuit, pluribus ostendit, distinctionem inter persecutionem contra personam Pastorum, & contra Cœtum, multis illusionibus subjectam esse, nullumque in hac quæstione usum habere. Irridet quæ de permissa senibus infirmis fuga concesserat Adversarius, & vana esse dicit, nisi jure divino fuga permissa sit; multoque probabilius dici posse, senes & infirmos quod restat vitæ in discrimen mittere debere, quam juvenes & validos, qui ad meliora tempora reservare se possint. Sic etiam ad præsup-

posita Censoris reliqua habet, quæ regerat, ostensurus eum nec facti notitiam accuratam habuisse, nec casus, ut revera erant, proposuisse, neque jus & censuram justo & debito modo applicasse. In epilogo de reditu Pastorum vota potius concipit aut ominatur, quam decernit, & divinam vocationem ex temporum & rerum facie, & conscientiæ dictamine æstimari debere monet. Confundi non vult quæstiones de fuga & de reditu: juste enim fugere potuisse, qui reditum injuste omitterent. Distinguendum esse præteritum & præsens tempus. Fugam Pastorum non pro desertione, sed pro suspensione, interruptione & dilatione ministerii haberi posse. Ex casibus particularibus particulares etiam decisiones nasci. Ita non omnes, qui fugerint, a se defendi; sed qui causas legitimas, suo judicio atque conscientia invincibiles, ad fugiendum habuerint. Sicut enim doceri non debeat, omni tempore aut occasione fugam licitam esse; ita nec docendum esse, nunquam aut nulla occasione esse licitam. Utramque igitur sententiam veram, & de ea consensum esse inter se & adversarium. Casus nimirum dari, quibus fugere liceat; dari quibus non liceat; id modo quæri qui sint illi casus, qui licitam aut illicitam faciant fugam. Ipse vero minime dubitat, statum in quo Pastores sexcenti versari sunt, ut vel ad mortem, vel pœnas morte pejores rapi se paterentur, aut, ut jussi erant, regno excederent, talem fuisse, in quo posterius facere, id est, fugere, & sese servare, fas & licitum fuerit; quanquam condemnare nolit eos, qui manserint & prius elegerint. Summam disputationis hanc repetit: (1) an permissum sit aliquo casu fugere? (2) An permissio hæc sit juris divini? (3) In quibus casibus liceat fugere? (4) An his casibus, in quibus Galli constituti erant, fugere licuerit. Horum 1. 2. & 4. affirmat Apologista; tertium distincte explicat, subjuncta tandem excusatione quadam, quod acrius responderit, & quantum in se est, finem litis aut facit aut optat.

ספר מנחת יעקב *SEPHER MINCHATH IA'KOBH*, i. e.

Liber (inscriptus) *OBLATIO JACOBI*, sive commentarius in *Torath Chattath* R. Mosis Iserles; authore R. *JACOBO* Josephi filio, Judice.

Pragæ, a. 449, i. e. Christi 1689, in fol.

An-

Annus agitur supra centesimum decimus septimus, quod R. *MOSES* איסרלש *ISERLES*, Synagogæ Cracoviensis antistes, ad plures abiit. Innotuit is literato orbi tergemino cumprimis opere, quorum uni שלחן ערוך *Schulchán Arúch*, alteri תורת העולה *Toráth Haolá*, ultimo תורת חטאת *Toráth Chattáth* nomen fecit.

De prioribus duobus non est, quod multa in medium afferamus. Liber autem postremo loco memoratus, ac metaphorico titulo TORATH CHATTATH, (*Legem sacrificii pro peccato* notante) exornatus, Juridicus est, agitque de *re* Judæorum *cibaria*. Is, si verba spectes, succincte, si res, fuse satis docet, quicquid circa *edenda & bibenda* miserrimæ genti, tot observatiunculis sibimet ipsi gravissimæ, sive licitum, sive vetitum habetur, idque juxta modernorum Judæorum Europæorum consuetudines potius, quam antiqua & sæpiuscule antiquata Talmudistarum decreta.

Prodiit hic liber *Cracoviæ* annis æræ contractioris Judaicæ 330. 337. 351. (h. e. annis Christi 1570. 1577. 1591.) *in quarto*; & cum R. *Petachja* additionibus *Hanoviæ* anno 388. Christi 1628. *in octavo*. Latet Pragæ *MSCtus* in eum *commentarius* vastissimus, tribus voluminibus constans, ab authore R. *Jom Tobh Lipmanno* תורת אשם *Torath Ascham* inscriptus, nobis ex R. *Schabbethai Strimeri* Sepher Siphté Jeschenim titulotenus notus. Dum vero hic cum blattis tineisque conflictatur, ac mole forte sua typographos a sumptibus faciendis absterret, eopse loco ipse R. Moses Iserles in lucem iterum protruditur, stipatus scholiis satis perspicuis *R. Jacobi Josephi F. Jacobi N.* Judicis, (*Bambergensis* nempe, uti ex *Responso* primo patet,) qui & voluminis hujus *priori* parti, (*Torath Chattath* cum scholiis complexæ,) nomen MINCHATH JAAKOBH, *Oblationis Jacobi*, omnium optime convenire judicavit.

Excipit hanc pars *altera*; verius *mantissa* vel *supplementum* dicenda, tituloque תורת שלמים *Torath Schelamim*, (Legis sacrificiorum completoriorum,) insignita. Videas hic consuetudines bene multas circa fluxum mulierum menstruum, ex alio *Mosis Iserles* opere, *Schulchan Aruch* dicto, transscriptas; itemque varia circa cibos dubia, maximam partem ex R. *Schabbethai Ben R. Meir* Siphté Cohén deprompta. Utrisque scholiis suis non temnendam

lucem fœneratus est *Jacobus* noster, qui &, superpondii loco, *octodecim* adjecit de diversis Juris Judaici materiis *Responsa*, quæ ad magni nominis Rabbinorum quæsita reposuit.

JOHANNIS DEKENI E SOCIETATE JESU Observationes Poeticæ exemplis illustratæ. Editio altera auctior & emendatior.

Antvverpiæ, apud Michaelem Cnobbarum, A. 1688. in 8.

QUi in re poetica eximii quid elaborare discupit, is non nativa tantum ad poetandum propensione, sed lectione quoque optimorum Poetarum, Maronis puta, Horatii, Nasonis, Catulli, Tibulli, Propertii, aliorumque id genus, instructus sit oportet. Habet enim simile quid Poesis cum re pictoria, statuaria & architectonica. Ad harum vero peritiam non trivialem acquirendam necesse est in laudatissimorum pictorum, statuariorum atque architectorum operibus observari tum dispositiones concinnas, tum apta personarum lineamenta, ut ad exemplaria videlicet proposita imagines pulcherrimæ, vivæ pene statuæ, & ædificia plane Dædala efformari ab hujusmodi artium sectatoribus queant. Quod autem rem poeticam attinet, prudentia quadam opus est in annotandis illis, quæ in optimorum Poetarum carminibus lectitantur. (Neque enim sufficiunt solæ phrases poeticæ ex illis collectæ seu Loci, ut vocant, communes.) Qua cum plerique adolescentes ad Poetas legendos ablegati destituantur, clarissimus atque in lectione optimorum Poetarum per septuaginta annos versatus Auctor accendere illis facem in his observationibus poeticis voluit. Divisit autem eas in quatuor partes. Prima agit de Amplificatione poetica, quæ varia complectitur capita, eaque ex loco inventionis & aliunde petita. Caput I exhibet descensum ad singularia, adeoque & distributionem generis in species, speciei item in individua & totius in partes; II Enumerationem antecedentium, causarum & consequentium seu effectuum; III Descriptionem temporum, locorum, rerum, personarum; IV Egressionem longiorem & breviorem; V Epithetum, & quæ ejus vices subeant; VI Adjuncta seu rem circumstantia; VII Collationes & comparationes; VIII Inductiones; IX Synonymorum

morum congeriem. X Periphrases; XI Mutationem rerum; XII Narrationem & expositionem; XIII Invocationes Deorum ac Dearum; XIV Sermocinationes seu orationes longiores ac breves; XV Prædictiones; XVI Figuras, præsertim sententiarum; XVII Fictiones poeticas; XVIII Carminum variorum artificium, e. g. epithalamii, genethliaci, panegyrici, epinicii, dirarum seu imprecationum, votorum, propemptici, soteriorum, epicedii & eclogarum. Pars II tractat de iis, quæ affectus movent, ut sunt, amor, desiderium, odium, commiseratio, gaudium, dolor & tristitia, invidia, ira, audacia, timor, pudor, spes & desperatio; quibus annectuntur omina bona & mala. Pars III continet ea, quæ delectabile & amœnum poema reddunt, ut sunt, acumina, allusiones, sensibus grata, errores, inscriptiones, imitationes concinnæ, numeri seu pedes metrici elegantes & cum natura convenientes. Pars IV complectitur ornamenta poematis, ut sunt figuræ poeticæ, tropi, formulæ & particulæ poeticæ, (quarum index statim quoad titulos & materias subnectitur) modi loquendi singulares, sententiæ, & ritus antiquorum, Romanorum inprimis, de quibus Autor in fine libri Joh. Kirchmannum de funeribus Romanorum, & Joh. Rosinum de antiquitatibus Romanorum cum additamento Dempsteri jubet consulere. Additus est libro Index specialis partium, capitum & paragraphorum. Quodsi judicii quid nobis de hoc libro sit exponendum, non dubitemus eum libris aliis de re poetica scriptis non æquare tantum, sed & nonnullis anteferre, præsertim cum non alia ubique exhibeat exempla, quam ex optimis Latinorum poetis, Virgilio inprimis atque Ovidio, depromta. Sed liber seipsum legentibus & intelligentibus sat approbabit.

EMANUELIS KOENIG PHILOS. ET MED. D. Basil. Regnum Vegetabile &c.

Basileæ, apud Eman. & Joh. Georg. König, 1688, in 4.

QUod ante novem hos annos publici jam juris celeberrimus Auctor fecerat, *Regnum Vegetabile*, distractis dudum exemplaribus, denuo superiore anno edidit, sed altero tanto auctius, ac Remediorum e triplici Regno Selectu juxta normam Pharmaciæ Ludovicia-

dovicianæ, aliaque Appendice locupletatum. Itaque non ingratum fore Lectori Benevolo existimavimus, si brevissima elegantissimi & utilissimi hujus operis recensio hoc loco institueretur. Continentur autem integro libro 53 capita, quorum prioribus tribus de nomine, definitione & divisione agitur; mox IVto anima vegetans in spiritibus volatilibus maxime subtilibus, mobilibus, & expandi semper nitentibus fundata, cum facultatibus suis, nutrice, auctrice & generatrice, enucleatur, ita tamen ut hæ ad particularum & pororum varias modificationes, ratione figuræ, situs, magnitudinis, motus &c. referantur. Dum vero cap. Vto nutritio vegetabilium exponitur, contra Helmontium, Boyle, Borellum &c. negatur, aquam solam pro nutrimento eorum inservire posse; quin potius salinum & nitroso-volatilem 'esse liquorem illum balsamicum, qui nutriat, ac aeris in isthoc negotio elasticæ vi tribuendum esse plurimum, pluribus asseritur. Augmentationem & durationem plantarum contingere pro contenta in illis principii nitro-salini vel copia vel paupertate, cap. VI. probatur, & hinc VII. ætates illarum, quo scilicet anni tempore singulæ germinent, floreant, fructus ferant, durent, in crassitiem mirandam excrescant &c. colligendas esse Cl. Auctor arbitratur. Cap. VIII. morbos vegetabilium, comparatione cum morbis animalium instituta, simulque quorundam curam explanat. Sic v. g. steriles arbores scarificatione reddi fertiles: vulnera plantarum emplastris curari, ut emphyteutico Laurenbergii &c. A morbis autem vegetabilia præservari posse per sedulam culturam, cap. IX. tradit; quo refert transplantationem, resectionem, tonsuram, irrigationem, locum seu solum, & tandem aerem. Hinc cap. X. & XI. seminis naturam pervestigat, non solum qua ratione in novam se explicet plantam, sed & quibus in specie partibus constet, involucris nimirum variis, & ipso corpore, resuscitationem plantarum ab aliis assertam simul quoque memorans. Mox cap. XII. propagandi modos per inoculationem & insitionem, eorumque rationes tradit, Kircherum simul allegans, qui fructus non tantum alimentarios, sed simul medicinales, v. g. proprietate laxandi, vi somnifera imbutos producere doceat, nec non Tonge Anglum, qui sanguinei coloris pyra insitione surculorum pyri in morum enascentia memoret. His cap. XIII. sponte pro-

te prodeuntium exortum, & qua ratione una planta in aliam, v. g. sisymbrium in mentham, hordeum in avenam &c. degeneret, exponit. Quemadmodum vero hactenus tradita ad animam vegetantem, ejusdemque facultates & operationes spectare arbitratur: ita nunc in sequentibus alteram totius essentialis partem, corpus nimirum, perquisiturus, illud cap. XIV anatomice & chymice considerat. Scilicet organicum esse corpus plantarum, variaque in illo, sicut in corpore humano peragi, ut v. g. circulationem succi nutritii, velut sanguinis in homine, celeberrimi Malpighii experientia potissimum comprobat. Igne autem reclusum corpus in spiritus volatiles, sulphur, sal, aquam & terram reduci, fusius declarat. Cæterum tribus insequentibus capitibus XV, XVI, & XVII divisionem corporis plantarum proponit, partesque tum similares, ut fibras, nervos, venas, carnem, medullam, lignum & corticem; tum dissimilares, ut radicem, caudicem, ramos, folia, flores & fructus, quidve circa singula notatu dignũ examinat, subjiciendo statim c. XVIII plantarum partes, quas excrementitias vocant, nec tam partes, quam partium vitia notantur, v. g. in robore gallæ, in cynosbato spongiolæ &c. Quemadmodum vero cap. XIX species vegetabilium seu plantarum commodissime dispesci putat in herbas & arbores: ita cap. XX ex innumerabili fere copia, notissimas & usitatissimas plantas, earumq; nomina generaliora quasi in horto duodecim pulvinis instructo, ob oculos ponit. Simul autem Morisonii methodum, qua a seminum forma, ceu potissima herbæ parte, character proprius earum ac naturalis deducendus, in totum non valere asserit. Porro cap. XXI de horti continuo virentis adornatione ex Laurembergio potissimum & Hiebneri Horticultura breviter tradit, annectens statim cap. XXII modos colligendi, exsiccandi, & conservandi plantas, ita ut pro herbario vivo inservire queant & in usum Medicum rite vocari: in quo negotio ad astrorum constellationem respiciendum quoque esse, cum aliis arbitratur. Cum vero collectæ studio plantæ non adhiberi facile soleant crudæ, præparationem illarum variam in aquas destillatas, spiritus, tincturas, sirupos, extracta, elixiria, olea, salia & pulveres, cap XXIII subdit. Mox quinque aliis capitibus, XXIV ad XXVI I usque, sapores pervestigat, partim simplices, ut acrem, acidum, pinguem, salsum,

austerum, dulcem, amarum, insipidum; partim compositos, ut acido-dulcem, v. g. in tamarindis; dulc-acrem, v. g. in aromaticis plerisque; acido-salsum, ut in salibus essentialibus. Singulorum naturam, modum efficiendi & vim pluribus deducit, respiciendo plerumque ad particularum variam dispositionem. Sic, ut vel unicum exempli loco huc trahamus, acidum describit, cujus particulæ sint tetrahedricæ, (scilicet cuspide tereti & acuta, & dein corpore instar cunei majorem in molem acuto constantes) adeo, ut quovis modo applicatæ sensorio, hoc pungant, & comprimendo nonnihil constringant, ac propterea foveas & incisiones ampliores, quam quodvis aliud sapidum in ipso relinquant. A saporibus ad odores procedit, eosque cap. XXIX & XXX tam in genere, quam in specie fragrantium & suaveolentium nomine declarat. In sequentibus vero 3 capitibus, XXXI scilicet, XXXII & XXXIII, colores plantarum evolvit, divisionem in veros & apparentes cum Regio explodens; aliam vero in extremos, album & nigrum, & intermedios, ut viridem, flavum, cæruleum, rubeum, quos ordine explicat, adducens. Quibus missis figuram cap. XXXIV quoque intuetur, ex qua vel sola plantarum naturam, & cui in corpore humano parti inserviant, innotescere posse, Theophrastus tradidisse fertur. Verum cum illa, quam dicunt, signaturâ semper quicquam certi comprehendi non valeat, ideoque illam Helmontius ludibrio habeat, media incedendum via clariss. Auctor arbitratur, ita ut non in universum omnibus, sed quibusdam saltem, v. g. radici satyrionis ob figuram suam testiculos confortandi vis, pulmonariæ quercinæ pulmonibus opitulandi virtus &c. assignetur. Tandem ad qualitates tactiles cap. XXXV progreditur, adeoque densitatem, raritatem, duritiem, mollitiem, &c. cum superficie hirsuta, pilosa, angulata, laciniata expendit, annexo hinc cap. XXXVI modo cognoscendi vires vegetabilium. Cum vero hæc vel nutriant, vel alterent, vel venenum exhibeant, idcirco singula separatim pertractaturus, primo cap. XXXVII ad considerationem esculentorum & potulentorum e vegetabilibus descendit, mox cap. XXXVIII medicamenta, eorumque operandi modum in genere explanat, existimans non in qualitate ulla absoluta, sed in corpusculis minimis virtutem plantarum esse positam, quarum diversitas a diversa succi nutritii percolatione fiat. Cum

vero

vero juxta veterum doctrinam qualitates primæ, pro varia sui mistione, secundas pariant, & pro diverso effectu varia nomina sortiantur, quatuor capitibus illorum mentionem injicit. Sic cap. XXXIX anodyna, maturantia, attenuantia, abstergentia, discutientia, digestiva, vesicantia &c. tanquam a caliditate emergentia memorantur; sicut cap. XL a frigiditate incrassantia, repellentia, astringentia, narcotica; cap. XLI ab humiditate emollientia, laxantia, attrahentia, & cap. XLII a siccitate sarcotica, conglutinantia, epulotica, vulneraria. Quemadmodum vero a primis & secundis qualitatibus tertiæ emanant: ita illas pariter enumeratas cap. XLIII videre licet, scilicet semen & lac augentia & imminuentia, diaphoretica, diuretica, vermes necantia. Cap. XLIV qualitates plantarum occultæ dictæ evolvuntur, quarum tamen vim omnem in accidentibus illis conjunctive sumptis, situ scilicet, figura, magnitudine, motu, quiete, a quibus corpora modificantur, diversasque sortiuntur qualitates, consistere clariss. Auctori videtur. Pergit inde cap. XLV ad purgantia & vomitoria, & utrobique excessum & defectum improbat, modo agendi simul explicato. Cap. XLVI apophlegmatisantia, errhina & sternutatoria exponit, sicut cap. XLVII de vegetabilibus alexipharmacis agit, quæ cum clariss. Wedelio triplicis generis statuit. Cap. XLVIII remedia splanchnica seu appropriata, ut cephalica, ophthalmica, otica, pneumonica &c. explanat, quorum vim in dubium vocatam sub certa tamen limitatione asserit. Cap. XLIX in magnetismum plantarum seu sympathiam & antipathiam inquirit, ac cap. L transplantationem morborum in certas arbores aut herbas ita rimatur, ut modos ejusdem varios, scilicet inseminationem, ut vocat, implantationem, impositionem, inescationem &c. simul memoret, & exemplis declaret. Cap. LI venena tangit vegetabilia, quorum antidota tam acida, ut acetum & succos acidos, quam urinosa nominat, non exclusis tamen vino & aqua fontana, sed hac largius sumpta. Caput LII de remediis contra veneficia & incantationes inscribitur; varios tamen præterea effectus magiæ naturalis recenset. Tandem cap. LIII de plantis neutris agitur, illis nimirum οὐδετέροις, quæ nec nutriunt, nec alterant, nec necant, nisi immoderate assumantur; quo frustulum li-

 gni,

gni, nucleos prunorum, cerasorum, lapides cornorum &c. relatos invenire licet. Atque sic brevi obtutu & quasi per transennam modo inspeximus hoc Regnum Vegetabile, quod magno rerum hinc inde insertarum pollet apparatu.

Cæterum Pharmacia Ludoviciana moderno seculo applicanda, cum selectioribus quibusdam, & facile parabilibus medicamentis, ut & observationibus aucta, hic annexa conspicitur. Cumque is liber, ut olim editus ab Auctore suo, tribus tantummodo dissertationibus, & parenthesibus attentionem Lectoris hinc inde nimium morantibus, alias constet, in sectiones nunc, articulos ac paragraphos distributus traditur. Sic Sectiones omnino novem continet, quarum I. purgantia quinque articulis includit. Art. 1. agit de purgantibus vegetabilibus, 2. de laxantibus, 3. de purgantibus externis, 4. de vomitoriis vegetabilibus, & animalibus, 5. de catarticis mineralibus. Singuli articuli suos sub se paragraphos complectuntur. Sect. II. diaphoretica, & quidem artic. 1. vegetabilia, 2. animalia, 3. mineralia exponuntur. Sectionis III contextus constat ex diureticis, lithontripticis, aliisque aperientibus ac detergentibus; hinc articulus 1 quæ ex regno vegetabili, 2. quæ ex animali, & 3. quæ ex minerali depromenda ostendit. Supervacaneum autem foret, si reliquæ materiæ pari ratione in sectiones, articulos atque paragraphos digestæ, nunc quoque recenserentur. Ipsa enim Ludovici Pharmacia manibus fere omnium teritur, ut quid in illa contineatur, latere queat neminem. Hoc tamen addidisse sufficiat, quod studio Auctoris clariss. haud parum illustrata lectionem omnino mereatur. Atque eandem laudem referunt quoque excusa simul annotata in librum celeberrimi Wedelii, quem de compositione medicamentorum extemporanea inscriptum ante decennium, & quod excurrit, in lucem emisit. Cachinno autem digni videremur, si illa scholia in scholiorum compendia huc transferre sustineremus. Quin ad perlustrationem ipsius scripti (haud pœnitebit operæ) lectorem, imprimis medicinæ studiosum, remittimus.

DELLA BIBLIOTECA VOLANTE DI GIO: Cinelli Calvoli, Scanzia sesta.

id est:

Biblio-

Bibliothecæ Volantis Johannis Cinellii Calvuli, Patricii Florentini, Academici Gelati & Dissonantis, Series sexta.

Romæ, impensis Francisci de Lazaris, 1689, in 8.

JOHANNEM CINELLIUM, *multis abhinc annis, vel ob editam* Bibliothecam Volantem, *docta per ora virûm volare*, superiori mense, cum *Vitam D. Hieronymi* abs eodem conscriptam, ad Eruditorum Acta referremus, p. 249 diximus. Nec immerito; cum in Diariis Eruditorum, *Parisiensi*, *Parmensi*, *Roterodamensi* aliisque, orbi literario universo commendatus fuerit. Edidit is hoc demum anno novam eamque *sextam*, ac (quantum ex præfatione Seriei tertiæ colligere licuit) ultimam *Repositorii* primi *Seriem*, quæ nuper admodum celeberrimi Magliabechii beneficio ad nos pervenit. Hinc ansam arripere, ac de optimo doctissimi Authoris instituto disserere quædam, non erit dividiæ.

Iniquum indignumque is ratus est, memoriam opusculorum mole exiguorum, cum judicio tamen, tersoque ac eleganti stylo scriptorum, incuria illorum intercidere, qui hactenus Bibliothecarum universalium catalogos scripto consignarunt. Quicquid igitur abhinc peccatum fuit, id omne peculiari opere corrigere quadantenus ac resarcire aggressus est. Opus illud, quod *Bibliothecam volantem* inscripsit, dispescitur in *Repositoria*, hæcque in *Series*, quarum quævis ordine alphabetico *Orationes*, *Epistolas*, *Disputationes*, *Apologias*, *Poematia* & id genus alia, sex ad summum plagulis constantia, cujuscunque sint idiomatis aut argumenti, una cum loco, anno & forma impressionis, recenset. In *Serie* hac *sexta*, (quæ septem omnino plagulis absolvitur,) *opuscula* videas trecenta, a ducentis viginti duobus *authoribus* exarata. Ex illis pauca speciminis loco adduxisse juvat:

Luem Veneream non esse morbum novum; Oratio, habita in Archilyceo Patavino d. 5 Nov. 1687. a Carolo Patino, *Equite D. Marci, D. Med. Paris. Primario Pract. extraord. Professore. Patavii 1687. ex Typ. Seminarii in 4.* pag. 26

Regola certissima e sicura per ritrovare i Semplici exotici più difficili a raccogliersi, ne luoghi più nascosi e per le montagne più aspre, nella pag. 101.

quale si insegna il vero modo di scavarli e di conservarli con la virtù e temperamento proprio per adoprarli a tempo à malori; Opera del Siculo Mascherato, *Botanico del gran Re del Magor, primo Satrapo dello stesso, e Soprintendente generale del suo giardino e delle materie medicinali. In Palermo per Pollocronio Malatesta 1682. in 4.*

pag. 50. *Osservazioni intorno à pellicelli del corpo umano, fatte dal* D. Gio. Cosimo Bonomo *e da lui con altre osservazioni scritte in una lettera. In Firenze 1687, in 4.*

pag. 36. *Oratio parentalis ad cenotaphium Illustr. & Excell. D. D. Helenæ Lucretiæ Corneliæ Piscopiæ, Patritiæ Venetæ, Philos. Laureatæ a P. D.* Francisco Caro *Cler. R. Congreg. e Somascha elucubrata; jussu sacri Collegii DD. Philos. & Med. ab Illustr. D. Campolongo Campilongio coram eodem habita in templo S. Justinæ PP. Casinens. Patavii, 1684, d. Julii 28. Typ. P. M. Frambotti, in Folio.*

pag. 24. *Le Machine artificiose di* Bertolino Ribelli da Braga, *nella quali s'insegna alla milizia il vero modo di travagliar con moto continuato il nimico, con molte sottili invenzioni per scagliar da lontano sassi, lanciar frecce ed altri arme offensive, per far furtivamente buon colpo, e nasconder l'ordigno col quale s'auventano per inquietarlo nel proprio allogiamento e quartiere. In Borgheria per Nearco Malingegni 1684, in 4.*

Neque vero solos titulos libellorum exscribit Cinellius, sed utplurimum elogia authoris addit, aliaque non indigna memoratu memoriæ prodit. Refert c. l. *Andream Peschiullium* poetam Italum hodienum superstitem, ipso *nonagesimo* ætatis anno versus scribere, sed adversissima fortuna uti. Tempore Urbani VIII in Agro Romano captum fuisse animal, quod *Salamandram* esse conjecerint Philosophorum ac Medicorum non pauci: In *Collegio* igitur *Sapientiæ* dicato animal illud igni satis grandi injectum, tantum humoris emisisse, ut ignem plane extinxerit ac vivum rogo excesserit; mox tamen alii igni impositum exspirasse. Vitam *Petri Lasenæ* a J. J. Buccardo conscriptam, ac nobis nuper p. 251 memoratam, bis Romæ impressam ait, annis nempe 1637 & 1666. *Paganinum Gaudentium* hoc epitaphium sibimetipsi scripsisse:

Rhætia me genuit, docuitque Italia, Roma

Deti-

Detinuit, nunc audit Hetruria cuncta docentem.
Sed cum hoc hæredibus ambitiosum nimis videretur, pro *cuncta*, in tumba sepulchrali Pisana, *culta* repositum fuisse narrat.

Pseudonymis non unis vera nomina restituit Noster, uti videre est *p. 32. l. 22. pag. 43. l. antepen. pag. 47. l. antepen. pag. 74. l. 22.* Felicissimum est anagramma *P. Finardi* Monachi Augustiniani a Cinellio obiter commemoratum:

ANTONIUS MAGLIABECHIUS.
IS UNUS BIBLIOTHECA MAGNA.

Sed hæc de libello hoc lectu jucundissimo sufficiant. Dedicatus est *Prospero Mandosio* Nobili Romano ac S. Stephani Equiti, a quo (post quinque Centurias Bibliothecæ Romanæ jamjam impressas) prelo parantur *Bibliotheca Romana pars secunda*, *Vita celebriorum Academicorum Humoristarum*, *Bibliotheca Equestris*, *Tractatus de Familiis Romanis.* Quæ universa æque avide expectamus, ac Cinellii *Scriptores Florentinos* toties promissos.

ACTII SYNCERI SANNAZARII OPERA LATINA OMNIA & integra. Accedunt Notæ ad Eclogas, Elegias & Epigrammata.

Amstælodami, apud Henricum Wetstenium, *1689*, in 12.

JAcobi *a S. Nazario*, seu quod nomen sibimet postea adscivit, *Actii Synceri Sannazarii*, Neapolitani quondam & Equestris quidem ordinis Poetæ excellentissimi, Opera multoties licet typis exscripta, disparere tamen in officinis librariis ab aliquo tempore cœperunt. Itaque bene de re litteraria meritus censeri debet Vir, quisquis est, (nomen enim suum studio profiteri noluit) doctissimus, qui novam hanc editionem adornavit, & ita quidem adornavit, ut Notis etiam suis quædam Sannazarii poemata, ut intelligi ab omnibus possent, illustraverit, perquam eruditis iis, & quas perlegisse neminem, ut arbitramur, pœnitebit. Quin & præmissa editioni huic elegans cernitur Præfatio, qua de Poeseos Latinæ fatis erudite disseritur, ac inter primos bonarum litterarum restauratores, post Franciscum Petrarcham & Johannem Jovianum Pontanum, Sannazarius noster merito laudatur. Præmittuntur etiam Epigrammata in Sannazarium, a doctissimis poetis diversis temporibus condita: sed ut aliorum quoque litteratorum de eo testimonia conquirerentur, opus non esse

Editor

Editor censuit, quod passim illa prostarent, nec limatissima ejus carmina ulla hedera indigerent. Et verum utique est, magno consensu inter felicissimorum Poetarum principes Sannazarium publicis quamplurimorum elogiis censeri; nec dissimulandum tamen, eundem nonnullorum sat acrem reprehensionem incurrisse, quod in tribus *de Partu Virginis* libris, quibus componendis summum studium omnemque vim ingenii annis viginti impenderat, profanius quam Christianum decet, res sacras tractaverit, gentilesque fabulas sanctissimis religionis nostræ mysteriis irreverenter miscuerit. Sed de his clarissimum *Bailletum* consuli malumus, qui in *Judiciis doctorum virorum de præcipuis Auctorum scriptis*, Tomi IV Parte III pag. 135. seqq. studiose undiquaque collegit, quæ vel ad laudem, vel ad vituperium ac censuram Poetæ nostri, litteris a gravissimis Viris consignata pertinent.

TRIUM FRATRUM AMALTHEORUM, HIERONYMI, Johannis Baptistæ, Cornelii, Carmina.

Amstælodami, apud H. Wetstenium, 1689, in 12.

EDita hæc doctissimorum Fratrum, qui in Italia seculo superiore floruerunt, Carmina Venetiis A. 1627 fuere, *Hieronymo Aleandro* curante. Novam vero hanc nitidissimamque editionem *Johanni Georgio Grævio*, viro celeberrimo, debemus. Hic enim, cum tantam in poematibus illis venustatem, leporem, cultum, Latinique sermonis splendorem deprehendisset, ut digna reputaret quæ ab omnibus legerentur, ac nosset tamen, in paucissimorum ea versari manibus; non solum auctor *Wetstenio*, viro integerrimo & harum litterarum minime experti fuit, ut una cum Sannazarii operibus, hæc etiam *Amaltheorum* carmina typis denuo excudenda committeret; sed & tum doctorum virorum de Fratribus hisce testimonia, tum Præfationem tersissimam libello præmisit. Inter carmina vero hæc, præcipuam laudem, Grævii exactissimo judicio, ea sibi vindicant, quæ *Hieronymum*, fratrum natu maximum, auctorem habent, quem *M. Antonius Muretus* etiam, in Epistola ad Dionysium Lambinum, omnium qui ea ætate vixerunt Italorum Poetam præstantissimum dixit: proximam, quæ a *Johanne Baptista*, qui ætate etiam Hieronymo proximus fuit, profecta sunt: minimam, nec nullam tamen, ea quæ *Cornelius* fratrum minimus reliquit. Quin vero vel sola tanti viri (*Grævium* innuo) auctoritas ad degustandas lautitias, quæ libello hoc proponuntur, omnes talium cupidos invitatura sit, nulli dubitamus.



ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Julii Anno M DC LXXXIX.

FRID. HOFFMANNI, FILII, D. MEDICI ELECT. Brandenburgici, Exercitatio Acroamatica de acidi & viscidi pro stabiliendis omnium morborum causis, & alkali fluidi pro eisdem debellandis insufficientia.

Francof. ad Moen. sumptibus Christ. Genschii, 1689, in 8.
Constat plagulis 5.

POstquam Medici Peripateticorum qualitates in phænomenorum explicatione insufficientes deprehenderunt, Chymia & Mechanica, tanquam solidiora fundamenta, licet non eadem ab omnibus methodo, adhiberi cœperunt. Non ignobilis initio videbatur doctrina, quam inprimis *Tachenius* & *Svvalve* de acido & alcali eum in finem profitebantur; sed tertium jam vertitur lustrum, ex quo cum a celeberrimi *Bohnii* nostri, tum Illustris *Boylei* arietibus ita concussa est, ut pauciores hactenus propugnatores obtinuerit. Verum ab eadem originem suam trahere videtur, variata licet aliquantum, hypothesis, quæ *Bontekoe* præsertim & *Blanckardi*, celebrium satis in foro medico nominum, auspiciis augmenta hactenus sumsit. Nimirum omnium morborum causam acido & viscido adscribunt, curationem ab alkali fluido exspectant. Etenim œconomiæ nostræ integritatem non tantum in congrua partium solidarum corporis conformatione, & convenienti fluidarum mixtura & motu, sed imprimis in utrarumque aptitudine & harmonia quæsiverunt. Hanc vero destrui asserunt, si humores fiant crassiores & viscidiores, adeoque canaliculos partium transire nequeant, & obstructiones aliaque mala producant; & contra unice conservari existimant, aut amissam restitui ab illis, quæ incidendo, attenuandove illorum fluiditatem procurant, adeoque sola ad obstructiones

referandas, & evacuationes juvandas conveniunt. Quare cum acida ſuccos noſtri corporis inſpiſſent, alkalia eosdem fluidos reddant, illa ex alimentorum pariter & medicamentorum numero proſcribunt, hæc vero, inprimis ſalia volatilia, potum infuſi theæ &c. unice commendant, & cuncta medicamenta purgantia, frigida dicta, &c. item venæſectionem, cucurbitulas &c. tanquam inutilia & noxia, cane pejus & angue fugiunt. Itaque ne in Scyllam incidamus evitaturi Charybdim, novorum ejusmodi principiorum pondus & robur curatius examinari oportuit. Suſcepit hoc in ſe laboris Frid. Hoffmannus, celeberrimi illius HallenſiumMedici, νῦν ἐν ἁγίοις, filius paternis veſtigiis preſſe inſiſtens, & recenſiti (cap. 1.) dogmatis (cujus auctores ſilentio præterire modeſte voluit) inſufficientiam erudito hoc ſcripto probare annixus eſt. Equidem tantum abeſt, ut ab acido multos morbos in corpore humano gigni, atque ſecretiones & excretiones naturales impediri diffiteatur; ut potius cum a natura bilem (quam alkali eſſe, adeoq; cum aqua forti efferveſcere, & ſyrupũ violarum viridem reddere affirmat) tanquam ſuccum laudabilem ad acidi correctionẽ concedi, tum Medicum eundem in finem alkalicis medicamentis vix poſſe carere (cap. 2.) ambabꝰ largiatur manibus. Siquidem nec infuſi theæ (quam ſalem medium, naturæ noſtræ non inimicum, poſſidere probat) moderatum uſum diſſuadet, (cap. 3.) effectum tamen potiorem aquæ calidæ, quod viſciditates corrigere, & ſalia hoſtilia evacuare apta ſit, aſſignans. Similiter enim cum aliis vegetabilibus, e. gr. cum rad. aſari, & ſem. fœnicul. in ophthalmia inveterata; cum herbis bezoardicis in febribus Hungarica & malignis aliis, propinatam eandem inſigniter profuiſſe aſſeverat. Nihilo tamen ſecius, ut, quod titulus promiſit, acidi & viſcidi in morborum ætiologia inſufficientiam demonſtret, alkalium medicamentorum dominatum deſtruat, & acidorum, frigidorum &c. genuinum uſum vindicet, id per plura capita in effectum dare laborat. Quamobrem quod nimia fluiditas æque ac viſciditas humorum œconomiam animalem evertat, imo alkalia venæ vivi animalis infuſa texturam eorum ad lethalitatem usque diſſolvant, volatilium abuſus hæmorrhagias, ſyncopen &c. inducant, theæ infuſum copioſius juſto hauſtum & requiſita ad vitalitatem noſtram conſervandam ſalia una cum ſuperfluis exterminet, (cap. 4. & 5.) per exempla edocet. Ut autem

autem porro ostendat, morbos etiam ab alkali, inprimis volatili oriri, humorum nostri corporis præcipuorum anatomen (cap. 6.) instituit. In sanguine igitur, saliva, &c. diversas, imo & acidas naturaliter contineri particulas, per experimenta concludit. Humorum enim nostrorum temperiem ex apta & proportionata, diversarum licet particularum mixtura; intemperiem vero ex quarundam præ aliis, seu acidæ seu alkalicæ illæ fuerint, prædominio derivat. Plurimos deinde morbos, scabiem siccam, variolas & morbillos, scorbutum, arthritidem vagam, podagram, diarrhœam, dysenteriam, morbum Hungaricum, pestem ipsam, vermes, hydropem, & quæ funesta ictus animalium venenatorum excipiunt symptomata, alkali cuidam accepta ferenda esse, eruditis satis argumentis (cap. 7.) evincere studet. Exempli gratia, de podagra historiam ex Actis Hafniens. allegat cujusdam ea affecti, qui unicum levamen a sudoris profluxu capiebat, hic vero in patinam collectus sal præbuit celerrime cum acidis confligens. Febre pariter Hungarica ultima obsidione Budensi mortuorum sectionem docuisse refert, bilem & contenta ventriculi cum acidis vehementissime efferbuisse, secus ac in hominis sani violenta morte interemti cadavere contingat. Quoniam igitur & nimia fluiditas corpori infesta est, eam vero medicamenta acida, itẽ frigida dicta corrigunt, experientia suffultus, iisdem simul cum alimentis valorem pristinum (cap. 8. & 9.) restituit, modo debita cum cautela, prout omnia etiam probatissima remedia, assumantur; simulque præstantissima quorundam exempla enarrat. Quin imo acida & frigida non tanto corpori nocumento esse, quanto sint alkalia & calor, contendit. Illud probat per experimentum in Transact. Angl. descriptum, ubi canis, cujus venæ oleũ sulphuris infusum est, mortem evasit, quam alius subito obiit, cui simili modo oleum tartari instillabatur. Notat item, quod frigori facilius quam calori ferendo pares simus, aqua frigida in cholera conducat, septentrionalesque populi meridionalibus vividiores & fœcundiores existant. Ut proin quam exorsus est, telam pertexat, (cap. 10.) ostendit, etiam alia dari eaque excellentissima remedia, quæ non sint alkalia. Exempli loco opium, mercurium, sulphurea medicamenta, camphoram &c. in scenam producit, & penitius examinat. Quando in miras ab opio proficisci solitos effectus inquirit, illos nec sali cuidam volatili o-

leoso, nec sulphuri, sed ætheri particulis terrestribus, viscosis &c. immixto tribuit, quæ spiritus nostros immediate afficiant, in motu illis remoram injiciendo: ejus vero optimum corrigens alkalia, & hinc tincturam antimonii tartarisatam, item cinnabarim antimonii asserit. Mercurii pariter operationem nec acido, nec alkali volatili, sed sali cuidam æthereo penetrantissimo adscribit. Eam ob causam (cap. 11.) demonstrare satagit, medicamentorum effectus non tam ab alkali, aut acido, quam a textura & dispositione particularum, & insito spiritu dependere. Imo nec alkalia fixa tantum absorbendo acidum vires suas exercere, sed specifica inter se textura differre, per exempla exponit a lapidibus cancr. coralliis, martialibus, saturninis, jovialibus &c. depromta. Ultimo (cap. 12.) venæsectioni, cucurbitulis &c. patrocinatur, quod illa præsens in hæmorrhagiis, suppressionibus mensium &c. auxilium ferat, indicationibus satisfaciat, plethora ad vasa dicta revera contingat &c. Cathartica tandem vehementiora & ipse damnat; genuinum vero usum, ubi mixtura sanguinis inturbata, sero non eget, primæque viæ sordibus scatent, corroborat, imo & alterandi causa in pauca quantitate talibus medicamentis mixta præscribi debere præcipit.

GOTTOFREDI HENNICKII, D. ILLUSTRISS. Comit. Erpacensium Archiatri & Physici provincialis, de Panaceis Tractatio Medico-Chymica.

Francof. ad Mœn. sumptibus Christiani Genschii, 1689, in 8.

Constat plagulis 3.

MEdici gratiosi omnino interest, ut sanitati aut conservandæ, aut restaurandæ unice incumbens, fine suo cito, tuto & jucunde potiatur. Hoc per panaceas in effectum deducere alii vane gloriantur, alii feliciter expediunt. Illi qui nubem pro Junone amplecti assolent, unico remedio inevitabilem mortalitatis necessitatem eludere utplurimum satagunt, ut sterili spe lactatos pecunia emungant. Hi vero quibusdam, at selectioribus remediis, circumstantiarum diversitati accommodatis, firmos morborum insultibus arietes, quantum possunt, objiciunt. Simili his gaudet instituto clarissimus Auctor, qui brevi hoc tractatulo panaceas ejusmodi recludit, & ex thecis

thecis tribus, quæ circa illas animadvertenda ſint, depromit, quarum prima quinque, ſecunda tres, tertia unam continet capſulas, literis alphabeti diſtinctas. Quippe iisdem medicamenta indigitat, non quæ actu omnem aboleant exſtinguantque morbum, homines ex orci faucibus eripiant, & ad ſeros annos perducant, ſed quæ ſumme activa vel ſimplicia, vel manu ortho-chymici elaborata, blande, cito, parvaque doſi vires ſuas exerant. Quoniam vero a ſaliva, humore ventriculi, ſucco pancreatico, bile &c. quæ in ventriculum aſſumpta medicamenta per venas demum lacteas, adeoque vias longiores, ad receptaculum chyli, & exinde ad M. S. feruntur, inſignem mutationē experiri neceſſe ſit, ea aliis præſtare ait, quæ ſpirituoſa ſint, & immediate magis M. S. ſubeant. Ejusmodi vero remedia a Chymicis promittit ingenuis, qui eadem per ignem, non vulgarem, utpote ſale ſuo aereo plurimis impuritatibus fœto concreta notabiliter adulterantem, ſed per congrua inſtrumenta temperatum, recluſa intima & ſpecifica mixtorum connexione, evolvunt, ſubtiliſant, perficiunt. Atro proin calculo notantur purgationes violentiores & venæ ſectiones annuatim aliquoties repetitæ: quod per illas male cauſæ morbificæ, quam non attingant, remotio ex quantitate excrementorum, quæ ſemper multum ſpirituoſi foveant, æſtimetur; per has vero tantum abſit, ut ſemina morboſa cum ſanguine educantur, ut potius illa ſeſe poſtea validius exerant, & hinc febrium intermittentium duplicaturæ &c. ſuperveniant. Quippe cauſam morborum in idea morbi reſidere putat, quam e. g. in morbis hæreditariis cum ſemine delatam ad fœtum Formator ob teneritudinem facile recipiat, ut ſecundum illius ceu potentioris indolem tota dein temperies determinetur. Quoniam autem in minimo illa conſiſtat, etiam doſi minima opponendas eſſe panaceas. Archeum enim noſtrum in regularitate ſua balſamico-ſalina, vigoris noſtri cuſtodem eſſe & conſervatorem, in ſtatu autem p. n. a degeneribus, ac per varios in ſextuplici digeſtione Helmontiana commiſſos errores genitis cruditatibus, tanquā totidem morboſis ideis in ataxias conjici exorbitantes. Et hæc theca prima conduntur. Secunda ipſas exhibet panaceas. Ducem hic veneratur celeberrimum *Ludovici*, quem limatiſſimæ chymiæ, & ſaluberrimorum remediorum promum condum Medici unanimi applauſu mirantur. Eas vero vel naturales appellat,

vel artificiales. Illarum in numero recenset radicem Ninsi, spiritum mundi, seu sal universale Hermeticum seu aereum, theam, baccar. junip. & sambuc. infusum simili instituto sorbillandum, caffé &c. item opium. Ex his vero alias universales nuncupat, particulares alias, nempe vel in omni morborum genere, vel aliquibus tantum celebratas. Q. E. huc nullo liquore præcipitabiles, item Poterianas, salia volatilia aromatica, aliaque remedia celebrium medicorum refert. Ex minerali regno aliis palmam præripere contendit ex mercurio & antimonio paratas, & a variis chymicorum coryphæis commendata medicamenta; effectus vero, qui a Sole desiderantur, aut frustraneos esse, aut ab additamentis pendere. Ex regno animali panaceas quasdam vix innotescere, nisi quod melli insignes *Langius*, lapidibus cancrorum omnes a margaritis & lapide bezoar specifice vix differentes tribuant virtutes. Verumenimvero quamvis ideas has suas lucis primigeniæ scintillas, eodem recidere asserat, quod alii per singularem corporum crasin, seu modificationem, proportionem, texturam particularum specificam, & motum dispositivum explicant; abs eorum tamen sententia recedere videtur, quod theca ultima morborum causam immediatam non in humoribus, sed in archeo constituat. Quod tandem panacearum operandi modū attinet, cum *Helmontio* & *Thomsono* conspirat, eas spiritus vitales vel debiliores multiplicare, vel vitiosis ideis inquinatos iisdem liberare, vel anomalos corrigere, acres edulcorare, partesq; a vitali consortio segregatas, per convenientes vias, sine digestionum naturalium læsione evacuare. Pro hisce scopis obtinendis panaceas vegetabiles spiritus magis confortare, animales novas ideas imprimere, minerales causas occasionales removere, & humorum massam commovere affirmat.

TRACTATUS DE CONCURSU CREDITORUM in foro civili formando, editus ab Anthonio a Mara D.

Brunsuigæ, sumtibus Christoph. Friedr. Zilliger, 1689, in 4.

Constat plagulis 42.

Quanquam non exiguus est eorum numerus, qui de concursu & prioritate creditorum scripta consignarunt; tantum tamen abest

est, ut præsentis operis Autor (cujus genuinum nomen esse *Elia Schnegasse*, compertum habemus) Iliada post Homerum se scribere putarit, ut potius rectiorem se hac in parte, quam quidem alii hactenus, viam adinvenisse, quin & errores plurimorum, celeberrimorum alioqui juris interpretum detexisse atque refutasse, sibi, vel ipsa rubrica teste, persuadeat. Hac vero usus est methodo, ut libris quatuor universam hanc materiam complecteretur, & in *primo* quidem de personis tractaret, quæ in concursu creditorum concurrere debeant vel non debeant. Scilicet cum creditoribus nequaquam concurrere, sed præ istis eximios esse innuit omnes illos, qui in re, quæ in bonis debitoris reperitur, ullo modo dominium retinuerunt aut obtinent: quos inter etiam refert venditorem ratione rei venditæ, quam tradidit, sed non expresse fidem de pretio habuit; patrem ratione nummorum, quos filiusfam. contra SC. Macedonianum mutuo sumta pecunia creditori solvit ex patris pecunia, si nummi in bonis creditoris adhuc extent; pupillum ratione rei ex pecunia sua emtæ, si res extet & in bonis emtoris creditores concurrant; uxorem ratione rei pecunia ejus emtæ, quam constante matrimonio marito donavit; venditorem ratione rei, quam dolo inductus vendidit; dominum feudi aut emphyteuseos ratione fundi, qui ob delictum aut non solutum canonem ad eum rediit, & adhuc in bonis vasalli aut emphyteutæ remansit, aliosque hujus generis complures, quos latius hic recensere nimis tædiosum foret; cum Autor ubivis id egerit, ut casus quosvis specialissimos undiquaque ex jure civili corraderet, ac suo quemlibet loco sigillatim commemoraret; subnexa etiam responsione ad singulos textus, quos suis subinde assertionibus obstantes offendit. Nec positive tantum in primo hoc libro se gessit, commemorando nempe, qui ob competentem rei vindicationem cum creditoribus concurrere non habeant necessum; sed remotive etiam, prolixum scilicet eorum catalogum recensens, qui modo recensitis primo quidem intuitu non absimiles, ob concurrentes tamen circumstantias diversas eodem jure gaudere, creditorumve censu semet eximere nequeant. Porro in *libro secundo* ad certas prioritatis classes, quas *octo* statuere placuit, creditores concurrentes redigere occupatus est. *Primam* classem facit eorum, qui in concursu omnibus aliis præferendi sint: quorsum v. g. refert eum, qui in confectionem inventarii, item conservationem aut venditio-

ditionem bonorum, culturam agrorum, exactionem nominum activorum, processum prioritatis instruendum sumtus fecit; nec minus sportulas judicis & actuarii, salarium curatoris bonorum, impensas necessarias in funus non ipsius debitoris tantum, sed & ejus uxoris filiæve factas: sumtus tamen in morbum erogatos, nec non salaria famulorum domesticorum huc spectare negat, nisi specialis introducta ea de re sit consuetudo, in cujus requisitis determinandis perquam scrupulosus est. Istos autem aliosve hujus generis creditores classis primæ æqualiter pro rata debiti concurrere statuit. In classe *secunda* collocat eos, qui hypothecariis anterioribus ex hypotheca & privilegio potentiori præferendi sunt: uti fiscum, aut civitatem etiam municipalem ratione diversarum præstationum publicarum; creditorem qui ad militiam seu officium publicum vendibile & hæreditarium emendum expresse in scriptis pecuniam credidit; denique uxorem ejusve liberos intuitu dotis illatæ: ubi in recensione casuum separatorum admodum prolixus est, quo evidentius edoceat, quando hæ personæ ad secundam hancce classem aut spectent, aut non spectent; varias enim & minimas quandoque circumstantias evidenter hic jus variare ostendit. *Tertiam* classem constituunt, qui ex hypotheca, uti loquitur, minus potenti creditoribus hypothecariis anterioribus sunt potiores: quorsum præprimis refertur creditor, qui ad refectionem seu reparationem rei, in qua alii jam hypothecas habent, pecuniam credidit, item ad ædificationem domus, in cujus area vel solo jam alii hypothecæ jus obtinent; pupillus cujus pecunia res aliis obligata fuit emta, aliique, quos huc transcribere nimis prolixum foret. Classe *quarta* Autor complectitur illos creditores, qui ratione dominii recognoscendi hypothecariis præferendi sint, nimirum dominum privatum superficiei aut emphytheuseos ratione solarii aut canonis; nec non eum, cui annui reditus ex alieno solo debentur, si consuetudine certa prioritas ei tribuatur hoc nomine. *Quinta* classis eos habet, qui creditoribus hypothecariis ex autoritate instrumenti anteferuntur, puta, quibus hypotheca per instrumentum aut judiciale, aut Notarii, aut tribus testibus corroboratum, constituta fuit: hos etenim in separata classe ponendos noster autumat, eo quod ex singulari ratione aliis hypothecariis præferantur. Jam ulterius in classe *sexta* reliqui sequuntur, qui hypothecam cum privilegio

gio temporis habent, cujus intuitu sibimet invicem præponuntur. Classe *septima* comprehenduntur creditores, qui dum hypothecam non habent, sed duntaxat actionem personalem & privilegium prælationis, præferuntur Chirographariis; qui ipsi denique *octavam* classem constituunt. In *Libro tertio* tractat Autor de Rebus, in quibus potiores creditores secundum classes aliis aut præferantur, aut non præferantur; ubi maxime de usuris aliisque accessoriis agitur ostenditurque, ad quænam eorum jus prioritatis aut queat aut nequeat extendi: & in *quarto* tandem delineat, quomodo secundum jus civile (id enim unice in scripto hoc ante oculos sibi posuit) processus sit formandus in concursu creditorum, sive hic contingat post mortem debitoris, sive eo adhuc vivente; tam post cessionem bonorum, quam sine ea, ex pacto solum cum emtore, qui nempe rem magni pretii sibi comparare volens, ratione rei & pretii securus esse cupit & hypothecarios citari desiderat. Denique sub finem adhuc agitur de Probatione in concursu obtinente, nec non de variis cautelis, in eodem tam a judice, quam a partibus, siquidem secure incedere velint, observandis. Cæterum singula sua asserta adductis juris textibus (quos quidem non per titulorum rubricas, uti alias fere moris est, sed per numeros modo librorum titulorumve citat,) Autor stabilire fategit: alios vero Doctores nuspiam allegat, nisi ut refutet aut erroris arguat. Qua quidem ex parte adeo rigidum semet exhibuit censorem, ut alicubi ipsum quoq; Ulpianum errasse contendat; dum nempe is in *l. 1. §. 5. D. quand. appell. sit*, scripserit, a sententia definitiva sub conditione lata statim esse appellandum: cum tamen sententia talis nulla potius dicenda fuisset, cujus adeo vires per appellationem suspendi nec possint, nec debeant: ne de aliis recentioris quidem ævi, maximi tamen nominis Jureconsultis dicamus, utpote quos liberrime ubivis perstringit, si vel minimum ab ejus opinionibus deflexerunt. Diffitendum tamen non est, ipsum non semel inter errores ea quoque numerare, quæ Autores isti aut expressa sanctione provinciali, ad quam scripserunt, aut certe plerorumque juris interpretum calculo, ipsaque adeo praxi, optima legum interprete, freti asseruerunt; uti cuilibet vel leviter librum pervolventi apparebit. Unde verendum non sine ratione est, haud paucos fore, qui cum magnis istis viris *sic* errare, quam cum Autore hoc secus sentire satius ducent.

Verum de his, ut &, an per novam istam methodum intricata hæc alioqui materia multum lucis nacta fuerit, aliorum esto judicium: nobis enim, quibus librorum contenta nude referre propositum est, censorum partes hac in re nequaquam sumimus.

DISQUISITIO THEOLOGICA DE SENTENTIA Augustini, an hæretici & schismatici vi ad fidem sint cogendi? Ubi simul ingens discrimen ostenditur inter causam Donatistarum & Protestantium. Autore Elia Veielio, Doctore & Profess. Theol.

Ulmæ, literis hæred. Christian. Balthasar. Kühn/1689, in 4.

Continet plagulas 8.

NUperas Hugonottarum in Gallia aliasque hujusmodi persecutiones probantibus nihil frequentius, quam ut Augustinum in partes suas vocent. Quocirca celeberrimus dissertationis hujus Autor in Augustini scriptis haud mediocriter versatus paulo accuratius inquirendum censuit, quid de hac controversia Hipponensis ille Præsul statuat. Ac primum quidem insignia quædam ex ejus operibus loca colligit, quibus probari potest, tantum abesse ut religionem vi cogendam existimaverit, ut potius violenta inducendæ & propagandæ religionis media omnibus modis dissuaserit. Postea vero ad ea, quæ ex epistola 48 ad Vincentium in Gallicum sermonem haud ita pridem traducta objiciuntur, respondet Augustinum fateri, quod a Collegis persuasus, & exemplis eorum, qui severitate pœnarum ad saniorem mentem redacti fuerant, permotus priorem sententiam quodammodo retractaverit; neque tamen Augustinum, dum priorem sententiam retractavit, ex scriptura solide probare potuisse, quod vis humanis conscientiis inferri debeat, cum in argumentis, quæ ex historia Saræ ancillam suam castigantis, item ex Joh. VI, 44. ubi de divino tractu agitur, aliisque nonnullis sacri codicis testimoniis deprompsit, non disputantem sed rhetoricantem Augustinum quilibet deprehendat, ideoque Autorem *disquisitionis de persecutione Gallica in Reformatos exercita & autoritate Augustini defensa* acriter in hanc Augustini retractationem inquisivisse. Adducit & *Grotium*, qui in Annot. ad Luc. XIV, 23. Augustini exemplo constare animadvertit, quanto aliter judicemus, cum res ipsas sine affectu

affectu introspicimus, quam cum quæstio facti incidit, quo sæpe fiat, ut δεύτεραι αἱ φροντίδες non semper sint σοφώτεραι. Cum vero Augustinus in hoc negotio Collegis cesserit, Gallicus Augustinianæ illius epistolæ Interpres Autori nostro se minime probavit, cum Augustinum Principibus absolutam in hæreticos sibi subjectos potestatem tribuisse pronunciat. Quod si vel maxime Augustinus diserte & absolute affirmasset, hæreticos ad fidem cogendos esse, haudquaquam tamen id judicium Veielius noster amplectendum putat, nisi idoneis Sacrarum Literarum testimoniis confirmari possit. Augustini enim autoritatem tantam non esse, ut ab ejus sententia discedere nemini liceat, doctissimi Jesuitæ *Petavii* suffragio comprobat. Præterea illam Augustini sententiam si decretoriam & a nemine in dubium vocandam esse concedatur, ad Protestantes non pertinere ex eo demonstrat, quod Protestantium religio a causa Donatistarum tantum absit, quantum cœlum a terra. Contra Pontificios ad Donatistas propius accedere, inter alia inde probat, quod sæpe Reformatorum infantes rebaptizaverint, ut ex Pii V decreto, cujus *Launojus* in historia Gymnasii Navarræi meminit, & ex Concilio Rotomagensi constat. Postremo concludit, morem hæreticos ad religionem cogendi debilioris & pessimæ causæ indicium esse, & ex *Petro Matthæo* ostendit, Romano-Catholicos in Anglia iisdem rationibus conscientiæ suæ libertatem postulasse, quas ipsorum Doctores alias in Protestantibus repudiare & impugnare solent.

DU DROIT DES FRANCHISES DES QUARtiers de Rome, ou logent les Ambassadeurs de France &c. i. e.

De jure Asyli sive Franchitiarum in regione urbis Romanæ, in qua Legati Gallici diversantur, & de nullitate excommunicationis a Pontifice in Marchionem Lavardinum vibratæ. Accedit consideratio Canonis XII secundi Concilii Lugdunensis de Jure Regaliæ.

Amstelodami apud Josuam Rousseau, 1688, in 8.

Constat plagulis 6.

ABrupta nuper est, quæ tot sermonibus scriptisve occasionem dedit, legatio Lavardini, & expectat Europa eventum irarum primogeniti Ecclesiæ Romanæ filii in parentem. In earum interim causam in otio literario disquiritur, & relata a nobis est mense *Majo* proximo illustris Autoris assertio juris Pontificii, adversus Gallicas prætensiones. Jam anonymum alium producimus, qui Gallici juris vindicias suscepit, argumentis, quibus eruditionis & acuminis laudem mereri possit; accedet etiam magnanimitatis, si vera sunt, quæ typographi nomine in præloquio ex aliis audita referuntur, nempe quod spreta fama, & quæ per *P. de la Chaise* oblata fuerint præmiis, tacitus suæ conscientiæ, in judicio de controversia hac, satisfacere, quam ad Jesuitas gloriam scripti hujus transferre maluerit. Tres autem sunt ejus partes vel sectiones. In *prima* de jure asyli agitur, & tali quidem, quod non constitutum concessumque sit subditis a supremo aliquo Principe, ex gratia justa causa revocabili, sed de tali, quod Princeps itidem supremus, Rex puta Galliæ, in Principis, æquali majestate in temporalibus præditi, Pontificis nimirum ditione, jure servitutis cujusdam acquisiverit. Hujus antiquitatem eandem esse statuit Autor, quam Pontificum temporalis in urbem Romam imperii, quod magna ex parte Gallicorum regum beneficiis deberi putat. Si enim recentior esset prærogativa illa, futurum non fuisse conjicit Autor, ut scriptores Romani, ceremoniarum & pomparum satis memores, initium rei parum usitatæ silentio prætermiserint. Vetustatem etiam ex prima A. 1552 a Julio III edita constitutione liquere, in qua diuturnam, quam prohibet & abusum vocat, consuetudinem fassus est, impedire tamen non potuit, non magis, ac qui ei successerunt ad hunc usque Pontificem. Verum ne tot Christi vicariis injustum & irritum conatum imputet, aliam iis mentem fuisse statuit, negans edicta illorum adversus Reges condita esse, quia eos non nominaverint; quod tamen fieri debuisse, si obligatos illos vellent, autorum non vulgarium ex Canonistarum ordine testimonio comprobat. Quod igitur adversus *Primates & Cardinales & Oratores Principum* constituerunt, ad illos solú pertinere contendit, qui Pontificum temporali imperio subjecti sunt, & adversus eos crimen majestatis committere possunt; hoc enim transgressoribus in edictis impingitur. *Bullam* quam vocant *cœna Domini*, nihil ad

hil ad hancrem facere existimat. Præterquam enim quod illa, ut censet, in universum iniqua, toti Ecclesiæ contumeliosa, Principum majestati adversa, ideoque a plurimis rejecta sit, (quam in rem Caput VII. n. 55. *de probationibus libertatum* Ecclesiæ Gallicanæ allegat) in illos tantum fulminari eam dicit, qui bona sive *domania* Pontificum invadunt; id quod ad Reges Galliæ trahi non possit, qui nihil tale Pontificibus auferant, sed jure servitutis, in aliena licet ditione acquisitæ, utantur; gentium etiam jure tuti, cum res inter Principes paris potestatis versetur. Aliud argumentum ex conventione Pisana inter Regem Galliæ & Alexandrum VII inita elicitur, qua cavetur, ut Legatis tanti Regis & primogeniti Ecclesiæ filii debita reverentia Romæ præstetur; nec dubium esse Autor putat, quin etiam jus asyli innuatur, cujus usum & exercitium Legati conventionis illius tempore habuerint. Notum præterea esse, quomodo Pontifices supremum in urbem imperium adepti sint, indulgentia nempe Principum, qui successores D. Petri eo modo honorare voluerint; unde triplici nomine a Pontificibus mutuam merito exigant reverentiam, nempe (1) quod fidem Christianam profiteantur, (2) quod Ecclesiæ, & (3) quod provinciarum Pontificiæ potestati subjectarum protectores sint. Sed hoc axioma Galliæ Regibus præcipue, &, ut videtur, unice vindicat Autor, allata Gregorii, quem Magnum vocant, blanda hyperbole ex *Lib. V. cap. 6.* ubi Francorum Reges *tantum antistare aliis Regibus dixit, quantum Reges cæteris præferantur hominibus.* Notat tamen, Gregorium illum Imperatoribus subditum, & in exequendis eorum jussis non raro occupatum fuisse, idque ex *Lib. II. ep. 62.* aliisque locis constare asserit. Tanto magis, ait, successores ejus & Innocentium hunc XI revereri majestatem Regum Galliæ oportuit, a quibus tot beneficiis affecti sunt, & quibus imperium in urbem aliasque Italiæ partes debent, & ad honorum præstationem sese obligarunt. Comprobat id ex Caroli Magni & Ludovici Pii actis, & ad Galliæ regnum trahit, quicquid illi non solum ut Reges Galliæ, sed & ut Imperatores Romani exercuerunt. Citat etiam Innocentii III dictum ex veteri *Bullarum collect. III. Lib. II. de Judic. cap. 3. quod exaltatio Regum Francorum sublimatio sit Apostolicæ sedis.* Accedit recentissimi meriti ostentatio, plus satis ab aliis jactata, nec a paucis elisa, quod nuper ad agnoscendam Pontificis majestatem vicies cen-

tena hominum in Gallia millia adducta sint, tanta pietate & potentia Regis, quanta ab alio sperari non possit. Respondetur inde objectionibus, quod Pontifices pro supremo, quod Romæ habent, jure, de asylis statuere potuerint & debuerint, ne crimina per asylorum abusum impunita manerent. Ait enim Autor, Principes ita tueri potestatis suæ axioma debere, ne aliorum acquisita in provinciis suis jura sive servitutes illegitime auferant. Cum igitur Pontifex in regnis quibusdam ea, quæ sibi jure clientelæ debentur, exigat, eodem jure illum aliis & speciatim Galliæ Regibus ad servanda, quæ illi in Pontificia ditione quæsita habent jura, teneri. Prætextum autem de criminum impunitate vanum esse, cui absque læsione alieni juris occurri possit a Pontificibus, si de abusibus Legatos moneant, aut, his renitentibus, a Rege remedium petant, qui nunquam illud sit denegaturus.

Altera libelli parte nullitatem excommunicationis A. 1687 mense Majo adversus Lavardinum Romæ fulminatæ, demonstrandam sumit Autor. Distinguit ante omnia Pontificis potestatem Ecclesiasticam a Politica: illam a D. Petro derivatam agnoscit; hanc Principum & Regum Gallicorum maxime beneficio accessisseilli dicit, neq; cum ea confundi debere. Jus autem asyli vel concedendi, vel auferendi, non priori, sed posteriori potestati adhærere statuit, nec alio modo exerceri aut defendi posse, quam quo Principes non Ecclesiastici sed Politici uti possunt, ita ut excommunicationis fulmini locus hic non sit. Hæc ulterius demonstraturus, disserit (1) de utriusque potestatis scopo & mutuis adminiculis eo tendentibus, ut Ecclesiastica Politicæ succurrat, hortando ad obsequium subditos, & si opus sit, excommunicationis rigore adigendo: Politica vero Ecclesiasticæ patrocinium præstet, ad exequendum leges sacras & puniendum refractarios. Sic adversus delinquentes in jura Magistratus, subsidiariam censurarum sive excommunicationum vim peti posse. Ab hoc vero casu diversum plane esse ait, de quo inter Regem & Pontificem disceptatur; neq; enim agi de subditis ad officium per excommunicationes compellendis (quas exerceri a Pontifice posse, nemo facile negaverit) sed de Rege maximo, jus asyli extra regnum quidem, sed jure antiquæ servitutis in ditione Pontificia asserente; & sic quæri, an Rex alia quam amicæ aut legitimæ disceptationis via ad jus illud suum ceden-
dum

dum per Ecclesiasticam potestatem adigi potuerit. Id vero Autor prorsus negat, nec magis ferendum esse Pontificis factum putat, quam si Pontifex, ut olim, sola Ecclesiastica dignitate, Imperator vero aut alius Rex vel Princeps temporali potestate in urbe Roma potiretur: licet enim jam utraque in persona Pontificis concurrat, distinctos tamen singulis terminos manere. Urget (2) discrimen utriusque potestatis, quod neutra alteri formaliter subjiciatur, sed quæque in suo genere independens & libera sit. Licet enim Reges & Magistratus quoad personas, & quatenus Christiani sunt, Ecclesiasticam agnoscant potestatem, subordinati tamen illi non sunt, ratione muneris sui politici. Affert ad sententiæ hujus, alioqui satis notæ, confirmationem insignia loca Tertulliani, Optati Milevitani, Gelasii & Nicolai I. Pontificum. Conficit inde, censuras a Pontifice ad jus asyli Galliæ Regi eripiendum, nullo jure expeditas esse. Ostendit (3) neminem ignorare, quod Principes ex Paganismo ad Christianam religionem conversi, nihil ex pristina majestate juribusq; suis amiserint, ideoque fieri non posse, ut Pontifices illos per censuras Ecclesiasticas a juribus suis depellant, & judices in sua causa sint, ac veluti divina dictatura in Reges utantur. Unde iterum patere existimat, nulliter processisse Pontificem in pronuncianda adversus Legatum Regis excommunicatione, in re politica, qualem esse censet jus illud asyli. Si tamen hoc pro Ecclesiastico habere aliquis velit, nihilo magis tamen fas fuisse Pontifici, ut ad excommunicationis rigorem progrederetur: hunc enim non nisi adversus atrocium criminum reos locum habere, omnium Doctorum sententia constare dicit. Negat autem talis accusari posse Lavardinum, qui Regis sui mandatis obedientiam, quam jure divino & naturali debebat, præstiterit, in negotio Legi divinæ per se non contrario, & de quo præsumere potuerit, quod Rex bona fide & antiquo usu & more niteretur; quia Reges Galliæ non obstantibus Julii III & successorum ab annis centum quinquaginta interdictis, exercitium immunitatis illius retinuerint, & Rex ex tractatu Pisano supra dicto satis tutum se in possessione hac esse, haud immerito existimaverit. Quod si tamen res dubia fuerit, illegitimum nihilominus fuisse arbitratur excommunicationis fulmen, & *Gregorii Magni* dictum observari debuisse Lib. VIII. ep. 30. *Constantio Mediolanensi Episcopo* rescribentis: *grave satis est & indecens, ut in dubio certa di-*

catur

catur sententia. Hoc cum neglexerit Pontifex, a turbatæ pacis & enascentium periculorum culpa excusatum non esse.

Sequitur alia & separata ab isthac materia tractatio *de jure Regaliæ*, quam vocant, de quo ab aliquot annis inter Galliæ Regem, & Episcopos quosdam ipsumque Pontificem, acerrime disceptatum esse novimus, magno quidem cum Episcoporum, & qui illis adstiterunt, infortunio. Cum vero jus regium, quo vacantibus Episcopatibus, & beneficia quæ vacant conferre, & reditus fisco applicare solet, a Pontifice & Episcopis ex canone sive decreto *Concilii Lugdunensis secundi* A. 1274. habiti, maxime oppugnetur, Autor hic nullum in canone isto præsidium Pontificiis assertis esse existimat. Verba Canonis hæc sunt: *Generali constitutione sancimus, universos & singulos, qui Regalia, custodiam sive guardiam, advocationis, vel defensionis titulum in Ecclesiis, monasteriis, sive quibuslibet aliis piis locis de novo usurpare conantes, bona Ecclesiarum, monasteriorum aut locorum ipsorum vacantium occupare præsumunt, quantacunque dignitatis honore præfulgeant, Clericos etiam ecclesiarum, monachos monasteriorum, & personas cæteras locorum eorundem qui hæc fieri procurant, eo ipso excommunicationi subjacere; illos vero Clericos, qui se, ut debent, talia facientibus non opponunt, de proventibus Ecclesiarum seu locorum ipsorum pro tempore, quo præmissa sine debita contradictione permiserint, aliquid percipere districtius inhibemus. Qui autem ab ipsarum Ecclesiarum, cæterorumq; locorum fundatione, vel ex antiqua consuetudine jura sibi hujusmodi vindicant, ab illorum abusu sic prudenter abstineant, & suos ministros in eis sollicite faciant abstinere; quod ea, quæ non pertinent ad fructus sive reditus provenientes vacationis tempore, non usurpent, nec bona cætera, quorum se asserunt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent.* Quicquid ex hoc decreto contra jus Regis adduci concludique solet, invalidum esse statuit Autor, qui clausula illa, *quantacunque dignitatis honore præfulgeant*, Reges comprehendi negat, totamq; illam constitutionem adversus minores dynastas, quorum tunc multi in Gallia & vicinis regionibus Regalia jura usurpabant & clero iniqui erant, sancitam esse contendit. Affert speciosa ex aliorum conciliorum illius temporis Canonibus argumenta, & insignium Doctorum testimonia, qui affirmant, expressam mentionem Regum & Imperatorum in decretis requiri, si obligari iis de-

iis debeant; generalibus autem istiusmodi enunciationibus non teneri. Speciatim citat concilii Tridentini definitionem Sess. XXII cap. II, & quæ de ea *Paulus Venetus*, (eatenus ab Aristarcho suo Pallavicino non reprehensus) annotavit, & magni nominis Canonistæ commentati sunt, ut & veteris commentatoris, qui pro Durando habetur, ad dictum Can. Lugd. explicationem. Subjungit denique etiam hic, quod supra in quæstione de jure asyli monuerat, dubiam ad minimum canonis istius sententiam esse, cui inniti excommunicatio Pontificia tuto & legitime non potuerit.

L' INNOCENCE OPPRIME'E PAR LA CAlomnie, ou l' Histoire de la Congregation des Filles de l' Enfance de nôtre Seigneur Jesus Christ, &c. i. e.

Innocentia per calumniam oppressa, sive Historia de Congregatione Virginum Infantiæ Jesu Christi, & quomodo subreptum sit religioni Regis Christianissimi, ut abolitionem Congregationis illius decerneret, &c.

Tolosæ, apud P. de la Noue, 1688, in 12.

Constat plagulis 16.

Libellum hunc nobis nuper indicavit *Franciscus Picto*, vel quisquis autor est tractatus de Ecclesiæ Gallicanæ Afflictionibus, mense Majo proximo p. 265 a nobis relati; nec mitior est Scriptor hic, quam Picto ille, in Jesuitas & eorum patronos. De Rege magna cum reverentia loquitur, malletque eum ab iis, quæ contra jus fasque acta sunt, excusatum habere. Injusta quidem illa coram Deo & per se, & maligne obreptum esse Regi maximis negotiis occupato, non dubitat; novum tamen hoc obreptionis malum non esse, & optimis Principibus accidere fatetur, exemplo Davidis, qui servuli nequam calumniis ad injustum decretum inductus fuit. Talia scilicet ista esse ait, qualia Samuel inter jura Regis populo Israelitarum proposuit, facti, non legis, i. e. illegitima & inhonesta, sed quæ ferri debeant. Optat autem & petit, ut Regi tanto, tamque perspicaci

& religioso veritas innotescat; quo facto futurum esse confidit, ut innocentibus damna resarciantur, & in calumniæ autores recidant. Quo fundamento & jure hæc dicantur, penes alios judicium esto; nos factum ut proponitur, compendio enarrabimus.

Johanna de Juliard, vidua *Caroli de Turle* Domini *de Mondonville*, nobilis in urbe Tolosana matrona, pro amplis quas habebat facultatibus, & pietatis studio, ante annos plus minus triginta consilium ceperat de sodalitio Virginum instituendo, quæ nuptias aversatæ, neque tamen ad omnem monasticæ disciplinæ rigorem adstrictæ, piis exercitiis incumberent, tum puellas a tenera ætate in pietate, & virtutibus atq; artibus sexum ac conditionem decentibus instruerent, viduas etiam & conjugatas, quæ solitudinem aut secessum ad sacra exercitia desiderarent, recepturæ; dein ut ægrotantibus in contagiosis etiam morbis succurrerent. Probavit consilium *Petrus de Marca*, Archiepiscopus eo tempore Tolosanus, magni nominis Præsul, & statuta Societatis a *Gabriele Cironio*, Canonico & Academiæ Tolosanæ Cancellario, pio & docto (ut refertur, multisque testimoniis probatur) viro, composita, per *Vicarium* suum *generalem* confirmavit. Eadem ab octodecim in Gallia Episcopis magnis elogiis excepta fuerunt: inter quos ob eruditionem & zelum in disciplina famigeratissimi nominantur *Antonius* Venciensis, *Franciscus* Apamiensis & *Gilbertus* Tornacensis. Post impetratam Archiepiscopi Tolosani d. XV Januarii A. 1662 confirmationem, robur instituto ex summi Pontificis *Alexandri VII* diplomate d. 6 Novembris accessit. Secuta est mense Octobri A. 1663 regia concessio, amplissimis clausulis munita. Nec quicquam tamen his præsidiis innixa fundatrix Jesuitarum, ut Autor narrat, odia evitavit, quod *Cironii* aliorumq; Theologorum & Presbyterorum consilio & spirituali directione uteretur, qui a Jesuitis in dogmatibus & disciplina dissentiebant. Accusatæ itaque sunt novi instituti Virgines apud successorem Petri de Marca *Burlemontium*, quod Catechesi uterentur Jansenistarum erroribus corrupta, docerentque *Christum non esse mortuum pro omnibus*, & *gratiæ resisti non posse*. Sed vanus tunc fuit hic impetus, cum probari, quæ delata erant, non nisi ex relationibus impuberum puellarum possent, & istæ minis ad testimonium se compulsas esse assererent. Absolvit itaque virgines Archiepiscopus, & statuta earum, mutatis quæ mutanda

mutanda esse judicabat, confirmavit. Successit illi Cardinalis *Bonzius*, postea Narbonensis Archiepiscopus, qui itidem Congregationem hanc tutatus & insigni elogio prosecutus esse dicitur. Huic suffectus *Josephus Monpesatius*, habita A. 1683 visitatione deprehendit, virgines pie, modeste & extra commercium cum viris, etiam propinqua cognatione junctis vivere, puellas in Catechesi & Sacræ Scripturæ lectione aliisque artibus utiliter informare, eoque fine sex scholas in urbe instituisse, ægrotis etiam egregie succurrere. Itaq; insigni attestatione d. XII Januarii dicto anno earum institutum collaudavit, posteaque mense Octobri 1684 solenni diplomate confirmavit. Eundem favorem *Aquis Sextiis* Congregatio invenit, impetrata ab Archiepiscopo, Cardinali *Grimaldo*, permissione instituendi collegia & scholas. Ita A. 1686 in utraque Diœcesi quinque Conventus virginum ab *infantia Christi* denominatarum erecti inveniebantur, magno honore & applausu a populo & Episcopis mactatarum; unde maxima gloria ad patronam Societatis Mondonvillanam redundabat, ita ut digna habita fuerit, cui Galliarum Regina *Maria Teresia* literas scriberet, & puellas quasdam educandas commendaret. Hæc in *prima* libelli parte inter alia plura enarrantur.

In *secunda*, deplorabilis Congregationis ruina describitur. Occasionem huic dedit *Guilielmina Prohenquia*, quæ annos viginti in Societate versata, A. 1682 ex fenestra cœnobii desiliit, & Jesuitarum patrocinium imploravit, multa de sodalibus questa, quæ tamen in visitatione Archiepiscopali, de qua diximus, probari non potuisse, Autor memorat. Desertrix ista, postquam nihil apud Archiepiscopum profecerat, Jesuitarum, ut refertur, consilio & ope Lutetiam missa, & *P. de la Chaise*, tum etiam Archiepiscopo *Harleo* commendata est. Illorum potentia & favore inquisitio iisdem, adjuncto Secretario Regio, Marchione de *Castello novo* (Chasteauneuf) demandata fuit. Hi tres aut quatuor Theologos delegisse dicuntur, qui ad Regem retulerunt, statuta Congregationis, a tot licet Archiepiscopis, Episcopis, multisque Doctoribus approbata, erroribus tamen periculosis infecta esse. Accessit nova offensa & delatio, cum Mondonvillana puellam quandam in Societatem recipere recusasset; unde iterum testimonia per Jesuitas conquisita fuerunt, iis similia, quæ A. 1683 collecta erant. Perspecto quod sibi imminebat periculo, Lutetiam pro-

fecta est Mondonvillana, & ab initio non inhumaniter ab Archiepiscopo excepta, & spe accessus ad Regem sustentata, mox tamen ex improviso in exilium ire jussa, destinato ei oppido, in Normannia inferiori sito, *Constantia*; in eodem vero non multo post monasterio cuidam inclusa fuit. Inauditum injusti processus exemplum hoc esse statuit Autor, quo fœmina illustris, quæ octoginta librarum Gallicarum millia pio instituto impenderat, nulla juris forma, nulliusq; criminis convicta, ab omni defensione arcebatur, in locum ducentis a patria leucis remotum, & ob situm palustrem insaluberrimum abdita, sermonis & literarum commercio, famula etiam privata & miserrime habita. Secutum inde est d. 12 Maji 1686 decretum Regium de abolenda Congregatione, summoque cum rigore executioni datum. Raptæ fuisse dicuntur vi militari, aut ab apparitoribus ex claustris suis virgines quædam, licet ægrotæ & moribundæ, projectæ in cœnum, verberibus contusæ. Expilata & destructa sacella, profanata omnia, ingenti cum populi mœrore, nec obscuro in autores odio. Maxima rigoris causa erat, quod Virgines ad Pontificem Romanum provocassent. Desertrix illa *Probenquia* ruinam sodalium læta aspexit, & ad matrimonium, spreto voto & invita matre festinavit, ut appareret, illud solum relinquendi monasterii causam ei fuisse.

Parte tertia exponuntur, quæ Aquis Sextiis, vacante Archiepiscopatu, a Vicario ejus, *Bercherio*, Episcopo Vaurinensi (La Vaur) non minori cum violentia, ad exequenda contra virgines decreta gesta sunt.

Parte quarta ostenditur, quanta contumelia Pontificiæ autoritati hoc processu illata sit. Referuntur contenta appellationis & literarum, quas virgines ad Pontificem dederunt, in quibus omnem calamitatis suæ culpam Jesuitis, & nominatim *P. de la Chaise* palam tribuunt; id maxime querentes, quod non solum in summa egestate & miseria vivant, sed & in periculum veniant violandi vota, quibus se in professione vitæ monasticæ Christo obstrinxissent. Pathetice & flebiliter scripta sunt ista, iisque ipse Pontifex illachrimasse dicitur. Ad Regem eadem fere multaque cum modestia scripserunt, sed dubitat Autor, an literæ in ejus conspectum venerint; confidens, si id factum esset, futurum fuisse, ut virgines restituerentur & earum persecu-

persecutores non impune ferrent, quæ perpetraverant. Pontifex per Nuntium suum apud Regem de injuria expostulavit, sed responsum ei fuit, plurimos abusus in statutis virginum contra regulas & consuetudinem Ecclesiæ deprehensos esse, maxime quod Virgines extra cœnobium scholas haberent, & directoribus Jansenistis uterentur. Regerenti, probata ista non fuisse, & ad cognitionem tribunalis Ecclesiastici pertinuisse, replicavit Rex, omnia in Consilio suo recte examinata esse, & inde sermonem hunc cum Nuntio abrupit. Refertur postea auctus in *Mondovillanam* rigor, arctiori custodia, & severa in duas virgines, quæ eam inviserant, animadversione. Causa vehementiæ erat, quod literas ad Pontificem scripsisse, falso quidem, diceretur. Refutantur calumniæ adversus mores & pudorem Virginum, cum in Gallia, tum Romæ sparsæ, nulla, ut dicitur, ne specie quidem veri, quia nihil tale in decreto Regis aut Archiepiscopi memoretur.

Parte quinta accurate expenditur subreptio Regi facta, & defectus cognitionis & processus in ipso decreto observati indicantur. Nulla enim in eo fit mentio, quod auditæ fuerint virgines, neque ulla abolitionis causa adversus institutum tot approbationibus firmatum, & per annos 24 magno cum fructu pariter & applausu populi exercitum adducitur. Invalida tamen & nulla pronuntiantur, quæ ordinata & statuta fuerant, hac sola ratione, quod Doctores quidam ita judicaverint. Eorum tamen responsum nemini innotuisse, nec ullam reis excipiendi de personis aut dictis Consultorum facultatem permissam fuisse notatur. Vitium obreptionis etiam inde colligitur, quod regiæ quidem confirmationis A. 1663 datæ & statutorum Congregationis, nulla vero Pontificiæ aut Archiepiscopalis approbationis mentio fiat. Si enim Regi relatio de his facta fuisset, ut fas erat, fieri non potuisse censet Autor, ut se ad sententiam istam permoveri passus fuerit; absolutæ vero potestati in tali causa locum fuisse negat. Pessimas etiam sequelas ab exemplo inaudito profluentes monstrat, nullumque collegium aut fundationem esse existimat, quæ hac ratione subverti non possit, cum summo omnium detrimento, qui Pontificiis Regiisque concessionibus confisi, personas aut opes sacris addicunt & impendunt functionibus. Examinat inde quasdam regii decreti clausulas, illam maxime, qua restitui datoribus jubentur, quæ Congregationi donata fuerant: id quod plane illegitimum & sacrilegum esse contendit.

Parte sexta in censuram vocat decreta Archiepiscopi Tolosani & Vicarii Aquensis, quæ illi nulla necessitate, ut aulæ placerent, reclamante conscientia, & Jesuitarum instinctu edidisse perhibentur. Culpatur ante alios *Roquius* quidam, Jesuita Tolosanus, cujus consilio & stylo Archiepiscopus usus fuerit. Indicantur, quæ etiam contra ipsum decretum Regis durius gesta sint, cum neque spatium a Rege ad evacuandum monasterium virginibus concessum indulgeretur; neque spiritualis provisio de votis & conscientia illarum, ut decretum erat, præcederet; nec jussui Regis obtemperaretur in restituendis, quæ Mondonvillana contribuerat, aut alimentis illi vel virginibus debito modo præstandis. Adduntur quædam de nexu votorum monasticorum, & quod nullo jure per regium decretum solvi potuerit. Subjungitur epilogus acribus in Jesuitas querelis refertus, & de damno religioni Romano-Catholicæ illato, abolendo institutum, quod hæreticos, ut Autor putat, convincere potuisset, superesse in Ecclesia sanctimoniam, cujus exemplum illustrissimum & utilissimum virgines illæ dederint. In additionibus exhibentur quædam documenta, quæ ad historiam Societatis, factæque contra eam executionis pertinent. Notabilis inter alia est Pontificis ad Archiepiscopum Tolosanum, non multo post mortuum, epistola d. 15 Julii A. 1687 data, in qua serio de pœnitentia ob injurias Virginibus & Episcopo Apamiensi illatas admonetur. Adjiciuntur denique literæ *P. de la Chaise*, ex quibus constat, quæ illius in hoc negotio partes fuerint.

Finita hac recensione, nacti sumus breviorem de hac ipsa infelicium Virginum causa narrationem itidem Gallicam, quæ ab aliqua ex illis conscripta esse dicitur, & titulum habet:

RELATION DE L' ETABLISSEMENT DE L' Institut des Filles de l' Enfance de Jesus, avec le recit fidele de tout ce, qui s' est passe dans le renversement du mesme Institut. i. e.

Relatio de instituta Congregatione Virginum Infantiæ Jesu, cum enarratione omnium, quæ in subversione ejus contigerunt.

Tolosæ, apud Petrum de la Noue, 1689, in 12.

Constat plagulis 8.

Quam-

QUamvis autem in priori, quem excerptum dedimus libello, accuratior temporum aliarumque rerum ratio habita ſit, & documenta acceſſerint non pauca, qualia hic non reperiuntur; tum etiam, quoad præcipua rerum momenta, nihil novi in hac relatione inveniatur; legetur tamen & hæc ob ſtyli ingenuitatem, multosque pietatis, caſtimoniæ & moderationis characteres, ut confidimus, absque faſtidio, imo non ſine delectatione; movebit etiam ad commiſerationem erga Virgines, meliori, ut apparet, fortuna dignas, & ad indignationem adverſus vaferrimas adverſariorum, quos habuere, machinationes, & indiſcretam rigidæ ſententiæ executionem. Ad hiſtoriam ipſam, quam ex priori tractatu expoſuimus, ex Virginis hujus narratione particularia multa de Archiepiſcoporum Toloſanorum, & de aulicorum, maxime vero de Jeſuitarum moliminibus diſci poſſunt, ad noſcenda ſeculi & hominum ingenia. *Mondonvillanæ* plurima dantur elogia. Inſignis ejus in viduitate pietas commendatur, qua primo magiſtras puellarum in parochia S. Stephani in urbe Toloſana conſtituerat, pauperesque & ad religionem Romanam converſas ſuo aluerat ſumtu; poſtea A. 1657 ex conſilio *Cironii* (qui Abbas vocatur) Congregationem virginum inſtituit, omnibus quidem monaſticæ diſciplinæ legibus obligatas, ſed absque habitu ſeu veſtitu. *Infantiæ Jeſu* nomine indicare voluit imitationem ſimplicitatis, & occultæ quidem ſed divinæ bonitatis, quam puer Jeſus jam ea ætate in zelo pro gloria Dei Patris oſtendit. Charitatis exercitium non ſolum in recipiendis absq; dote in Societatem, quæ idoneæ ad hoc inſtitutum videbantur, alendisque & educandis, ut dictum eſt, puellis aliis, ſed maxime in mittendis ad ægrotos medicis & chirurgis (fundatricis ſalario conſtitutis) & præbendis alimoniis convenientibus, exhortandis denique ad pietatem iis, qui decumbebant, conſiſtebat. Eleemoſynis largis fruebatur virginum hæc ſocietas, quia magnum civium numerum, nec paucos ex illuſtribus & opulentis, in recipiendis aut inſtruendis puellis ſibi devinciebat. Sed liberaliter etiam omnia erogaſſe dicitur patrona inſtituti, ita ut nunquam calculum poneret, an continuare erogationes poſſet, ne in ſtudio benefaciendi, ut ajebat, iſta computatione & inventa anguſtia facultatum retardaretur. Virorum converſatione, etiamſi Sacerdotes & religioſi eſſent, ſpeciatim Jeſuitarum, virgines

gines plane abstinebant. Nulli ex illis (etsi non nisi ad ægrotos visitandos, aut instruendas puellas in urbem prodirent) absque socia conspici, aut cum quoquam, rarissime etiam cum parentibus aut proximis conjunctis colloqui licebat. Nullam exemtionem a potestate Episcopali affectabant, imo ne immunitatem quidem a tributis, quo facto ex diversitate instituti in invidiam tanto majorem adductæ sunt. Fundatrix etiam fratres suos, viros togæ muneribus claros, offendit, quod patrimonium ad illos post mortem sororis deferendum, his impensis consumeret, & precum atque exercitiorum sacrorum assiduitate caput turbare, & prorsus fatua fieri velle existimaretur.

MATTHIÆ ZIMMERMANNI, SS. THEOLOG. D. Past. & Superintend. Misnens. Florilegii Philologico-Historici aliquot myriadum titulorum &c. Pars II. cum figuris & appendice.

Dresdæ, apud Michaelem Guntherum, 1689, in 4.

Constat plagulis 60.

DUo jam anni effluxerunt, quod venerandi Autoris primam hujus Florilegii partem in Actis nostris anni 1687 pag. 464 recensuimus. Nunc fidem suam liberaturus apud eruditos, alteram excerptorum varii ac rarioris argumenti partem ex scriptoribus non cuivis obviis collectam exhibet: qua cœptam semel industriæ suæ telam, secundum Alphabeti ordinem pertexere laboravit. Nam animo suo perpendens, multis eam librorum copiam deesse, unde non minus curiosa, quam utilia colligi possint; rem curiosis lectoribus gratissimam se facturum esse speravit, si hac in parte eorum desideria, communicatis variorum librorum & materiarum indicibus, juvaret. Initium facit a litera G, ubi primum de *Galeis* veterum, de *Gehenna*, de *Gemmis* varii generis, de *Genetriariis*, h. e. ancillis in gynæceo ministrantibus, de *Geniis*, *Gladiatoribus*, de *Gymnastica arte*, & sic porro juxta Alphabeti seriem, pergit tum argumenta singularia, tum autores qui de illis scripserunt, annotare. Ultimo loco in litera Z de *Zonis veterum* & inde petitis proverbiis agit. Quia vero curiosos rerum nummi raris figuris aut lemmatibus signati oblectare solent,

talium

talium, ut & aliarum rerum, v. g. baptisterii, caligarum militarium & similium icones æri incisas adjecit. Quare non dubitandum est, fore, qui huic *Viri Amplissimi* industriæ pretium tanto labore dignum statuere velint.

ΚΕΒΗΤΟΣ ΘΗΒΑΙΟΥ ΠΙΝΑΞ,

CEBETIS THEBANI TABULA GRÆCE ET Latine. Multis in locis restituta ex MSS codicibus, unde etiam Græca in fine reposita, ab Jacobo Gronovio, cujus accedunt Notæ & Emendationes.

Amstelodami, apud Henr. Wetstenium, 1689, in 8.

Constat plagulis 15.

CEbes Thebanus philosophus, Socratis discipulus, vitam mortalium brevi libello, ceu tabula quadam, vivis coloribus depictam exposuit, memoratam Diogeni Laertio lib. 2. de Vitis Philos. & Chalcidio sub fin. comm. in Plat. Timæum, ac Suidæ; *Tabulæque* (*πίνακος*) nomine scriptum isthoc insignivit, quod descripta in isto esset picta tabella in æde Saturni dedicata, varias vitæ hominum rationes in bonam malamque partem proponens, & virtutes ac vitia sub Fœminarum schemate exhibens, ac sub Genii persona vitæ rectam viam, quam qui ingressus sit & persequatur rectius vivat & beatius, ostendens. Interpretatione & commentariis tabulam hanc illustrarunt Lud. Odaxius, Hier. Wolfius, Jo. Camers, Jo. Caselius, Justus Velsius, Casp. Barthius, Snecanus, Mer. Casaubonus, Aug. Mascardus, Cl. Salmasius, ab eoque editus Arabs interpres, & qui Notas horum junctas evulgavit Abr. Berkelius. Plurima tamen corrupta depravataque loca omnes hi, quorum alter alterum expressit, reliquerunt, nec Plantiniana 1585, aut Tornæsiana 1613, aut Lugdunensis Batava 1634, aut Salmasiana 1640, aut Oxoniensis 1680 editiones invicem multum differunt; quarum nulla optimam Parisinam Martini Juvenis A. 1557 excusam secuta est. Quapropter studio erga egregium istud ac utilissimum, licet exiguum, antiquitatis monumentum accensus doctissimus *Jac. Gronovius* serio de ratione, qua Cebetem ex fœditate cui immersus erat eriperet emendatioremque redderet, cogitavit.

vit. In quo studio defixum insigniter juvarunt tres Codices in Regia bibliotheca Parisiensi per Jac. Gallæum collati, e quibus clarissima lux multis in hac tabula obscuris locis affulsit, & non contemnendæ emendationes suppeditatæ fuerunt, ut patet ex Not. & Emend. p. 93, 101, 102, 114, 122, 123, 124, 129, 133, 142, 145, 149, 152, 154, 166, 167, 170, 171, 187, 189, 192. Supplementum etiam & finem tabulæ hactenus detruncatæ & mutilæ reddiderunt Parisini hi Codices, integritatemq; conciliarunt: adeo ut absolutiorem eam ob additamentum quod pag. 83. 84 exhibet, & emendatiorem jam habeamus. Nec abs re correctiones fuisse adhibitas, criticæ Notæ subjectæ ostendunt: in quibus passim interpretes & commentatores Cebetini notantur, ut Wolfius pag. 90, 92, 127, 132, 157, 188. Caselius pag. 123, 143, 172. Casaubonus pag. 144, 197. Odaxius pag. 93, Snecanus pag. 174, Velsius pag. 174. Berkelius pag. 102, 114; alii item doctorum Virorum errores deteguntur, ut Vossii pag. 179, Petri Petiti pag. 180. Ovidii autem locus corruptus pag. 199 feliciter restituitur. Sed cum uberiores commentarios in præstantissimum hoc Pythagoricæ philosophiæ monumentum sperare nos jusserit in fine Præfat. & pag 142, 178 clarissimus Editor, multa ad vim meditationis Cebetinæ profundissimæ coacervata se habere professus; non minori desiderio eos expectamus, quam jucunditate evulgatas jam Notas & Emendationes legimus.

CHYMIA PHILOSOPHICA, CUM DOCTRINA salium, medicamentis sine igne culinari parabilibus, & exercitio chymiæ, auctore Jacobo Barnero Phil. & Med. D.

Noribergæ, sumptibus Andr. Ottonis, 1689, in 8.

Constat plagulis 40.

INclytum Jacobi Barneri nomen dudum jam literato orbi innotuit. Postquam ille Lipsiam reliquit, Elbingam in Borussiam secessit, atque ibi ante aliquot annos rebus humanis exemptus est. Spes adeo omnis videbatur erepta, ab ingenio ejus, quo gaudebat alacri, quosdam adhuc fructus percipiendi. Ast ferme præter omnem expectationem, nunc in lucem prodit ejus Chymia Philosophica, quæ tamen num ab ipso

ab ipso Auctore ultimam experta fuerit limam, nostrum non est determinare. Enimvero cum in hoc studio plurimæ difficultates ejus sectatores circumstent, inprimis eo incubuit Auctor, ut operationum maxime causas traderet. In parte prima generaliora exponit. Chymiam artem dicit, quæ corpora ope ignis, & ex iis purum ab impuro separet, extrema conjungat, & hinc medicamenta efficacia efficiat. Itaq; finem ejus primarium physicum esse perhibet, (scilicet separare partes mixtorum, ut ex quibus illa constent, & in quæ redigantur, demonstrari possit:) secundarium vero medicum. Chymiam autem unicam agnoscit, quæ circa objecta tantum diversa occupetur. Principia ejus constituit alia essendi, alia cognoscendi. Principia essendi porro vel naturalia appellat, vel artificialia. In naturalium numerum sal, sulphur, & mercurium, verum ut principiata philosophica, reponit, & (cap. 2.) uberius explicat. Verum artificialia consistere ait in horum applicatione, adeoque a doctrina salium inprimis petita (cap. 3) ponit axiomata, quæ chymicum ubivis attendere oporteat. Ad principia cognoscendi terminos technicos, tum lapidem philosophorum, tum res nativas, operationes chymicas, earumque effectus denominantes refert. His addit instrumenta, cum primaria, aerem, ignem, aquam, terram & menstrua; tum secundaria, furnos, vitra, luta &c. Pars IIda operationes chymicas per diversa capita tractat. Chymiam enim vel diacrisin intendere, nimirum in purificatione, digestione, fermentatione, sublimatione &c. vel syncrisin involvere, utpote in incineratione, crystallisatione, præcipitatione, & quæ his affines sunt. Dum vero singulas contemplatur, ea quæ operationi cuivis conveniunt, subjecta, causas, modos, & enchireses detegit. Quæ parte III effectuum chymicorum adornatur consideratio, id inprimis agit, ut circa aquas, spiritus, aceta, &c. diversitas, enchiresis, ætiologia, variæque compositiones innotescant. Specimen igitur sectione IIda traditurus, concretorum naturalium analysin, præparatorumque atque processuum chymicorum examen, secundum regulas ex antecedentium cognitione desumtas, instituere docet. In doctrina salium, quæ libro huic annectitur, ea vel ut alkalia, vel ut acida, vel ut enixa considerat: duo priora vel volatilia dicit, vel fixa, vel mediæ consistentiæ; ultima vero pariter vel volatilia, vel fixa, vel fixo-volatilia. Differentias has sequuntur propositio-

positiones, nempe qualia se illa vel in mutua mixtione, vel singillatim exerant, explicantes. Agmen denique claudunt quidam medicamenta sine igne culinari conficiendi processus, atque brevis manuductio, quomodo secundum operationes & effectus diversos medicamina præsertim selectiora obtineri possint, demonstrans, quam exercitium chymiæ vocat.

CHRONICON SARACENICUM ET TURCIcum VVolfgangi Drechsleri, a Georgio Fabricio & Johanne Rosino emendatum auctumque; nunc in libros IV & capita divisum, notisque ac supplementis, nec non Appendice secunda ad Annum usque 1689 addita, illustratum ac locupletatum a M. Joh. Reiskio, &c.

Lipsiæ, apud Joh. Christianum Wohlfart, 1689, in 8.

Constat plagulis 25.

SEculum integrum cum triginta & octo admodum annis jam effluxit, ex quo *Wolfgangus Drechslerus*, vir ab eruditione atque diligentia omnino commendandus, *Chronicon de Saracenis & Turcis* memoriæ non intermorituræ tradidit. Quod opusculum cum *Georgio Fabricio*, viro de literis ac de pube scholastica non Misniæ tantum, sed totius Germaniæ meritissimo, sese oppido approbasset, non emendare illud auctiusque de suo reddere non potuit; quod & accurante illo A. 1550 in lucem prodiit. Hanc editionem aliæ atque aliæ exceperunt, quæ a Clarissimo *Reiskio* in Præfatione ad Lectorem referuntur; sed sexta præ cæteris memoratu digna est, *Johannis Rosini* videlicet, Viri ab opere Antiquitatum Romanarum toties recuso perquam famigerabilis, quæ Lipsiæ A. 1594 in publicum evulgata est. Nam is Appendicem Chronico Drechsleriano a Fabricio emendato atque aucto subjunxit, illudque ab A. 1550 ad sua usque tempora, h. e. ad A. 1594 continuavit. Quamvis vero ex illo quoque tempore id Historiæ Saracenico-Turcicæ plus vice simplici fuerit editum, aliisq; id genus Chronicis Saracenicis insertum (quod & ipsum a Reiskio d. l. prænotatum est) filum tamen illius ad hæc usque tempora deductum nondum fuerat. Hunc itaque laborem in se susce-

ſuſcepit Reiskius, Vir πολύγλωττος, & varia eruditione inſtructiſſimus; præſertim cum libellum Drechsleri non Germanis tantum, ſed & Helvetiis, Belgis, aliisque exteris in hiſtoria Saracenico-Turcica ſingulariter probari intellexiſſet. Saracenicam autem Hiſtoriam cum Drechslero exorditur ab anno poſt C. N. 596, eamque in libro I, quem in capita VII diviſit, ad annum Chriſti 1290 perduxit. Huic notas, animadverſiones & ſupplementa quoad ſingula capita ſubnectit, quæ ex Arabicis ſcriptoribus fide hac in re digniſſimis deſumſit. In ipſo autem limine monet Autor doctiſſimus, autorem Chronicon ſuum de Saracenis Turcisque tanquam diſtinctis nationibus recte inſcripſiſſe, perperamque adeo gentem utramque, ac res utriusque geſtas confundi. Saracenos enim Arabes ex Arabia oriundos; Turcos e Turkeſtana ſive boreali Aſiatica Scythia, portisque Caſpiis fuiſſe effuſos. Saracenos ſuis olim tribubus diſtinctos ad Joktanem ſeu Kathanem, Semi poſterum, ſuas revocaſſe origines; Turcos tanquam gentem obſcuriſſimam nihil certi hactenus de ortu ſuo tradidiſſe. Porro res Arabum priſcorum & reges in ſacro V. & N. Teſtamenti codice, imo & in libris Græcorum hiſtoricis ſuum hodieque invenire locum; Turcorum vero omnia in tenebris profundis latitare. Denique Saracenos & Arabes omnem elegantioris doctrinæ partem, Matheſin, Phyſicam & Medicinam maxime, attigiſſe, ſuamque linguam non ſine ſummo ſtudio excoluiſſe; Turcas vero nihil aut parum elegantiæ in ſuam intuliſſe gentem, & lingua ſua in hunc usque diem non niſi barbara & inculta admodum uti, niſi quod Arabicæ cum Muhammedismo locum in ſacris precibusque dederint. Ulterius cum nativitas Muhammedis inter Arabes & Chriſtianos hiſtoricos valde ſit controverſa, ex omnibus Elmacinum ſe ſequi profitetur Reiskius, tanquam antiquum in hiſtoria Saracenica ſcriptorem, & ex ſeculo poſt N. C. ſeptimo ſuperſtitem. Emergit vero ſic annus nativitatis poſt N. C. 572, diesque 22 menſis Niſan, h. e. Aprilis. De cætero cum Drechslerus Chronicon Saracenicum ad annum C. 1290, uti jam indicavimus, deduxiſſet, Reiskius novem annos in ſupplementis capiti VII ſubjunctis adjecit, illudque adeo ad annum usque 1299 extraxit. Plura enim & certiora ex ipſis Arabum ſcriptoribus, quos MSStos pariter atque editos Bibliotheca Guelpherbytana per orbem literarium decantatiſſima cum eo exprompte communicavit,

haurire ipsi licuit; de Chalifis inprimis Saracenorum, unde & dissertationem politicam de *Chalifatu Saracenico*, h. e. de Imperio rerum civilium sacrarumque summo, sive Pontificatu inter successores Muhametis continuo conscripsit; quam ut publico diu haud invidere velit clarissimus Autor, rogatum eum quam humanissime heic volumus. In libro II, quem in capita III dissecuit, Historiam Turcicam incipit ab A. C. 1300, quo ipso Ottomannus rapinis & prædationibus ditatus intra decennale spatium bonam Bithyniæ partem, & adjacentia Ponto Euxino loca suo imperio adjecerat, & primi Regis Turcarum nomen meruerat. Huic suas quoque, prout in libro I cum Historia Saracenica fecerat, notas, animadversiones ac supplementa capitulatim annexuit Reiskius, Arabes, quos Pocokius in supplemento Historiæ ad Abul-Pharajum addito laudaverat, nec non Annales Ottomannicos Joh. Gaudieri, Joh. Leunclavii, & Joh. Baptistæ Podestæ, aliosque bonæ fidei scriptores secutus. In libro III exhibet *Johannis Rosini Appendicem* in capita IV a se dispertitam, quam *primam*, appendicis suæ huic subjungendæ intuitu, appellare ipsi placuit. Continuavit autem Rosinus hanc telam ab A. C. 1556, quo Dragutes Raisus, pirata celebris, Solimanni auspiciis Aphricam seu Aphrodisium Barbariæ oppidum occupaverat, præsidioque muniverat, usque ad A. C. 1594, quo Amurates, cum annum ætatis L, & imperii XX explevisset, calculi doloribus confectus vita excessit. Inseruit in hoc quoque libro Reiskius gemmulas ubique suas, h. e. notas, animadversiones, & supplementa necessaria. In libro denique IV, quem Chronici Turcici *Appendicem secundam* vocat, historiam Turcicam a Rosino ad annum usque 1594, quo Mahometes III sedem vacantem, strangulatis mox XVI fratribus, occupaverat, continuatam, ad annum usque seculi jam invergentis 1689 Reiskius noster perduxit, paratus illam in subsequentes etiam annos, si vitam Numen indulserit, laborque hic eruditis non displicuerit, extendere. Quantumvis autem Scriptores Turcicos consulere ipsos quoad seculi hujus historiam non potuerit, ex probatissimis tamen omnia scriptoribus, v. g. Sleidano, Thuano, Gothofredo, Tavernierio, Joh. Cluvero, Isthuanfio, Metterano, Lundorpio, Brachelio & Struckhusio, nec non ex Theatri Europæi autoribus, & Diarii Europæi collectoribus excerpsit, & secundum annorum rerumque gestarum ordinem enarravit. Chronico sic ad nostra tempora

pertexto

pertexto annexa est tum ob affinitatem materiæ, tum ob exemplorum raritatem dissertatio de *Imperio Turcico*, sub præsidio celeberrimi Jenensium Polyhystoris, *Joh. Andreæ Bosii* ab Alhardo Hermanno Kummen, Hannoverano, A. C. 1662 habita, in qua universa Imperii Turcici Ratio Status breviter quidem, sed accurate & magno cum judicio excutitur; quam eo nomine legentibus quibusque non commendare non possumus.

DN. VARIGNONII RESPONSIO AD ANIMADversionem Dn. Abbatis de C. quæ habetur in Actis Erud. 1688 mens. Augusti p. 414, ab ipso ad Collectores Actorum Gallice transmissa, & in Latinum conversa.

Dominus Abbas de C. hanc suam Animadversionem ita incipit: *neque Autor novæ Mechanicæ, neque ulli, qui ad hac usque tempora scripserunt, imo ausim dicere scripturi sunt de mechanicis, aut stabiliverunt aut invenient aliquod principium hujus scientiæ, quod demonstrare non possim (dummodo verum sit) esse tantum casum particularem aut simplicem consequentiam principii Cartesiani.* Quæ certe propositio maximi esset momenti, si legitime foret demonstrata; quoniã sive quis acquiesceret principio hoc, sive minus, labore tamen melius aliquod indagandi esset levatus. Verumenimvero Dominus Abbas demonstrationis loco exemplum duntaxat aliquod affert, quod tamen ita comparatum est, ut vel illud unicum sufficiat ad propositionem ejus falsitatis convincendam. Nimirum advocat sententiæ suæ testem *Principium novæ Mechanicæ*; sed ut appareat, quod ex hoc ipso exemplo contrarium potius ejus sequatur, quod ille inferre ex eo prætendit, non opus est, ut omnia ipsius legamus vestigia, neque ut tantum subeamus laborem, quantum ipse impendit, ut hoc principium habitu Cartesiano indueret; sufficit enim illud cum Dn. Cartesii principio contendere. Principium Mechanicum Cartesii in eo consistit, *quod neque major, neque minor vis requiratur ad aliquod corpus grave certam ad altitudinem elevandum, quam ad elevandum*

[Margin notes: *l. c. p. 414.* — *Cartes. T. 1. ep. 73.*]

dum

dum alterum minus grave ad altitudinem tanto majorem, quanto ipsum minus grave est; vel ad elevandum aliud gravius ad altitudinem tanto minorem. Id quod generaliter ita efferri potest: *Potentias fieri æquales, quando agunt, aut agere intendunt, eodem tempore per spatia reciproce proportionalia corporibus, quibus sunt applicatæ; ex quo sequitur, quod in aliqua machina oppositæ se in æquilibrio detineant, & hæc corpora maneant quieta.* Ex quo deinde Dominus Abbas de C. concludit, quod *Æquilibrium sit quies, quæ ex oppositione duorum motuum æqualium oriatur, atque hinc unice in motuum æqualitate & oppositione æquilibrii causa sit quærenda.*

Act. Erud. pag. 416.

Delin. Nov. Mech. Præfat. &c.

Principium novæ Mechanicæ vero eo redit, quod, *quando duæ aut plures potentiæ una agunt, impressiones ipsarum particulares, quamcunque proportionem servent, in unam quasi coeant, quæ tota agit in omne illud, quod ipsi obstaculo est in directionis linea* (e. g. in pondus, quod solum funiculis sustinetur; centrum trochleæ, sive mobilis ea sive immobilis sit; punctum superficiei, quod perpendiculariter subjacet centro directionis ponderum, quæ super ipsis sustinentur; hypomochlium &c.) *ita ut hoc obstaculum, quando majus est, aut minimum æquale, viribus hujus impressionis compositæ, (illamque adeo sustineat non secus ac si esset effectus unius cujusdam potentiæ, a qua superari non posset) necessario sufflaminet concursum actionis potentiarum omnium, quæ conspirant ad hanc impressionem faciendam, atque illas in quiete & æquilibrio retineat.*

Hæc ergo sunt duo illa principia, de quibus disputatur, eaq; tam essentialiter diversa, ut licet utraque de Æquilibrio agant, illud tamen non solum sub alia, sed plane contraria specie concipiant. Vidimus enim modo, quod, si Cartesii sequamur principium, *considerandum sit Æquilibrium, tanquam quies, quæ ex duobus motibus æqualibus & oppositis oritur;* cum contra, secundum principium novæ Mechanicæ, quies hæc non oriatur, nisi ex oppositione invincibili alicujus obstaculi, quod existit in directione communi plurium potentiarum conjunctim agentium. In priori potentiæ illæ omnes non solum ut diversæ considerantur, sed etiam quatenus sibi invicem opponuntur: in posteriori vero, tanquam unitæ in eadem directione, cui obstaculum aliquod objicitur, non secus ac si solum unam potentiam constituerent. Verbo, Dn. Cartesii principium ex divisione & contrarieta-

varietate directionum particularium duarum potentiarum, dispositarum ad motus æquales & incompatibiles, Æquilibrium deducit: contra vero principium novæ Mechanicæ ex reunione & consensu non solum duarum, sed quotcunque potentiarum, in unam eandemque directionem concludit æquilibrium ratione adeo obvia, ac si omnes illæ potentiæ non constituerent nisi unam totalem, cujus hæc directio communis esset effectus.

Ex quo apparet, quod principia illa duo, Cartesii nimirum & novæ Mechanicæ, nulla alia ratione conveniant, quam quod ambo de Æquilibrio agant, sed vias adeo diversas insistendo, ut, quando in nonnullis consequentiis conveniunt, id non accidat, nisi ideo, quia ambo vera sunt.

Patet etiam, quod principium novæ Mechanicæ eo simplicius sit altero, quo facilius potest concipi, quomodo obstaculum in directione alicujus potentiæ existens, a qua vinci nequit, illam sistat, quam quomodo duæ potentiæ se in Æquilibrio detineant per oppositionem duorum motuum, quos non habent.

Haberent vero motus æquales, forsan dicet aliquis, si una vinceret alteram, id quod impossibile est secundum principium Dn. Des Cartes. Fateor id quidem, hoc tamen non est probare æquilibrium, nisi indirecte & per necessitatem consequentiæ; cum in nova Mechanica illud in se ostendatur & per ipsam generationem, quæ consistit in modo, quo potentiæ illæ inter se disponuntur & uniuntur, ut omnes in unam directionem conspirent, quæ tota in punctum agit, ubi fit Æquilibrium.


Cartesii principium solum dicit, quantum virium necesse sit cuivis ex his potentiis, ut maneat in Æquilibrio, ob inconveniens aliquod, quod in motu ipsarum oriretur, absque hoc si esset. Sed principium quod nova Mechanica habet, id explicat ulterius, qua ratione potentiæ illæ ordinandæ & componendæ sint, ut debiliores a fortioribus ne superentur; adeoque, si scholarum velimus terminis uti, dici potest: Principium Cartesii ad summum nihil aliud exhibere, quam Æquilibrii causam *efficientem*, novæ Mechanicæ vero principium dare etiam causam ejus *formalem*, hoc est modum, quo illud fieri intelligitur.


Et profecto Dn. Abbas non attendisse videtur ad hæc duo causarum genera, cum dixit: *quod nemo stabiliverit, nec unquam in-* A. E p. 414

 venturus

venturus sit aliquod principium Mechanicum, quod demonstrare non possit (dummodo verum sit) esse tantum casum particularem, aut simplicem consequentiam principii Cartesiani: aut minimum credidisse, quod causa formalis Mechanicorum inventu esset impossibilis. Evidens enim est Cartesii principium illam non magis attingere, quam magnum illud principium physicum, ex quo illud deduxit (*effectus suis causis esse proportionales*) attingit effecta naturæ. Atque forsan ipse Dn. Abbas, si majori cum cura examinasset hoc Cartesii principium, deprehendisset, id ipsum non adeo plene satisfacere circa causam efficientem æquilibrii, ut solum sufficiat ad cognoscendam rationem potentiarum aut ponderum, quæ manent in Æquilibrio. Certe si quis dicat: *duas potentias in Æquilibrio existentes esse inter se in ratione reciproca viarum, quas emetirentur, si una vinceret alteram*, parum admodum ille docet, nisi regulam generalem afferat non solum ad has vias cognoscendas, sed etiam rationes, quas servant, quæ nonnunquam æque ignotæ sunt, ac potentiarum rationes, quæ per illas debebant nobis innotescere. Quocirca cum supra diceremus, hoc principium afferre causam efficientem æquilibrii, adjecimus verba *ad summum*. Possemus etiam addere omnibus istis differentiis, quod hac ratione, qua Cartesius aliique Æquilibrium considerant, h. e. quamdiu ad nihil aliud respicient, nisi contrarietatem actionis potentiarum, aut ponderum in hoc statu manentium, quacunque etiam ratione illorum principia explices, ad summum nihil aliud possit detegi, quam ratio, quæ est inter potentias illas aut illa pondera, nunquam vero onus aut directio hypomochliorum aut obstaculorũ, quæ illa in Æquilibrio detinent, nisi metamorphosi reciproca potentiarum in hypomochlia fixa, & hypomochliorum in animatas potentias utaris. Quoniam illud omne non dependet, nisi ab impressione & directione, secundum quam omnes illæ potentiæ inter se invicem componuntur atque uniuntur. Contra vero per principium novæ Mechanicæ, quod actionem potentiarum illarum non contemplatur, nisi sub ratione illius unionis & concursus, primum, quod se intellectui offert, est directio & onus hypomochliorum, aut generalius loquendo, omnis illius rei, quæ impressioni communi se opponit: ex quo deinde statim detegitur ratio, quam inter se servant, sed tam facili negotio, ut omne illud uno eodemque tempore nobis innotescere videatur. E. g.

TAB. VIII. ad A. 1689. pag. 383. sqq.





E. g. Non opus est, nisi mediocri cognitione motus compositi ad videndum, si vectis MN applicaretur puncto O, per quod transiret DA linea directionis impressionis communis potentiarum X & Z, quæ ipsi applicatæ sunt in extremitatibus M & N, illas non solum mansuras in æquilibrio, sed etiam onus hypomochlii O, ad quamvis istarum potentiarum X & Z fore, ut Diagonalis DA parallelogrammi BC ad quodvis suum latus DB & DC. Et per consequens potentias quoque illas fore inter se, ut ipsa illa latera, aut uti AC & CD, h. e. (per lemma Trigonometricum, quod probat *latera trianguli rectilinei esse inter se, ut sinus angulorum, quibus opponuntur*) ut sinus anguli ADC ad sinum anguli CAD, aut ipsi æqualis ADB; vel quod eodem redit, in ratione reciproca distantiarum linearum directionis particularium, a quovis puncto lineæ directionis communis DA. Debuisset ergo Dn. Abbas experimentum sumere principii Cartesiani tali in casu, aut in Problemate aliquo proposito in nova Mechanica, ut videret, quantum hujus Mechanicæ principium antecelleret Cartesianum; tantum abest, ut nihil aliud sit, *nisi casus particularis aut simplex ejus consequentia.* Tab. VIII. Fig. 1.

Principium ergo Mechanicum Dn. Cartesii tale non est, ut cuiquam spem demere debuisset aliquid melius inveniendi, teste, ut patet, hoc ipso, quod Dn. Abbas pro exemplo in contrarium afferebat. Verum equidem est, quod supponat pro principio novæ Mechanicæ, quod *potentiæ X & Z applicatæ Machinæ cuidam aut ponderi H se invicem in Æquilibrio teneant, quando sunt reciproce ut sinus angulorum ADZ & ADX, factorum a funiculis DZ & DX, quos potentiæ trahunt, & a directione DA communis impressionis earum versus A*, ubi videtur Dn. Abbas subintelligere: *dummodo adsit aliquod obstaculum, v. g. sustentaculum machinæ, aut pondus H, juxta directionem DA hujus impressionis communis, cujus resistentia sit ad aliquam ex his potentiis, v. g. Z, ut sinus anguli XDZ, quem funiculi ipsarum faciunt, ad sinum anguli ADX, comprehensi inter funiculum alterius potentiæ X & directionem impressionis communis.* Absq; hoc enim propositio absolute falsa esset, ut apparet ex Corollario 14 propos. 1 hujus Mechanicæ, ubi demonstratur, non esse possibile, ut mutetur directio funiculorum DZ & DX, quibus potentiæ X & Z sustinent pondus H, sine mutatione Æquilibrii, quamvis possint mille diversis modis variari, A. E. p. 415.

 ut ta-

ut tamen ratio singulorum angulorum ADZ & ADX, qui constituuntur ab illis funiculis & linea impressionis communis non mutetur. Sed & hoc ipso in casu solum illud est simplex aliquod Corollarium principii, de quo controversia est, quale est septimum propositionis primæ hujus Mechanicæ.

Quod vero sinus attinet, non equidem placet Dn. Abbati, ut hæc expressio illi, quæ longo jam tempore in usu fuit, & perpendicu-

l.c. p. 415. larium nomine utitur, præferatur. *Sinus*, inquit ille, *angulorum, quos facit concursus linearum directionis, tam potentiarum motricum, quam communis illarum impressionis, non differunt nisi solo nomine a perpendicularibus, ductis ab hypomochlio harum potentiarum super lineas directionis.* Notissimum sane hoc est, dixitque hoc autor novæ Mechanicæ compluribus in locis. Sed ut nihil dicamus, quanto sit facilius invenire angulos directionum illarum mediante aliquo Instrumento Goniametrico, quam distantias illarum a quocunque puncto ope normæ, non solum ob vitium normæ nonnunquam satis magnum, sed etiam, quando sustentacula, aut lineæ, quæ terminare debent illas distantias, tantummodo sunt imaginariæ. Ut, inquam, hoc latius non exsequamur, vel minima attentio ad generalitatem omnium illorum, quæ Autor per sinus exprimit, sufficit, ut intelligatur, illum non debuisse loqui aliter, nisi seipsum obscurum reddere voluisset.

Projet. d'une nouvell. Mech Pref. Prop. des Cordes. cor 1. des Levier Cor. 12. 13. &c.

Tab. VIII. Fig. 1.

E. g. si velimus exprimere rationes, quæ sunt inter potentias X, Z, & pondus H, quod sustinent solum funiculis, si, inquam, velimus exprimere eas ope *perpendicularium*, quæ respondent tribus angulis XDA, ADZ & XDZ, quos format concursus linearum directionis DX, DZ & DA; postquam concepimus in duabus ejusdem directionis lineis duo hypomochlia æqualiter a puncto D distantia, a quorum uno v. g. O ductæ duæ perpendiculares in lineas DZ & DX, & ab altero, quod suppono in C, itidem una in DX; dicendum jam esset, *quod potentiæ Z, X, & pondus corporis H, quod funiculis tantum sustinent, sint inter se, ut perpendiculares ductæ a puncto O in DX & DZ, & ex puncto C in DX, posito quod puncta C & O sint æqualiter distantia a D, ubi hæ lineæ concurrunt.* Cum, si per *sinus* fiat expressio, simplicissime & absque ulteriori præparatione, nisi quam ipsa dispositio chordarum exhibet, diceretur, *quod sint inter se ut sinus angu-*

lorum

lorum XDH, HDZ & XDZ, quos funiculi eorum inter se invicem faciunt, & sic in cæteris. Judicandum vero cuivis relinquo, quænam harum expressionum sit simplicissima & maxime intelligibilis. Sed quocunque modo se res habeat, quum controversiæ nostræ momentum plane nihil commercii habeat cum istis diversis loquendi modis; quicquid hactenus differentiæ, aut potius oppositionis & proinde independentiæ, ut ita loquar, inter principium novæ Mechanicæ & Cartesianum intercedere ostendimus, firmum ratumque manet.

Quod ad Æquilibrium liquorum attinet, Principium Dn. Cartesii ejus tantum rationem vagam & superficiariam affert, quæ nos nihil eorum docet, quæ in ipsorum particulis accidunt, neque modum, quo sese impellunt aut disponunt, ut hæc liquida vel reducant ad illum statum, vel retineant in eo. Cum contra, si consideremus parvula ista solida tanquam totidem globulos, qui se impellunt aut se retinent in cavitate tubi, quo includuntur, omnia hæc manifeste ex *propositione de superficiebus* Novæ Mechanicæ consequantur. Brevitas autem illius sciagraphiæ, quam sibi Autor propositam habebat, non permisit hanc materiam explicandam sumere; forte tamen propositum illud, quod cœpisse se dicit, applicandi hanc Mechanicam ad Philosophiam naturalem, aliquando occasionem dabit hæc omnia fusius demonstrandi.

Interim videamus quæso, quomodo ratio *physica effectuum, quos maxime in machinis admiramur, possit esse ratio motuum compositorum*, atque ideo jam de generatione omnis Æquilibrii agamus. Præfat. A.E.p.418 Nihil certe simplicius est, & per se genuinum magis, quam concipere, quod obstaculum aliquod in directione corporis alicujus occurrens necessario debeat id sistere in motu, hoc ipso tantum, quod illi invincibiliter & directe oppositum est, non vero ideo, quia hæc impressio potius ab hac, quam illa causa oritur, quoniam diversitas illarum causarum nullam plane mutationem infert. Sive ergo hæc impressio resultet ex concursu plurium potentiarum, sive ab una solum oriatur, qualis est pondus, Æquilibrium semper eadem ratione existet, ob solam oppositionem obstaculi alicujus, quod ab hac impressione superari nequit, modo certe æque naturali ac ille est, quo pondus a plano aliquo Horizontali ipsi subjecto retinetur, & per con-

sequens sine omni alia dependentia ab his potentiis nisi in hoc, quod ipsæ omnes conspirant in hanc impressionem communem. Quocirca ex oppositione inter hanc impressionem totalem & obstaculum invincibile, quod in ipsius via occurrit, omnes æquilibrii species immediate sequuntur, non autem ex oppositione motuum æqualium circa punctum aliquod fixum, uti Dn. Abbas de C. putat, licet vel maxime illos haberemus pro potentiis, quas reciprocatio viarum æquales redderet, quoniam, præterquam quod videmus illas nihil conferre ad Æquilibrium nisi ratione ejus, quod impressiones particulares confunduntur semper in unam solum, quæ tota agit in punctum, quod illas eo in statu detinet; hæc oppositio non convenit Æquilibrio, ubi onus hypomochlii tantum concipitur, ut effectus unius potentiæ, v. g. quando pondus manet quietum super plano horizontali.

Ratio ergo physica maxime immediata & universalissima Æquilibrii consistit in æqualitate actionis & resistentiæ inter impressionem totalem corporis, quod est in æquilibrio, & hypomochlion, quod ipsi objicitur. Adeoque cum hæc impressio, quando resultat ex concursu plurium potentiarum, non accidat nisi ope motuum compositorum, fatendum erit, quicquid Æquilibrium hoc rationis physicæ habere potest, ex parte istarum potentiarum, unice hac via investigandum esse, h. e. solum deduci debere ex modo, quo potentiæ hæ se disponunt in hac compositione, ut conspirent omnes in unam impressionem, quæ per hypomochlion transit, ubi omnia in Æquilibrio manere debent; non vero ex æqualitate aut oppositione motuum. Hinc ergo, quotcunque fuerint illæ potentiæ, sufficit considerare illarum impressionem communem, ut cognoscatur, utrum corpus, cui applicatæ sunt, super hoc aut illo hypomochlio in Æ-
Fig. 2. quilibrio manere debeat, nec ne? Ita in corpore AG satis est, si sciamus impressionem ejus totalem sequi lineam AB, neque superiorem esse resistentia hypomochlii G, quod in illa linea existit, ut concludamus, illud corpus ab hypomochlio necessario retentum iri in Æquilibrio. Quod si ergo respiciamus causam impressionis, & reperiamus illam esse effectum unius tantum potentiæ, qualis gravitas hujus corporis esse concipitur, nihil prohibet, quin dicamus onus hypomochlii G esse æquale viribus hujus impressionis. Sin

vero

vero inveniatur, impresſionem hanc oriri ex concurſu duarum potentiarum, huic corpori applicatarum ſecundum lineas AC & AD, completo parallelogrammo CD, cujus AB ſit diagonalis, ulterius reperietur, quod potentia ſequens lineam AC ſit ad illam, quæ ſequitur lineam AD, ut AC ad AD, & quod duæ illæ potentiæ ſint ad impresſionem totalem ut AC & AD ad Diagonalem AB. Eadem ratione, ſi impresſio juxta lineam AB procedat ex concurſu actionis duarum potentiarum applicatarum huic corpori ſecundum lineas AM & AN, ſi itidem parallelogrammum MN compleatur, eodem modo invenietur, quod potentiæ & impresſio, quæ fit juxta AB, ſint inter ſe ut lineæ AM, AN, & AB. Atque non ſecus judicandum de omnibus potentiis imaginabilibus, quæ conſpirare posſunt in impresſionem, quæ fit juxta lineam AB, aut generalius, in impresſionem totalem corporis, quodcunque etiam fuerit.

Atq; ita Autor novæ Mechanicæ naturam ſequitur, omnia æquilibria ad ſimplicisſimum reducens, h.e. ad æquilibrium corporis, quod ab unica potentia premitur contra obſtaculum invincibile, e. g. ponderis ſuper plano Horizontali, & deinde aperiens, ope motuum compoſitorum, quomodo natura, cum hoc æquilibrium eſt inter plures potentias, uniat omnes illarum impresſiones particulares in unam, quæ tota agit in hypomochlion corporis, cui applicatæ ſunt, non ſecus ac ſi hæc impresſio compoſita eſſet ſolum effectus unius potentiæ. Hinc apparet, quantum Dn. Carteſius aliique abeant ab uniformitate & ſimplicitate viarum, quibus natura uti ſolet, quando præter illam æquilibrii ſpeciem, quam negare non posſunt inter unam ſolum potentiam & obſtaculum, quod illam remoratur, intercedere, aliam volunt inſuper introducere, quam in oppoſitione & æqualitate, quas credunt hypomochlion ponere inter potentias, quæ in hoc ſtatu manent, conſiſtere contendunt, & quam non aliter probant, niſi ab inconvenienti, motus ſcilicet fore æquales, ſi æquilibrium ceſſaret, h. e. tantum per deductiones ad abſurdum, quas tamen natura plane ignorat, quæque proinde nihil habent phyſici, ſi conferantur cum eo, quod hactenus oſtenſum eſt circa generationem æquilibrii per motus compoſitos.

His ita abſolutis, nihil ſupereſt, niſi ut ſatisfaciam quoque Dn. Abbati ratione illius difficultatis, qua motus renuit concedere, ut lineæ duæ, quæ angulum infinite acutum conſtituunt, habeantur pro

paralle-

parallelis: quasi nesciret *ea, quæ in infinitum appropinquant cuidam rei, pro hac ipsa haberi posse*; atque ideo circulum ab omnibus Geometris pro Polygono infinitorum laterum haberi, idemque de omni alia figura, quacunque curva terminata, procedere. Fallitur autem in eo, quod non observat, quod finis omnium angulorum possibilium, dum maxime acuti fiunt, sit initium parallelismi, quodque duæ lineæ non possint esse in uno ex his statibus, nisi eodem tempore in altero quoque reperiantur. Id ipsum vero quoque hac ratione demonstrari potest: *Propos.* sint duæ lineæ AD & DB, quæ in D faciant angulum infinite acutum, h. e. minimum omnium angulorum possibilium. Dico, quod hoc in casu lineæ sint inter se parallelæ.

Fig. 3.

Demonst. si non essent, duci possent duæ aliæ AE & BE, quæ essent tales, & in hoc casu lineis AD & BD anguli DAE & DBE forent percurrendi, antequam parallelæ fierent. Sicque cum lineæ illæ existerent v. g. in AC & BC, alium adhuc facerent inter se angulum ex parte C, qui minor esset, quam is, quem supponuntur constituere in AD & BD, & proinde posterior ille non esset minimus omnium angulorum possibilium. Id quod est contra hypothesin. Ergo lineæ, quæ supponuntur constituere inter se angulum infinite acutum ex parte D, sunt inter se vere parallelæ. Q. E. D.

MELCHIORIS FRID. GEUDERI MED. DOCT. Diatriba de Fermentis variarum corporis animalis partium specificis & particularibus. Cui subjicitur Dissertatio de Ortu Animalium.

Amstelodami, apud Joannem Wolters, 1689, in 8.

Constat plagulis 22.

POstquam Chymia hoc nostro seculo insigni cum fructu apud Medicos vigere cœpit, plurimi eorum *Helmontii* famigeratissimi illius per ignem Philosophi vestigia legentes, quo solennes corporis Animalis functiones, inanibus Facultatum nominibus explosis enodarent, sæpius non sine applausu peculiaria in subsidium vocarunt Fermenta, ratione partis certæ solidæ, cui insideant & propria sint, insita & specifica ipsis appellata. Verum annon hæc easdem cum

cum facultatibus experiantur difficultates, i. e. annon supponantur magis, quam solide demonstrentur, paucis abhinc annis *Borellus*, *Bohnius*, *Charletonus*, aliique mechanicam rationem in actionibus plerisq; animalium extricandis seligentes, multum hæsitarunt. Quibus subscribere nec Autor noster in Diatriba præsenti veritus, rem omnem *duplici* absolvit *sectione*. *Prima* harum fermenta corporis animalis in genere examinaturus, ante omnia ingenue fatetur, eandem de fermentis hypothesin aliquamdiu sibi arrisisse, utpote mox sub incunabulis a plurimis approbatam, nec aliorum dogmatum novorum adinstar multis contradictionibus vexatam; postea nihilominus modernorum, cumprimis *Borelli*, *Bohnii*, *Rivini* & *Kemperi*, scriptis sedulo evolutis sententiam se mutasse, methodumq; phænomena in animalibus obvia mechanicas ad leges revocandi arripuisse, ceu magis expeditam, omnibus etiamsi difficultatibus haud destitutam. Hinc diverso fermentationis sensu considerato, hanc sanguini modo denegat, modo attribuit: scilicet fermentatio si intestinum saltem denotet motũ materiæ ad perfectionem tendentis, cujus effectus spiritus sit sulphureus sive ardens, nullam sanguini similis spiritus experti inesse; ast ubi generalius paulo pro quovis liquidi alicujus heterogenei motu intestino, a corpusculorum subtilium nisu expansivo dependente, accipiatur, quem variæ insequantur alterationes, fermentationem omnino sanguini videri concedendam, ita tamen, ut minus repugnet, si quis neglectis effervescentiæ, fermentationis aut ebullitionis nominibus litigiosis, genericos magis vel rarefactionis, vel tumultuationis, commotionis aut agitationis terminos malit adhibere. Fermenta vero ab Helmontio obscurius, clarius ab aliis descripta, quemadmodum in animali machina vel adventitia perhibentur, vel innata sive insita; ita horum præsertim existentiam multis destruere rationibus nititur. Etenim primo, si fermenta ejusmodi in corpore animali præsto essent, partium ejusdem mereri titulum; interim nec solidas partes dici, nec fluidis, nec spirituosis, cum propriis hæ non contineantur terminis, posse accenseri. Adhæc genuinam eorum originem, non minus ac naturam, dubiam esse & ignotam, secus ac *Willisio*, *Helvetio* iisque, qui spiritus insitos somniant, videatur. Porro ipsam viscerum structuram fermentationi adversari, velut intuitu strictissimorum canaliculorum omnem fermentationis mo-

tum vertiginosum & rarescentem impedientem. Sanguinis denique circulationem celerrimam tantum temporis haud largiri, ut fermenta in canalibus adeo multis iisque angustissimis, tum in omnes partes fluidi misti sese diffundant, tum easdem absque substantiæ partium destructione ab invicem separent, tum corpusculorum discretorum inter se homogeneorum in unum locum colligendorum ergo, novus dissolutioni factæ motus superveniat; ni forsan ex momentanea fermenti actione idem sanguinis massæ contingere deberet, quod in filtrationibus solutionum v. g. auri, sulphuris &c. intempestive adornatis solet observari, quippe quæ confestim ab instillato præcipitante, v. g. sale tartari, aceto &c. filtro commissæ, sub liquoris turbidi specie integræ chartam bibulam permeant. E diverso ad Recentiorum mentem convenientius longe fluidorum in animali corpore indagari secretiones, si motu sanguinis intestino, pariter ac progressivo a corde & arteriis jugiter ad secernentium partium canaliculos vibrato, una cum diversarum particularum e sanguine secernendarum aptitudine, suppositis, sola pororum (præter debitum fibrarum a spirituum animalium influxu dependentem tonum) in visceribus, glandulis aliisque partibus probe perpendatur dispositio, figuræ & magnitudini separandarum molecularum congrua, a variis demonstrata phænomenis, & tunc etiam, ubi vel maxime fermenti cujusdam quacunque ratione corpuscula segreganda ad secessum disponentis concederetur præsentia, in ipso secretionis actu omnino admittenda. Isti tamen porulorum configurationi forsan particularum ex conformatione varia oriundum nisum, tendentias, ad hunc illumve motum facilius suscipiendum promtitudinem, indeque sub utroque sanguinis motu resultantes impulsuum differentias, adjungi posse; cum corpus aliquod versus proportionatum foramen projectum pro diversa vel recta, vel obliqua, vel alia incidendi ratione, modo facilius, difficilius modo, modo plane non pertranseat. Quæ singula quidem quamvis in genere facilem mereantur assensum, attamen ubi ad explicationem minimorum perventum fuerit, propter ignotam partium configurationem internam nihil prorsus de speciali secretionum modo constare. Atq; sic fermentis solidarum partium innatis in genere rejectis, antequam priorem sectionem dimittat, in *Guilielmi Cole* & *Johannis Pascalii* inquirit sententias, quorum ille *de Secretione animali*

animali ſucco nervoſo in fermentorum numerum recepto primas in mixtis ſecretionibus efficiendis defert, hic vero *Explicatione nova fermentationis in corpore humano*, fermenta vel fixa, vel volatilia conſtituens, fixorum exiſtentiam ab effectibus demonſtrat, volatilium autem originem a nervis petit ſpiritusque animales acidos declarat: utrumque nihilominus ficulneis inſiſtere fundamentis ſæpiusque ſibimet contradicere, fuſius exponit. Ad *poſteriorem* vero *ſectionem* perveniens, qua de certis corporis animalis partium fermentis in ſpecie disquirit, mox ſalivam, liquorem gaſtricum, bilem, ſuccum pancreaticum, liquorē nervoſum &c. ceu fermenta ad ſecretiones præcedanea ab allegato modo *Cole* ſalutata, e fermentorum genuinorum claſſe propterea expungit, quod non in exigua, ſed inſigni ſatis ad corpora proportione admiſceantur. Argumenta dehinc, quibus vel fermentum ventriculi acidum propugnari, vel chylificationis negotium per fermentationem explanari ſolet, promte diluit, ac ad chylificationem abſolvendam ſalivam & alimentorum reliquias, liquorem gaſtricum, fluidum nervorum, nec non viſcerum ventriculo adjacentium calorem concurrere, ſe invicem juvare, adjuvarique a proprio ventriculi motu, probabilius aſſerit. Neque in ullam bilis cum ſucco pancreatico conſentit effervescentiam, cui utriusque ductus inſertio magno potius ſit obſtaculo. Fermentum autem ſtercoreum in inteſtino cæco ab *Helmontio* locatum, merum appellitat figmentum: præterquam enim, quod *Helmontius* ſibi contradicat, omne fermentum vitale, ſtercoreum vero corruptivum nuncupans, in inteſtinis jamdū tenuibus a fæculentiis emitti fœtorem, multaque animalia, quorum nomina adduntur, cæco penitus carere. Glandularum itidem conglomeratarum, præſertim parotidum, æque ac conglobatarum meſenterii aliarumque fermenta, acida quæ creduntur, conſtanter negat: ibi namque ſalivam minime acidam, etiamſi ſola colatura ſegregetur, idcirco tamen haud penitus coincidere cum ſero, eo quod novo ſpirituum acceſſu ſit roborata ſimulque aere fœta; nec pleraque interna ſalivam moventia acida eſſe, v. g. maſticatoria, ſale potius volatili acri turgentia, item Mercurius ratione molecularum rotundarum, læviun, ſummeque mobilium ſerum fundens; hic vero ſive in conglobatis glandulis acido præſente, nec chylum, nec lympham, nec lac ſuam tueri poſſe conſiſtentiam, cum fluida nominata ab acido quovis, teſte experientia,

coagulentur. Lympham præterea qua maximam sui partem secedere potius a massa sanguinea, per poros tum tunicarum arteriæ antequam in vas capillare minimum desinat, tum vesicularum minimarum a vasis capillaribus formatarum, quam operose glandularum, ceu plurium vasculorum contortorum, ministerio secerni; eam vero lymphæ portionem, quæ in glandulis mesenterii ex sanguine arterioso ibidem deposita, una cum insigni fluidi nervosi copia chylo accedit, menstrui potius & vehiculi, quam fermenti titulo venire insigniendam. Unde & lympham a vasculis lymphaticis excipi, ne in partium solidarum nutritione gelatinosarum molecularum coagulationem impediat, a calore sanguinis absque ullius inexplicabilis fermenti assimilantis adminiculo præstandam, concurrentibus saltem spiritibus animalibus debitum fibris & poris tonum conciliando. De cætero sensibilem Cordis texturam musculosam nullum in Ventriculis ejus concedere fermentum innatum, multo minus, ut tale vel per calcinationem, vel per acescentiam inibi produci possit. Similiter spiritus animales subtiliores longe esse, quam ut in cerebro a fermento peculiari sive sale, licet maxime volatili, possint ac debeant acui & volatilisari: sal siquidem volatile destillatione acquisitum a nullo fermento oriri, sed particulas esse seri roscidas, intra cerebri poros congestas ac putrefactionis motu resolutas; neque cerebri fermentum pro spirituum ad sensum & motum determinatione exigi necessarium, cum hæc partim pororum dispositioni, partim ipsis spiritibus commode assignari possit. Rationes insuper quibus a diversis aliquod lieni fermentum affingitur, evidenter ostenduntur vanæ; lienem namque hepati inservire, in quantum sanguis in amplioribus ejus cellulis nervorum fluido copiose irroratus, a lympha liberatus, simulque a membrana fibrosa conquassatus, ad bilificationem disponitur. Nec bilem, etiamsi non qualitate eadem sanguini inesse concedatur, necessario fermentum requirere transmutans, quia simplex particularum ab aliis liberatarum unio, mediante pororum dispositione facile efficienda sufficit; in hoc saltem bilis secretionem ab aliorum humorum percolatione differre, quod tardius & facilius peragatur absque eo, ut sanguis tanta vi ad hepatis colatorium propellatur. Quoad renes, nulla in his fermenti, vel putrefactivi, vel fusorii, deprehendi vestigia, quin serum urinosum laxius Massæ Sanguineæ cohærens, sine præcedanea fermenti divellentis energia, mediante

diante

diante ſolo ſanguinis per ſtrictiſſima vaſcula capillaria impulſu & pororum certa configuratione ſecedere poſſe. Tandem quod teſticulorum in viris, ac uteri & mammarum in fœminis attinet fermenta, hæc non magis quam reliqua concipi poſſe; mutationes quandoquidem pubertatis tempore in utroque ſexu evenientes, neutiquam a teſtium vel uteri connato dependere fermento, ſed cauſam imprimis ipſam maſſam ſanguineam agnoſcere, quatenus hæc ſua ſponte tunc a particulis nutritiis & ſpirituoſis, in ſolidarum nutritionem non adeo copioſe amplius abſumendis, magis axaltatur, prætereaque a ſubtiliori ſeminis portione ad ipſam e teſtibus & ovario regurgitante vigoratur & commovetur. Circa mammarum vero fermentum plane non apparere, quidnam illud per tantum temporis ſpatium iners & latitans integrum ſervet, & quid illud ipſum tunc demum, ubi lac generari incipit, in actum deducat.

In Diſſertatione autem, quæ annectitur, de Animalium ortu ad Excell. *Sturmium* exarata, diverſis circa generationis negotium hypotheſibus, quibus hoc vel facultati formatrici, vel Animæ rationali aut ſenſitivæ, vel formæ ſubſtantiali, vel ideis ſeminalibus, vel ſeminibus motis, vel ſpiritibus ideis inſtructis acceptum fertur, probe ponderatis iisque repudiatis, in *Swammerdammii*, *Malebranche*, *Perraltii*, *Peyeri*, *&c.* ipſiusq; *Sturmii* concedit ſententiam, quibus non ſine rationum momentis, in ovulis ſingulis integram & abſolutiſſimam partium omnium admirandum in modum conſtructarum ideam ac delineationem ſubtiliſſimam latere videtur, a ſummo omnium Creatore immediate inditam, ac a ſpirituoſo ſeminis virilis contagio evolvendam & in motum ſuſcitandam. Cui equidem dogmati a multis multa objici dubia, quæ tamen non ſolum hic recenſentur, ſed & ſolide evelluntur. Unius *Leeuvvenhœckii* hic adduxiſſe ſufficiat rationes a noſtro labefactatas, quibus ille & contra ovulorum aſſignatum uſum diſputat, & novam quoque Hypotheſin proponit. Scilicet ipſum ſemen maſculinum non neceſſario matricem intrare debere, galli gallinacei exemplo, in momento tantillo ſeminis ejecto integrum ovorum racemum fœcundantis. Nec ſemper eandem ovulorum in fœtibus magnitudinem, ſicut in adultis obſervari; quin poſito quoque hoc phænomeno perpetuo, nondum tamen exin ovulorũ ad generationem elici ineptitudinem, quoniam non magnitudo hæc ovu-

la ad officium suum apta reddat, sed liquoris quem continent laudabilis constitutio, & reliqua tum ad intromittendam seminis masculini auram, tum ad sui a reliqua ovarii substantia liberationem dispositio, imo ovulum, observante *Bohnio*, post sui ab ovario secessum, minus, quam antea, deprehendatur. Interim quæ ovula intra brutorum aliquot post eorum coitum diebus sectorum, uterum ejusque cornua Leeuvvenhœckio non apparuere, ab aliis Anatomicis oculatissimis fuisse visa, neq; metuendum, ne vel reliquiæ seminis virilis in globuli formam coagulatæ, vel alterius generis particulæ excrementitiæ undiquaq; æquali vi compressæ, adeoque globosæ redditæ, pro veris ovulis habitæ fuerint, cum nec semen masculinum ad tubas usque pertingat, nec excrementitiarum particularum origo innotescat, aut concipi possit, quomodo excrementa æquali vi pressa ideo statim in vesiculas membranaceas liquore turgidas efformentur. Quod Vermiculos autem concernit, in semine masculino microscopii ope incredibili copia annotatos, ac secundū Leevvenhœckium fœtuum stamina constituentes, primo quæstionem de ortu illorum redire, insignemq; difficultatem remanere expediendam, quomodo illi vermiculi præcise in corpore maris tam artificiose elaborati ad testes vasaq; seminalia reliqua deferantur, & superstites ibi aliquamdiu existentes in uterum maternum provenire queant. Deinde minus patescere, cur in tanta vermiculorum copia omniumq; pari vigore non plures uno in fœtus excrescant tam in utero, quā hujus tubis: etenim si animalcula ejusmodi cum semine virili injecta aliquot post coitum diebus utrobique, Leeuvvenhœckio narrante, supervixerunt, opus omnino habuisse nutrimento non aliunde, quam ex utero hujusque tubis sugendo. Quo concesso, utrobique ingentem loculorum copiam, ex quibus animalcula ista alimentum sugere queant, necessario adesse, consequenter majorem semper fœtuum numerum gigni, ac frequentius conceptiones quoque tubarias contingere debere, cum nil impediat, quo minus animalcula, si semel locum invenerint nutrimentum suppeditantem, ibi persistant & in fœtus excrescant. Tandem Leeuvvenhœckii hypothesin enervari, quod ovariis fæmellarum castratione ademtis, aut casu vel morbo destructis, fœmellæ pariter ac mares exsectis testibus sterilescant nec amplius concipiant.

CASUS

CASUS CONSCIENTIÆ SIVE QUÆSTIONES Practicæ novem, soluti pro re nata atque decisi per Robertum Sandersonum, Episcopum nuper Lincolniensem. Ex Anglico sermone (post repetitas editiones) recens in Latinum conversi.

Cantabrigiæ, apud Henr. Dickinson & Rich. Green, 1688, in 8.

Constat plagulis 9.

QUamvis Casus Conscientiæ in præsenti opusculo propositos, eo tantum animo, ut privatis quorundam desideriis velificaretur, deciderit clarissimus Autor, in manes tamen illius haudquaquam injurius fuisse videtur, qui eosdem in Latinam linguam traductos publici juris fecit, utilitatemque ex his percipiendam nemini invidere voluit. De qua ut, cui libellus ille nondum visus, constare possit, ex Casu VII, Scandali naturam concise pariter atque erudite exhibente, specimen aliquod dabimus. Ibi primum observat, in casibus de scandalo dijudicandis non tam eventum, quisnam is sit vel esse potuerit, quam causam ex qua oriatur, esse spectandam. Interdum enim justam dari scandali causam, neque tamen inde sequi scandalum, quia non accipiatur: alias accipi scandalum, neque tamen justam dari causam: alias denique tum justam dari scandali causam, tum inde scandalum accipi. Deinde in modos, quibus aliquis scandali reus vere reddatur, inquirit, & ad quatuor revocari omnes posse asseverat. *Primus* illi est, cum quis coram altero fecerit, quod per se malum est, illicitum & inhonestum. Eoque in casu ostendit nullũ habere momentum aut facientis intentionem, aut eventum respectu illius qui factum videt: quippe nihil referre, utrum facienti propositum fuerit alterum illum exinde in peccatum pellicere; nec etiam referre, utrum alter ille ad peccatum admittendum exinde adductus fuerit: etenim ipsam materiam & substantiam actus, utpote mali & coram aliis perpetrati, sufficere ad hoc, ut agens scandali dati reus efficiatur, quamvis neque ipsi illud præbendi consilium esset, neque revera quisquam inde scandalizaretur. *Alter* modus ipsi est, ubi quis coram altero quid fecerit, cum directa intentione & formali proposito eum inde ad peccati admissionem pertrahendi. Illoque

loque in casu declarat neque materiam actus omnino attendi, neque eventum :nihil enim prorsus interesse, (quoad scandalizandi crimen) utrum quis exinde ad peccatum admittendum efficaciter illiciatur; neque etiam interesse, utrum res perpetrata per se illicita sit nec ne; dummodo speciem mali habeat, adeoque aptitudinem inducendi alterum ad id ex imitatione faciendum, quod sit realiter & intrinsece malum. Solam scilicet intentionis pravitatem, quicunque demum fuerit effectus, aut quibuscunque mediis adhibitis promoveatur, sufficere ad culpam scandali dati agenti affigendam. *Tertius* modus eidem est, ubi quis coram altero fecerit aliquid, quod per se malum non est, sed adiaphorum, ideoque quod ex Christianæ libertatis norma agere licet vel non agere, prout cuique videbitur (imo forsan quod alias ipsi utile est, & fieri expedit) a quo tamen probabile fore providet, ut alter ille accipiat scandalum, atque inde occasionem arripiat malum perpetrandi. *Quartus* tandem illi modus est, cum quis coram altero quid fecerit, quod non licet solummodo, sed etiam admodum expedit, imo & aliquatenus ipsi factu necessarium est, verum prævidet valde verisimile, fore, ut alter ille male eo utatur, inde semet ad peccatum admittendum confirmet, nisi simul summa adhibeatur cura scandalum, quod exinde accipi poterit, quantum fieri queat, præcavendi. Singulis his modis certas regulas subjicit Autor. Primo quidem: *Non facies aliquid mali, ut ne scandalum des.* Secundo: *Ne quid sive bonum sive malum feceris cum intentione scandalum præbendi.* Tertio: *Nil agas, quod commode poterit omitti, unde probabile est scandalum acceptum iri.* Quarto: *Ejus reii, quæ commode omitti nequit, actionem ita dirigas, ut nullum exinde scandalum tua quidem culpa accipiatur.* Reliquos casus, quorum I. de Sabbatho. II de Voto temerario cum deliberatione iterato. III. de formula sponsionis Anti-monarchicæ, Anglice *the Engagement.* IV. de Liturgiæ usu. V. de Nuptiis cum Papista contrahendis. VI de Syngrapha obligatoria mentito Regis nomine accepta. VIII de Amore illicito. IX de Vita Militari, agunt, perlegisse non pœnitebit.

Errata nonnulla.

Pag. 152. lin. 11. pro *Toron* lege *Tobbn.* p. 168. l. 5. pro *Gaca* lege *Graca.* p. 170 l. antepenult. lege *μακάριος ἔτ' εἰ δὲ.* p. 182. l. 20. pro *quam amœnioribus* lege *quam qualem amœnioribus.* p. 228. l. 25. pro *Currierium* lege *Curcierium.* p. 233. l. 8. post *Martinus* dele comma. p. 289. l. 10. pro *octo* lege *novem.*



ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno M DC LXXXIX.

REFLEXIONS SUR LES LIVRES DE L' ECRITURE Sainte, pour etablir la verité de la religion Chrêtienne. Tome II.

id est;

Tomus Secundus Considerationum in libros Sacræ Scripturæ, ad stabiliendam veritatem Religionis Christianæ.

Amstelodami apud Paulum Marret, 1689, in 8.

Constat plagulis 24.

TOmum hujus operis *primum* partesque ejus duas non immerito, ut confidimus, in Actis anni præteriti p. 237 laudavimus, & continuationem illius optavimus. Ejus voti compotes, *alterum* eumque postremum Tomum nunc exhibemus. De Autore, etsi nomen ejus *alteri* huic *Tomo* præfixum non legatur, minime tamen dubitandum est, quin idem sit *Allixius*, quem d. l. indicavimus. *Duæ* etiam hujus secundi libri *partes* sunt. In *prima* capitibus XXV tractatio instituitur ex libris *Veteris Testamenti*: in *altera* ex *Novo Testamento*. Veritas librorum historicorum Veteris Testamenti deducitur ex serie non interrupta eventuum, quos autores sacri referunt. Egregia connexio rerum a scriptoribus traditarum ostenditur, quarum una alteram vel ut prædictam & præteritam respicit, vel futuram indicat. Ita v. g. in libro Josuæ divisio terræ Cananææ describitur ut executioni data, quæ a Moyse jam ordinata erat. Idem liber quoad futura fundamentum præbet casui Gabaonitarum, qui post annos 430 regnante Davide accidit. Eadem observatio ad libros sequentes applicatur, & in parvo illo, cui *Ruth* Moabitis nomen dedit, annotari tamen, Cap. I.

ut Autor monet, possunt, quæ connexionem cum antecedentibus & consequentibus habent libris & historiis. Accedit consensus quidam profanorum historicorum, quorum fragmenta Josephus & Eusebius conservarunt, ex quibus maxime memorabilia breviter adducuntur, additis observationibus haud inutilibus. Indicatur exacta impletio vaticiniorũ de rebus vel cito vel tarde secutis, nec solũ Judaicis, sed & aliorũ populorum. Ex cito impletis exempla præbent Josuæ ducatus & expeditio, a Moyse; Baraci victoria, a Debora; exaltatio Sauli & Davidis, & illius rejectio, a Samuele; Absalonis defectio, a Nathane; Jeroboami regnum ab Ahia prædicta, & alia quibus Prophetarum autoritas secuto mox implemento stabilita est; unde & fidem merebantur de iis, quæ serius eventura erant, v. g. quæ Josua voverat & prædixerat de infortunio ejus qui Hierichuntem restauraret, quod non nisi post annos 570 accidit, & nativitas Josiæ annis 350 antequam fieret, indicata. Sic memoria Prophetarum in seris etiam seculis renata quasi est, & venerabilis mansit. Neque solum facta & fata singularia, sed & publica prædicebantur, licet aliquando tardiori, certissimo tamen eventu, v. g. quod Abrahami posteritas Palæstinam sit acquisitura; evectio tribus Judæ ad regnum; divisio regni in duas partes; captivitas Babylonica & restitutio ex illa, & quæ sub regibus Alexandrum secutis, & denique sub Romanis passuri essent Judæi. Vicinorum etiam & peregrinorum regum & populorum res non minus Prophetarum vaticiniis designabantur, e.g. ruinæ Syrorum, Moabitarum, Ninivitici, Babylonici & Persici Imperii. Tales autem libri, tot insignibus prædictionibus & oraculis referti, quæ tempora annorum 3500 complectebantur, toto orbe nunquam sunt reperti. Ex iis Danielis prophetia tam evidens est, ut capitalis ille Christianorum hostis Porphyrius non potuerit se ab argumento, quod ex ea depromebatur, expedire, quam impudenti calumnia, quod post Antiochi tempora ex eventibus composita esset; cum tamen constaret, centum ante id tempus annis in Græcam linguam traductum Danielis librum fuisse. Nec indignum notatu est, quod Judæi veteres prophetias jam ultra tot secula, postquam novæ edi cessarunt, magno studio conservent, neque tamen similes fingere aut producere unquam potuerint aut ausi sint. Respondet inde Autor objectioni, quod etiam oracula ab idolis gentium magno numero edita fuerint, & licet concedat, falsos

Cap. II. (margin, beside "consequentibus habent libris")
Cap. III. (margin, beside "cuntur, additis observationibus")
Cap. IV. (margin, beside "aut ausi sint")

falsos quoq; Prophetas extare potuisse & extitisse, monstrat tamen plurimas differentias divinorum oraculorũ ab iis quæ gentiles jactabant, & ex illis ipsis prærogativam & veritatem Judaicarum prophetiarum deducit. Exactius postea ostendit, quare supponi libri sacrarum prophetiarum non potuerint, ex insignibus temporum, quæ in iis notantur, & factorum publicorum characteribus. Urget etiam versionem Græcam trecentis ante natum Christum annis factam, & quod Judæi ex iisdem libris, etiam hodie, quanquam pro literali aut falso sensu, argumententur. Notat, quod alii sint qui vaticinia conscripserint, alii qui implementa; quodque diverso stylo omnes & singuli scripserint. Speciatim expendit mixturam & connexionem historiarum & prophetiarum, & quod officium Prophetarum elenchticum & paræneticum cum historia temporum, quibus vivebant, apte cohæreat, & suspicionem corruptionis omnem amoveat. Personæ etiam Prophetarum & diversæ eorum conditiones, fidem & autoritatem illorum confirmant: alii enim sacerdotes erant, alii reges aut regii generis viri, alii plebeji. Materiarum etiam pondus, de quibus vaticinati sunt, considerat, & effectus secutos, qui ad tot populorum notitiam pervenerunt. Memorabile etiam est, ut ait, quod post Malachiam nullus Prophetarum liber supersit, cum tamen æque facile fuisset post illud tempus quosdam fingere, quam antea. Negat ulla ratione Judæis suppositionem tribui posse: si enim id ausi essent, vaticinia de Messia, & de vocatione gentium, quam tantopere detestantur, ante omnia alterassent aut sustulissent. Ista ad stabiliendam autoritatem sacrorum scriptorum externo quodam modo, ita tamen pertinent, ut atheis & scepticis satisfacere possint. Jam ulterius progreditur Autor, & contemplatur, cur prædictiones de Messia commixtæ sint cum aliis materiis, aut in eas dispersæ, quæ ab eo valde remotæ & alienæ sunt; cum majorem fidem inventura forte fuerint vaticinia, si uno libro & ordine conscripta essent, itaq; videri adversariis possit, ac si Apostoli loca quædam Veteris Testamenti per allusionem allegent, aut centones ex iis depromant, quos non secus ac ex Virgilio aut Homero Nonnus & Eudoxus fecerunt, Evangelio adaptent. Respondet igitur, Deum rationes suas habuisse, cur isto modo vaticinia de Filio suo cum rebus alienis mixta obscuraverit, quarum rationum quædam ad ipsius Messiæ personam pertinere po-

Cap. V.

Cap. VI.

C. VII.

tuerint, ne diversæ ejus naturæ evidenter propositæ fidem amitterent & chimæricæ esse viderentur; aliæ ad Judæos spectabant, qui partem eorum, quæ de Messia prædicebantur, exequi debebant, quod non fecissent, si tota Messiæ historia aperte descripta fuisset. Denique gentilibus etiam tam clare proponenda non erat, quia post rejectionem demum Judæorum vocari ad Evangelium debebant, ejusque probationem ex conservatis eo usque, cum Judæorum libris, vaticiniis percipere. Interim etiam animadvertit Autor, Judæos & Gentiles ex prophetiis utcunque obscuris & dispersis, characteres tamen Messiæ insigniores satis percepisse. Sciebant tempore nativitatis Christi locum, in quo nasci deberet, licet ante multa secula prædictum, & sic alia quoque non ignorabant, & dicta Prophetarum de Messia ita intelligebant, ut Apostoli illum sensum præsupponere possent, nec opus haberent, ut prius demonstrarent, quod hoc vel illud dictum ad Messiam referendum esset. Ita licet Pharisæi respondere non possent ad quæstionem Christi de intellectu Ps. CX, minime tamen dubitabant, Psalmum de Messia loqui; alias inepta fuisset interrogatio, & illi ad eam non siluissent, sed qualem hodie Judæi malitiose fingunt, responsionem dedissent, qua Psalmum ad quemvis alium, quam ad

C. VIII. Messiam applicassent. Regulas inde proponit, secundum quas vetera oracula & vaticinia Messiæ applicari debere existimat. (1) ait, antiquiores prædictiones, licet generaliores, ideã tamen sequentibꝰ præbent. (2) Deus populum Israelis in expectatione Messiæ, post multa secula demum venturi, conservare voluit, per ideas vivas & prædictiones magis particulares. (3) Ideo, si quem illustrem virum aut magnam aliquam prosperitatem populo prædixit, tali promissioni semper etiam illam de Messia immiscuit, ut ad objectum illud primarium populus continuo respiceret. Quædam igitur oracula ad neminem alium quam ad Messiam applicari possunt, v. g. de semine mulieris, Gen. III, 15. de Propheta a Moyse prædicto, Deut. XVIII, 15. Quædam ad alium etiam referri posse videntur, sed ita, ut propter quosdam characteres particulares nulli alii exacte conveniant. Ita Baalami vaticinium Num. XXIII, ut Julianus Apostata cavillatus est, Davidi applicari potuit, ut & quæ Psalmo II leguntur. Notat hic contra Judæorum recentiora commenta, antiquiores eorum doctores pleraque oracula, ut Christiani faciunt, de Messia intellexisse, v. g. Ps. CX, Ps. II, &

Michæ

Michæ prædictionem de loco nativitatis: dein cum duos Messias finxerint, quibus convenirent, quæ contrario modo prædicta videntur, nil prohibet, (ait,) quo minus unum idemque dictum de Messia & de alio diverso respectu explicari possit, sicut & veteres Rabbini & Apostoli fecerunt; antiquis autem longe plus deferendum esse, quam recentioribus, tanto odio & invidia jam excæcatis. Addit quædam de Prophetarum stylo, vaticinia de Messia cum mediis ad ejus adventum promovendum necessariis sæpe commiscentium. Notat etiam, vaticinia eorum non una vice edita aut conscripta, nec eodem, quo prolata sunt, ordine temporis compilata & conjuncta esse; unde sæpius inter Prophetas, præsertim contemporaneos, ad connexionem & seriem materiæ, quam ad ordinem libri seu capitum, ut hodie extant, respiciendum sit. Subjungit alias observationes, puta quod necesse sit, vel Maimonide teste, ubi vaticinia videntur naturæ rerum repugnare, ut ad sensum metaphoricum confugiatur, v. g. cum dicitur fore, ut lupi & agni simul pascerentur: deinde ut quæ de Messia diversimode prædicuntur, ad diversas ejus naturas statusque referantur. Licet vero his jungi possit regula, quod, quæ dicta Veteris Testamenti ab Apostolis ad Messiam applicata sunt, indubitanter de illo accipi debeant; agnoscit tamen Autor, hæc ab iis tantum concedi, qui in Apostolis spiritum propheticum fatentur, adeoque a Judæis & non credentibus exigi nondum posse. Viam posthæc præstruit ad præcipua oracula de Messia ex omnibus libris Veteris Testamenti adducenda, & rationes allegat, cur ordinem temporis potius quam materiæ secutus sit, quia nempe divina sapientia eundem tenuit, & posteriora vaticinia semper clarius & specialius quam priora proposuit, & quidem uno tempore per plures Prophetas, qui inter se non consultaverant. Ex adductis autem vaticiniis constare docet (1) quod Deus Ecclesiæ suæ infallibilia argumenta suppeditare voluerit de Filii sui missione, ejusque memoriam ad salutem generis humani semper conservare. (2) quod diligenti illa circumstantiarum annotatione præcavere voluerit scandala & stulta hominum judicia, quæ Messiæ vita abjecta & humilis producere potuerat. (3) quod irrefragabiliter demonstrare voluerit, missionem hanc esse opus sapientiæ & veritatis suæ, statim post lapsum hominis revelatæ. Quamvis autem referri dignissima sint, quæ Autor ex libris Veteris Testamenti de

Messia producit, & insignibus observationibus illustrat vaticinia, prolixitas tamen relationis vitanda est, & liber ipse consulendus, in quo a capite IX ad XXIV omnia aut præcipua, quæ de Christo ejusque Ecclesia prædicta sunt, egregie proponuntur & asseruntur.

C. XXV. Cap. XXV subnectit Autor observationes quasdam haud vulgares de tempore post cessationem prophetiæ, sive a Malachia usque ad Christi nativitatem, v. g. quod odia Idumæorum aliorumque vicinorum adversus Judæos imminuta fuerint, sublata veteri de Messia æmulatione, qui jam satis clare revelatus fuerat; quod Deus quatuor seculis cessare fecerit prophetias, ut ex jam extantibus characteres Messiæ tanto diligentius discerentur, & desiderium ejus magis accenderetur; quod intermedio hoc tempore Biblia Hebraica in Græcam linguam translata ad omnium nationum notitiam pervenerint, sublata hoc modo cavillandi oracula de Messia occasione: memorabile enim est, quod longe ante exortas Judæorum cum Christianis rixas, vaticinia de Messia, v. g. quod ex virgine nasciturus esset, a septuaginta interpretibus verbotenus translata fuerint. Ista ergo Gentiles ex Græca versione intelligere & simul discere poterant, se non simpliciter ad autoritatem Judæorum sequendam adstringi, cum rejectio eorum satis clare prædicta esset. Status etiam Judæorum illo tempore observari meretur, ut honoriis ab Alexandro Magno habitus fuerit; quomodo a Regibus Syris & Ægyptiis tractati fuerint; quæ pro religione sua passi sint; ut ex persecutionibus emerserint; ut favore & decretis Regum adversus Samaritanos prævaluerint, & sacerdotes suos diademate regio ornatos viderint; ut postea divisionibus internis occasionem Romanis ad evertendum regnum Judaicum ipsi dederint, & tamen, ortis licet inter eos hæresibus multisque corruptelis, Legem tamen Moysaicam & libros sacros, ex quibus Christus demonstrandus erat, retinuerint, & ab idololatria sese abstinuerint, & sic omnes notæ temporis advenientis Messiæ a Prophetis prædicti satis evidentes extiterint.

De parte altera sequenti mense, Deo volente, agemus.

LES OEUVRES POSTHUMES DE Msr. Claude. Tome V. i. e.

Operum

Operum posthumorum Joh. Claudii Tomus V.

Amstelodami, apud P. Savouret, 1689, in 8.

Constat plagulis 43.

QUi priores IV Tomos hujus Autoris posthumos in compendio recensuimus, ultimum hunc, epistolas 45 ad diversæ sortis, illustrioris etiam, viros fœminasque exaratas complectentem, cui similem operam impenderemus, apprime dignum reputavimus. Paucitatis culpa in eos, qui cum plures penes se habeant, in facienda tamen earum copia parciores se præbuerint, rejicitur; addita invitatione, ut, quibus integrum hoc sit, uberiori literarum Claudianarum suppeditatione alteram editionem locupletare haud negligant. In Præfatione vindiciæ præmittuntur contra relationem Mercurii Politi, (*Mercure Galant*,) *Claudium* sub vitæ clausulam de fide sua interrogatum, obverso quærentibus tergo, nihil respondisse, & cum ita religionis suæ incertus oculos clauserit, ut nonnulli asseclæ sui Pontificiis accederent, ansam præbuisse. Quam parum vero fidei Mercurio illi, non nisi farraginem, citra boni & mali, veri & falsi discrimen coacervanti, tribuendũ sit, autoritate libri *Les caracteres des mœurs de ce siecle* (Characteres morum hujus seculi) adstruitur, qui verbis: *Le Hermes ou Mercure Galant est immediatement au dessous du rien* (Hermes seu Mercurius ille politus minoris ipso nihilo faciendus est,) valorem ejus admodum extenuet. Sed fraudulentam hanc propagandæ fidei in Romana Ecclesia viam non inusitatam esse monetur, nec simplici vice jamdudum Parisiis alibique de mutata Claudii religione famam increbuisse; quin & Archi-Episcopũ Parisiensem, quod datam de amplectendo Papismo fidem Claudius fefellerit, asserere non erubuisse, cum tamen neuter alterum convenerit, vel quicquam commercii cum altero habuerit.

Ex Epistolis ipsis intra A. 1664 & 1686 scriptis, potiorum saltem argumenta, prolixitatis evitandæ studio, indicabimus. Et quidem Epist. I de difficiliori loco I Cor. XV, 28 & 29 consultus, mentem suam ita aperit, ut *subjectionem* Christi non de humana, secundum quam in Scriptura nunquam filius Dei appelletur, sed divina natura intelligat, quia opponatur regno, quod vero in divinitatem solum cadat. Eam porro subjectionem non permanentem sed momenta- Pag. 8.

neam

neam fore, ceu ultimum actum regni œconomici, quo, sine æquali-
tatis tamen personalis præjudicio, Patri de data sibi omnipotentia,
ejusque extremis actibus, veluti mundi judicati, dæmonum in abyssum
præcipitatorum, Ecclesiæ liberatæ, infidelium condemnatorum, mor-
tis in victoriam absorptæ, electionis æternæ completæ, & cœli mul-
titudine sanctorum referti, rationem redditurus, & hac ipsa subjectio-
ne omnibus manifestaturus sit, quicquid fecerit, jussu Patris se fecisse:
Ut Deus sit omnia in omnibus, i. e. ut cesset œconomia, qua pro Patre
Filius ad extremum usq; diem ecclesiæ imperavit, & tota Trinitas sine
personarum subordinatione cœlites quantos quantos ita beet, ut ni-
hil in iis humani, nihil diabolici remaneat, sed universis Dei χαρίσ-
pag. 16. μασι in summo gradu exornati Deo similes reddantur. *Ep. III. Ar-
naldum* magni nominis, & id genus conflictibus aptum natum exerci-
21. tumque, adversarium se nactum esse, lætabundus innuit. *Ep. V.* cir-
ca susceptam *præsentiæ* vel *absentiæ realis* refutationem Amici cujus-
dam judicium Logicum expetit, eo quod tota hæc materia ad Logi-
28. ces fere potius, quam Theologiæ tribunal pertineat. *Ep. IX* dif-
ficultati ex Jac. IV, 5 sibi propositæ ita occurrit, ut verba: *anputatis,
quia inaniter Scriptura dicat* (quæ ad omnia ab initio Capitis hactenus
prolata, ac in Jobo & Psalmis obvia respiciant,) versui præcedenti 4
adhuc annectenda; verba vero: *ad invidiam concupiscit Spiritus,
qui habitat in vobis*, contra Vulgatam & Gallicam Translationem ita
legenda esse censeat: *contra* invidiam &c. habitat in *nobis*, ut iste
sensus emergat: *Spiritum Dei invidiæ* (quæ nobis persuadeat, majo-
ri nos gratia dignos, eamque inæqualiter distributam esse,) *contra-
rios motus in nobis operari*, ut accepta gratia plane nos indignos a-
gnoscentes, tam corã Deo quam coram hominibus nos humiliemus;
58. & hoc ipso juxta v. 6 majorem nos obtenturos gratiam. *Ep. XIV*
circa perseverantiam Sanctorum, cum Lutheranorum opinionem de
perseverantia *finali*, & fidei amissione *totali*, ob Paulinum assertum
Ebr. VI, 6 (ubi licet de peccato in Spiritum Sanctum agatur, a minori
tamen ad majus, si vere fidelem fidem & regeneratione *totaliter* amit-
tere contingat, idem concludi possit) non sustineri posse putet, alio-
rum quoque sententia sua incommoda habeat, mediam hypothesin
tutissimã esse docet; nimirum I. Deum in prima justificatione, si fidem
& pœnitentiam actualẽ inveniat, præterita peccata remittere, condi-
tione

tione perfectæ obedientiæ imposita, ita tamen ut imperfectiones fidei & obedientiæ leviores, modo generalis pœnitentia sincera fuerit, misericordia sua tegere, & enormiora quoque peccata, quoties actualis pœnitentia sequatur, remittere velit. II. Si in enormius peccatum incidat fidelis, primam justificationem non revocari, nec jus ad vitam æternã concessum tolli, nec a communione Jesu eum rejici. III. Nihilominus durante tempore peccati *in reatu mortis* eum constitui, & non quidem *sub odio Dei*, sub *ira* tamen *paterna* esse, veram condemnationem, sed non irrevocabilem producente, cujus executio per expectationem pœnitentiæ suspendatur. IV. Hunc statum neque gratiæ, neque odii absoluti esse vel totalis derelictionis, sed amoris suspensi & iræ paternæ, V Ob *Electionem* tamen *obstantem*, in tali statu mori eum non posse. Si per impossibile supponatur eum mori, tunc Deum ob frustraneam pœnitentiæ expectationem, peccata remissa revocaturum, & jus ad vitam æternam aboliturum; quod vero ob dictam rationem fieri nequeat. *Ep. XV* ad objectionem huic asserto factam, quomodo adoptio & jus ad vitam pag. 63. æternam, ceu actus indivisi plus & minus non recipientes, ex parte subsistere & ex parte revocari dici possint, respondet distinguendo inter *rem & rei statum*; & secundum hunc saltem actus istos revocari. Ita fidelem in peccato suo manere filium quoad rem, sed non quoad rei statum; h. e. esse filium rebellem, qui Deum quidem pro patre, sed irato habeat; & jus ad vitam æternam retineat, sed remotius, quo, nisi obstaculo per pœnitentiam & novam remissionem sublato, frui nequeat. *Ep. XVI* ad quæstionem: *ubi anima miraculose re-* 68. *suscitatorum durante mortis spatio fuerint?* cum de facto hoc particulari nulla extet revelatio, tutissime responderi ait, *quod nobis non constet*. Interim Papicolarum, Græcorum, Anabaptistarum, & Socinianorum opinionibus explosis, ex tribus probabilioribus: 1. in cœlo fuisse, primitiis quasi æternæ gloriæ fruentes, nec bonitati divinæ reductionem earum repugnare, nec unquam majori gaudere gloria animas, quã ubi gloriæ divinæ miraculo tali manifestandæ inserviant; 2. ad exiguum tempus fuisse in certo dispensationis loco; 3. in corpore fuisse, ita tamen ut huic nec instar informantis, nec assistentis formæ vitam aut motum communicaret: hanc ultimam ob autoritatem Pauli, *Eutychi* animam in ipso esse dicentis, ceu verosimillimam amplectendam

pag. 76. ctendam esse autumat. Dubium, quomodo Apostoli a Patre dati
Joh. XVII, 6. a Christo tamen electi dici queant Joh, XV, 19. diluit,
& utramque electionem tam ad fidem, quam munus Apostolicum
admittens, loca illa ita explicat: *erant tui* per æternum electionis
decretum; *dedisti mihi eos*, non solum in discipulos meos & fideles
eos destinans, sed etiam executionem decreti mihi committens, &
Spiritus gratiæque conversionem ipsorum effecturæ dispensatorem
78. me constituens. *Ep. XVII* circa materiam de *efficacia baptismi* in
provinciis aliquid turbæ enatum esse dolet *Claudius*, & triplicis effi-
caciæ Sacramentorum in genere, nempe 1. *immediatæ*, quatenus Sa-
80. cramenta sunt, 2. *mediatæ* per objecta Evangelica, 3. *concomitan-*
tis ex pacto & promissione divina, expositione prævia; in specie, ra-
tione *Pædobaptismi*, ait quinq; Infantum genera distinguenda esse.
85. I. In Infantibus, qui adulti facti nunquam se convertant, quosve Deus
in impœnitentia sua mori debere prævideat, baptismum aliam effi-
caciam actualem, nisi condemnationis, non exerere. Quæ enim de
86. peccati originalis remissione tradantur, absurda esse. II. In Infanti-
bus, qui in adulta ætate serius actualiter se convertant, etiam tum
demum, cum convertuntur, baptismi efficaciam se prodere, tempo-
re vero intermedio in fœdere Dei eos non fuisse, nec in baptismo ali-
quam mensuram Spiritus sanctificationis accepisse; quomodo enim
87. hic per 20, 30, & plures annos sine efficacia latere potuisset? III. In-
fantes, qui post baptismum, ad mensuram rationis magis magisq; se ex-
erentis, piæ educationi respondent, a Deo, qui ab una parte nativita-
tem in confœderatione Christiana, ab altera futuram fidem com-
munioni Christi jam quasi incorporatorum aspicit, harum qualita-
tum intuitu adoptatos gradum Spiritus accipere, qui eos ad recipi-
enda objecta Evangelica idoneos reddat; quæ gratia statim ab utero
matris collata, ratione tamen declarationis publicæ in ipso etiam
baptismo, licet non præcise hujus virtute, concessa dici possit. Et
his, non ratione sui ipsorum (quod demum in adultis fiat, quando
Deus fidem in ipsis format) sed ratione Dei, & Ecclesiæ, baptismum
90. in signum, pignus, arrham & notam cedere. IV. De infantum an-
te ætatem cognitionis decedentium salute dubitandum non esse, non
fidei futuræ intuitu, sed vel germinis fidei a Spiritu Sancto in ipsis for-
mati, vel si hoc admitti non debeat, sortis nascendi in confœdera-
tione

tione Ecclesiæ. V. Infantes ante baptismum morientes itidem intui- pag. 99.
tu sortis nascendi salvos pronunciandos esse. Quoad difficultatem ratione parentum hypocriticorum opponi solitam, respondetur, non ad proximos parentes, sed avos, atavos &c. respiciendum esse, divina misericordia usque ad millesimum gradum se diffundente; deinde & totam ecclesiam matris adoptivæ vices subire, quæ omnes infantes in sinu suo natos Deo offerat & consecret. *Ep. XIX. prima* parte 123.
methodum studii antiquitatis, & selectum autorum Historiæ Ecclesiasticæ, inter quos *Centuriæ Magdeburgenses* extantiorum errorum insimulantur, Collectaneorum item suorum dispositionem suggerit, 130.
addito de Patribus Græcis & Latinis judicio, quod inter hos *Augustino*, inter illos *Basilio* primas deferre videtur; ita tamen, ut de quibusdam Augustini operibus, sermonibus puta & enarrationibus in Psalmos, Johannem & epistolam ad Romanos abjectius sentiat.
Alteram partem *Justificationis* materia XI propositionibus inclusa 134
ingreditur: 1. Justificatio ab Electione est distinguenda. 2. Electio irrevocabilis est, justificatio per se revocabilis. 3. Justificatio ubi est irrevocabilis, talis est non ex sua natura, verũ ob qualitates justificati conditiones divinitus requisitas implentis. 4. Conditio justificationi apponitur, fidei scilicet, pœnitentiæ & perseverantiæ. 5. Qualis sanctitas requiratur? 6. In Justificatione peccata præterita remittuntur, non futura. 7. Quomodo conditio sanctitatis temperetur? 8. Vere justificatus in apostasiam non dilabitur. 9. Quomodo justificati permissione Dei, in sui humiliationem, etiam in enormia peccata dilabantur? 10. Fidelis pendente peccato non est in statu justificationis sed condemnationis, in quo tamen mori non potest. 11. In hoc eodem statu prima justificatio non est sublata. *Epist. XX.* Carolam, Caroli Ludovici E- 175.
lectoris Palatini conjugem obtestatur, ne in divortium, quod quidam suaserant, consentiat. *Epist. XXVII.* Amicum B. quem a peritia re- 195.
rum Orientalium propria experientia acquisita laudat, rogat, ut apographum mittat Epistolarum circularium *Paisii*, Patriarchæ Hierosolymitani, hujus & Anglicanæ Ecclesiæ unionem confirmantis, itemque Confessionum publicarum Græcorum & *Paisii Ligaridii*, nec non Commentarii in I. Cor. XI, 26, 27, 28 *Germani Rasoxesta*, ut habeat, quod adversariis, Græcorum in dogmate transsubstantiationis & adorationis Eucharistiæ consensum confidenter jactantibus, oppo-

pag. 198. nere possit. *Epist. XXVIII.* autorem Libri *Jugulum causæ* monet, sibi non probari, quod sub prætextu destruendi *Potestatem Papalem*, omnem simul *Potestatem Ecclesiasticam*, intra simplicis persuasionis cancellos eam recludens, subruere conatus fuerit, quæ tamen omnino salva relinqui debeat. *Epistola XXIX.* ænigmatice scripta est ob materiam nimis delicatam, consilium nimirum Protestantium Galliæ in Carolinam regionem Americanam fugam meditantium, ut clavis in Præfatione hujus Tomi innuit.
207. *Epist. XXX.* est responsoria ad Episcopum *Tornacensem*, qua autor Responsionis ad Episcopi Condomensis *Monita salutaria* excusatur, de quo Episcopus ille questus fuerat, quod in *Epistolam* suam *Pastoralem* acerbius invectus esset. Subjunctæ sunt & literæ Episcopi, cum copia literarum Cardinalis *Bonæ*, circa *Monita* illa, & *Epistolam Pastoralem*, judicium suum ferentis.
219. *Epist. XXXII.* formulis loquendi ex Catechismo alterius sinistre acceptis commoda explicatione succurrit; in Catechismis non adeo rigide verbis Scripturæ inhærendum, sed sensum potius exprimendum esse, cumq; Autor Sacramenta instrumenta gratiæ vocasset, malle se, posuisset, *canales* seu *media, per quæ Deus gratiam communicet. Ep.*
227. *XXXIV.* consolatur fœminam illustrem, cujus maritus Pontificiis accesserat, eique ex displicentia, quam idem testatus erat, ellychnii nondũ extincti, & egressus ex palatio Caiphæ cum Petro accelerandi
231. spem facit. Cumque ex eo, quod in *Defensione Reformationis*, ante hanc in communione Romana salutem obtineri potuisse concesserat, hanc consequentiam, *ergo etiam hodie idem ibi fieri posse*, exsculpi intellexisset, differentiam temporis reformationem antegressi & subsecuti attendendam esse excipit. Illic multos instar tritici inter zizania conservatos, per libertatem conscientiæ relictam, bonum a malo potuisse secernere, nec anathemata Tridentina viguisse, nec abjurationem exactam fuisse; hodie vero, si quis ad illam regredi velit, aut idololatram, aut hypocritam fore. Illic simplicem corruptionem, hodie cum furore conjunctam esse. Quis enim, inquit, salvari posset in tali communione, quæ per horrendas illas persecutiones apertum Anti-Christianismũ profitetur, & conversionem suam terribili principio superstruit, religionẽ & fidem ab unius hominis arbitrio pendere, & absoluta voluntate Regis, mutationẽ religionis per milites, carceres, & triremes imperantis? Hæc & similia seqq. duabus Epist. ulterius persequitur

ſequitur, dictæque fœminæ conditionem in cuſtodia ſua, præ liberta-
te eorum, qui fuga ſibi conſuluerint, extollit. *Epiſtolis XXXVII.* Pag. 253.
& ſeqq. diſſidium Epiſcopalium & Presbyterianorum in Anglia argumentum præbuit. Utrinque ait peccari, tam ab iis, qui regimen Epiſcopale neceſſarium, quam qui pro reliquiis Anti-Chriſtianismi illud venditent. Deo placuiſſe, ut Anglicanæ Eccleſiæ Epiſcopi, Proteſtantibus Galliæ Presbyteri præeſſent. Utrumque regimen ſuis laborare incommodis, quæ tamen temperare ſatius ſit, quam violentis remediis & ſeparatione vinculum unionis rumpere. Circumferri querelas, (ita ad ipſum Epiſcopum Londinenſem ſcribit) de deſpotica, quam in Miniſtros Epiſcopi ſibi arrogent, poteſtate; rigida ceremoniarum obſervatione; de non admiſſis ad miniſterium, niſi qui Epiſcopos de jure divino ſub jurisjurandi vinculo agnoſcant; de Sacerdotibus Romanis, ſi qui in Angliam veniant, denuo ordinari non ſolitis, veluti in Miniſtris ultramarinis, ſi qui accedant, id obtineat. Hæc, ſi vera ſint, tolli ſuadet, & prærogativam quæri potius per
charitatem quam per dignitatem. *Epiſt. XL.* cum 5. ſeqq. ad Fili- 270.
um Latino idiomate ſcripta, ſed & ut deſiderio nonnullorum ſatisfieret, Gallice reddita, de controverſiis inter Proteſtantes & Pontificios agitatis agit. Diſtinguit eas in *primarias*, quæ juſtam ſtatim Reformatoribus contendendi cauſam præbuerunt; v. g. de *juſtificatione, transſubſtantiatione, purgatorio, invocatione ſanctorum &c.* & *ſecundarias*, quæ ex primariis propter vitilitigationem Adverſariorum natæ, circa principia fidei verſantur. Miſſis prioris generis quæſtionibus, de controverſiis ſecundi generis prolixius acturus, memorat, quomodo Adverſarii, cum probe ſcirent, tam craſſos errores ex Scriptura defendi non poſſe, autoritatem hujus declinare auſi, tandem non ſolam neque perfectam regulam eſſe tradiderint. Hinc I. de norma fidei diſputari cœptum, & Adverſariis ad Verbum Dei non ſcriptum, quod in Traditionibus & Definitionibus Eccleſiæ conſiſtat confugientibus, inde 8. quæſtiones enatas fuiſſe: 1. an Scriptura ſit norma, ad quam omnia exigenda ſint, quæ ad Religionem Chriſtianã pertinent? 2. an Scriptura quam habemus, ſit perfecta perfectione ſuarũ partium, h. e. in ſe? 3. an Scriptura ſola ſit norma ſeu norma perfecta? 4. an Scriptura habeat per ſe autoritatem quoad nos, an vero per Eccleſiam, ſive unde nobis innoteſcat, Scripturam eſſe divinam?

5. an

5. an Traditiones possint esse norma? 6. an Ecclesia sit infallibilis? 7. an Pontifex Romanus sit infallibilis? 8. an Concilia sint infallibilia? II. Adversariis dicentibus, non tam de Scripturæ autoritate, quam legitimo ejus sensu quærendo agi, & ad Ecclesiam solam, non vero ad privatas personas pertinere, de vero Scripturæ sensu definire, 4. quæstiones enatas esse. 1. an Scriptura sit perspicua aut obscura? 2. an unicuique fidelium liceat legere Scripturam? 3. an unusquisque fidelis jus habeat interpretandi Scripturam, ejusque verum & genuinum sensum inquirendi? 4 an interpretationibus Ecclesiæ simpliciter acquiescendum? III. De Judice controversiarum disputatum esse, 4. quæstionibus inde emergentibus. 1. an Pontifex Romanus solus jus habeat definiendi controversias? 2. an Concilium sine Pontifice possit controversias definire? 3. an judex controversiarum teneatur judicare ex Scriptura? 4. an acquiescendum simpliciter & sine ulla disquisitione sententiæ judicis? IV. disceptatum esse de partibus integrantibus Scripturæ, h. e. de numero librorum divinorum, atque hinc duas ortas quæstiones: 1. an ex sola Ecclesiæ autoritate pendeat, quod liber aliquis habeatur pro Canonico vel Apocrypho? 2. an Libri, qui a nobis habentur apocryphi, revera sint apocryphi? V. disputatum esse de Bibliorum editionibus Hebræis Veteris Testamenti, & Græcis Novi Testamenti, nec non de Versionibus; & hinc quæsitum fuisse, 1. an fontibus Hebræis & Græcis acquiescendum tanquam authenticis? 2. an Editio LXX sit authentica, & per illam Hebræa corrigenda? 3. an Vulgata sit authentica? 4. an Scriptura vertenda sit in linguam vernaculam? Has XXII. quæstiones omnes momentosas & vindice dignas accurate tractandas Autor sibi proposuerat. Sed cum non nisi priores quinque nervose Epistolis 41, 42, 43, 44. discussæ compareant, ex egregio hoc solidi judicii specimine, utilissimi operis telam non ad finem pertextam esse, non immerito dolemus.

LUDOV. CAPPELLI COMMENTARII ET Notæ Criticæ in V. T. Accessere Jac. Cappelli Observationes in eosdem libros, item Lud. Cappelli Arcanum Punctationis ejusque Vindiciæ.

Amstelodami, apud Wolfgang, Jansonio-Waesbergios, Boom, Someren & Goethals, 1689, in fol.

Constat plagulis 253.

Claris

CLarissimum non minus in Gallia, quam universo orbe literario, uno alteroque abhinc seculo fuit CAPPELLORUM nomen. Hoc ut tanto magis pateat, utque facilius sit Lectori *Cappellos ὁμωνύμους* a se invicem distinguere, non abs re erit, præstantiores a Ludovico Cappello nostro in commentario de Cappellorum Gente volumini huic præmisso laudatos, compendiose ac in schematismo exhibere:

Dionysius Cappellus. † VII. Id. Sept. 1481.

Gervasius Cappellus.

Jacobus Cappellus, Francisci I. R. Galliæ Consiliarius & Orator Regius in supremo Senatu Parisiensi. Pro Rege suo causam egit solennissime XVIII. Kal. Febr. 153⅘ contra Carolum V. Austriacum, ut demonstraret, hunc, utpote infidelem clientem, a Francisco I. exuendum esse possessione Comitatuum Flandriæ, Artesiæ & Carolesii. Edidit quoque *libellum* pro eodem Rege & ecclesiæ Gallicanæ immunitatibus, vulgatum inter alios id genus a *Puteanis* fratribus, volum. I. p. 27.—58. editionis 1651. † XIII. Kal. Aug. 1541.

Jacobus Cappellus, natus IV. Nonas Oct. 1529. Senator in suprema curia Parisiensi; sed ob religionem Reformatã a. 1570. officio remotus, obiit XI I. Kal. Jun. 1586. Octo ejus ad Jacobũ Fil. *epistolæ* volumini huic præmittuntur.	*Guillelmus Cappellus*, Pregniaci Dominus, religioni Pontificiæ addictus, Curio Planæi juxta Valdæum; natus 5. Idus Jan. 1530. Vide *Crucium Cenomanum* in Biblioth. Francica.	*Ludovicus Cappellus* de Moniambert, Relig. Ref. Ecclesiastes & Professor Sedani & alibi; n. 18. Kal. Jan. 1534. † postridie Nonas Januarii 1586. Pluribus de eo agit *Meursius* in Athenis Batavis.	*Angelus Cappellus*, Luati Dominus, Galliæ regi ab Epistolis fuit librosq; aliquot edidit; natus 12. Kal. Nov. 1537. Relig. Pontif. † 1623 Confer de eo *Crucium Cenomanum* l. c.

JACO-

JACOBUS CAPPELLUS, natus m. Mart. 1570. Minister ecclesiæ Sedanensis, ibidemque tum L. Ebr. tum Theol. Professor. † 7. Id. Sept. 1624. Hujus *Observationes in V. T.* nunc eduntur.

LUDOVICUS CAPPELLUS natus Idib. Oct. 1585. V. D. M. S. Theol. & Ebr. Linguæ Prof. in Acad. Salmuriensi. † 14. Kal. Jul. 1658. Hujus *opera* maximam voluminis recensendi partem constituunt.

Jacobus Cappellus, patris adhuc vivi in Lingua Ebræa Salmurii publice docenda successor; natus postrid. Id. Aug. 1639, nunc ob religionem exul. Huic *editionem* hanc *operum posthumorum Cappellianorum* philologiæ sanctioris cultores debent.

Inter hæc *posthuma* primus locus datus est *Ludovici Cappelli* annotatis in *Esaiæ* caput *LIII*, & finem capitis *præcedentis*. Heic, quæ de servi Dei statu duplici, tenui altero, altero glorioso, vaticinatur Esaias, de Cyro quidem succincte, mox tamen prolixe ac solide (utinam unice!) de Christo Cyri antitypo explicantur. Neque enim insolens Nostro est, diversissimas authorum de vocis alicujus sensu sententias conjungere & utriusque simul veritatem assertum ire; quemadmodum v. 8. vocem דור *generationem*, qua interpretum alii *longævitatem*, alii *sobolem* notari ajunt, utrumque h. l. significare, unicaque adeo heic voce innui statuit, quod duplici v. 10. h. m. efferatur: *Videbit semen, prolongabit dies*.

66. Sequuntur ejusdem in *Abdiam*, *Michæam*, *Nahum*, *Habacuc*,
213. *Sophoniam*, *Aggæum*, *Zachariam* & *Malachiam* annotata, porro tractatus *de ecclesiæ Christianæ supra Judaicam prærogativis*. Huic subnectitur dissertatio accurato theologorum examine oppido digna,
243. *de statu animarum post mortem ante resurrectionem corporis*, a statu tum vitæ præsentis, tum vitæ post judicium extremum futuræ maxi-
259. mopere diverso. Hinc commentarius comparet in *octo* capita *Gene-*
263. *seos* a II ad IX, in quo prolixa *de Sabbato* disputatio omnium maxime
308. legi meretur. Huic adjecti sunt tum *Zoharis* Cabbalistica expositio
389. initii cap. II. Geneseos, tum *Abrahamus*, *Isaacus*, *Jacob*, *Esau* ἀλληγο-ρούμενοι, quibus ob argumenti similitudinem separatim addi par fuis-
416. 425. set, Josuam & Samsonem ἀλληγορουμένους, quin & Samsonem

μυθο-

μυθολογούμενον sive cum Hercule collatum, qui *Notis criticis* in 426.
Veteris Testamenti libros plerosque proximum a supra memoratis lo- 396.
cum occupantibus inseruntur. Has excipiunt *notæ Criticæ* in 560.
plerosque libros apocryphos. Atque hi universi fœtus posthumi unum parentem *Ludovicum Cappellum* agnoscunt, atque mole sua dimidiam voluminis partem excedunt. Quæ reliquam partem constituunt, titulo tenus jamjam in relationis hujus inscriptione indicata satis, alio tempore ad Acta referemus.

Præter ea vero, quæ post alios monuit Clarissimus Philologus, multa passim habet, quæ novam eamque præclaram lucem literis sacris fœnerari videntur. Ea aut versionem illam antiquissimam LXXviralem, aut textum Hebræum concernunt. Et illam quidem, ubi ab hoc dissentire creditur, sæpenumero tum integritati suæ ingeniosa conjectura restituit, tum Ebræo satis bene cum eadem conveni-
re demonstrat. Sic *Habakuk II, 5.* pro *κατοιόμενος* legi jubet *κατοι-* 108.
νώμενος; *Malach, II, 16.* ἐνδύματα pro ἐνθυμήματα; *Eccles. II, 3.* εἰς 202. 403.
οἶνον pro ὡς οἶνον; *1. Sam. IX, 24.* pro ἥψησεν, ἥψωσεν; *Psal. II, 12.* 435. 468.
δράξασθε παιδία pro *δράξασθε παιδίας*; *Jerem. V, 31.* *ἐπεκράτη-* 521.
σαν pro *ἐπεκρότησαν*; *Jos. XVII, 16.* pro *οὐκ ἀρέσκει, non placet, οὐκ* 411.
ἀρκέσει non sufficiet; לא יִמָּצֵא ; quo pacto optime respondent Hebraicæ veritati universa illa *τῶν ὁ* interpretamenta.

Nec infelicioribus conjecturis assequitur Criticus noster, qua ratione LXX. in suo Codice Hebræo proculdubio non punctato, nec, ut videtur, ullis spatiis distincto, aliquid legerint, aut legere se putarint, cui consonum quid in Exemplaribus Masoreticis frustra quæsi-
veris. Ita namque *Esai. IX, 6.* pro אֲבִי עַד שַׂר שָׁלוֹם *pater* 500.
æternitatis, princeps pacis, legerunt אָבִיא עַל שַׂר שָׁלוֹם
ἄξω τὴν εἰρήνην ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας. *Jerem. VI. 6.* dicitur: *Lupus* 521.
עֲרָבוֹת *solitudinum* vastavit eos; At apud LXX: *λύκος ἕως τῶν*
οἰκειῶν ὠλόθρευσεν αὐτούς. Nimirum legerunt עַד בֵּית *ad do-*
mum usque. 1. Sam. II, 1. pro עלץ *Exultat cor meum*, legerunt *οἱ ό* 430.
עָרַץ, *ἐστερεώθη ἡ καρδία μου*; nam עָרַץ significationem habet fortitudinis, unde aliquoties redditur a LXX. per *ἰσχύειν* & *ἀνδρεῖος*. *Caput XI. 1. Samuelis* LXX. ita ordiuntur: *καὶ ἐγενήθη ὡς μετὰ μῆνα καὶ ἀνέβη Νάας*; Priores nempe voces quinq; ex capitis præcedentis fine de-

sumserunt

ferunt, ubi nostri codices habent: ויהי כמחריש *Et fuit quasi surdus.* Ast LXX. legerunt: ויהי כמחרש ויעל נחש.

Quandoque notat Cappellus, aliter lectum a LXX, sed quo-
504. modo, non indicat. v. g. *Esai. XVI, 1.* pro שִׁלְחוּ כַר מֹשֵׁל אֶרֶץ (*mittite agnum dominatoris terræ,*) LXX. hæc habent: *ἀποστελῶ ὡς ἑρπετὰ ἐπὶ τὴν γῆν.* Nobis hic extra dubium videtur esse positum, illos, qui in codice suo nulla puncta, nullaque spatia distinctiva habebant, legisse: אֶשְׁלַח כְּרֶמֶשׂ לָאָרֶץ *mittam sicut reptilia super terram.*

Complura quoque glossemata, quæ in textum septuagintaviralem irrepserunt, accurate a genuino textu distinguit, illorumque origines investigat ac detegit. Sic illud *ἕως ἄδου Jerem. XXXIV, 5.*
531. esse statuit ipsamet Hebræa הוי אדון (*Væ Domine*), quæ Septuaginta senes jam *οὐαὶ κύριε* reddiderant, a quodam vero margini codicis sui Græcis literis allita ac dein, imperitia librariorum, ipsi tex-
533. tui illata fuerint. *Jes. XXXIII, 18.* memoratur סֹפֵר הַמִּגְדָּלִים *scriba* (seu numerator) *turrium,* qui Cappello vernacule dici videtur *le Sergent major de la ville.* Longe aliter *οἱ ό.* Legerunt quippe, pro מִגְדָּלִים *turrium* מְגַדְּלִים *educatorum.* Hinc verterunt: *ὁ ἀριθμῶν συντρεφομένους.* Et Hieronymus, illorum vestigia premens: *ubi doctor parvulorum?* Quæ autem apud LXX. sequuntur, *μέγαν καὶ μικρὸν λαόν,* glossema esse autumat Cappellus. Adscripsisse nempe aliquem margini *μέγαν λαόν*, eo quod respiceret ad significationem vocis גָּדוֹל *magnus*, unde illud מְגַדְּלִים videbatur derivandum. Alium adscripsisse *μικρόν*, quia מְגַדְּלִים sunt *parvuli.* Vertente dein tempore utrumque glossema textui irrepsisse.

Hujus generis innumera excerpere possemus; quæ omnino observatu digna sunt, iis cumprimis, qui antiquissimam illam Bibliorum versionem a mendis repurgatam edere volunt, id quod ut a Clarissimo *Paulo Colomesio* propediem fiat, isque tandem fidem suam literato orbi datam liberet, vehementer desideramus. *Confer sis Acta Erud. 1687. p. 223. lin. antepen.*

Sed hæc de Cappelli in *versionem Græcam* meritis speciminis loco sufficiant. Circa *Textum Hebræum* modo rigidi *censoris*, modo *interpretis*

pretii partes in se suscipit. Et illius quidem personam sustinet c. c. *Thren. IV, 2.* ubi vulgo legitur: *Filii Sion pretiosi* הַמְסֻלָּאִים בַּפָּז 542.
aestimati auro; cum enim radix סלא nec in Bibliis Ebraeis, nec vicinis Ebraeae linguis occurrat, Cappellus textum in mendo cubare, adeoque legendum suspicatur: הַמְּלֻאִים בַּפָּז *auro vincti*, enchassez en or. Hac significatione מלא in Piel & Püal haberi *Exod. XXVIII, 17. & Cant. V, 15.* Quin & forte בְּנֵי (*filii*) heic positum esse pro אַבְנֵי (*lapides*,) aut saltem eo allusisse & respexisse prophetam. Sicque oppositionem redditum iri elegantissimam, si filii Sion, qui instar lapidum pretiosorum auro vinctorum in annulo sint, reputati dicantur instar vasorum testaceorum. Nec minus confidenter praefert lectionem τῶν ό *Jer. II, 20.* לא אעבור οὐ δουλεύσω 520.
Judaeorum lectioni לא אעבור *non transibo.* *Josua I, 10.* pro בעיר 417.
voce composita legi jubet simplicem בָּעַר, quam *post* notare, atque hac ratione magnum ἐναντιοφανὲς sublatum iri opinatur.

Interpretationum autem insolitarum exempla haec sunto: *Prov.* 473.
XVII, 1. extat paroemia: *Melior est* פַּת חֲרֵבָה *buccella sicca domo plena victimis jurgii.* Sic interpretes ad unum omnes praeter τοὺς ό, qui חרב ψωμὸν, *desolatum* reddidere. Sed cum פת *buccellam panis* passim notet, *sicci* epitheton superfluum videtur Cappello; Ex harmonia igitur linguarum Chaldaicae & Arabicae probat, חרבה *siliquas*, & פת חרבה *buccellam panis ex siliquis confecti* vel *edulium aliquod ex siliquis confectum*, significare, huncque adeo locum alii *c. XV. v. 17.* parallelum esse. *Prov. XXI, 8.* Ca. הֲפַכְפַּךְ דֶּרֶךְ אִישׁ
וָזָר וְזַךְ יָשָׁר פָּעֳלוֹ vertit: *Perversus via* (est) *vir delicti* (sive 474.
homo peccati) *at qui purus est, rectum est opus ejus*; adeoque nova voce וָזָר Ebraeam linguam auctiorem reddidit, quam interpretes universi hactenus ex *vav* copulativo & זָר *alienus* compositam crediderant. Vexatissimam vocem אחשתרנים *equos celeres* in- 443.
terpretatur & ex Graeca ὀξύπτεροι corruptam censet. חַלָּמוּת *Jobi* 448.
VI, 6. (quod *vitellum* vulgo vertunt,) aeque ac Arabicum חלמה *extremitates mammillae* significare sensumque loci hunc esse adserit: *Num sapor est in eo, quod instar salivae ultro de extremitate mammillae defluit?* Hoc sane est res non insipida modo, sed & gustui ingrata. Locus *Esai. XXXVII, 30, 31.* ex mente Cappelli ita exponendus est: 515.
Hoc autem erit tibi signum (i. e. simile,) *quod hoc anno* (Sabbathico)

 como-

comedetis sponte—natum, (ספיח), *anno vero sequente* (שחיס) *sponte—renatum, anno autem tertio serite, metite, plantate vineas & comedite fructus illarum. Nam* quemadmodum experientia didicistis, anno sabbathico demessas segetes, absque hominis ope, sequenti anno in pauperum usum protrudere novam messem, unde anno subsequente novæ spicæ renascuntur: ita & *exiguæ vestræ reliquiæ*, quæ campo demesso similes sunt, *radices agent deorsum & fructus ferent sursum, &c.*

524. Ad *Jerem. XI, 18. Ego autem fui, sicut agnus aut bos, qui ducitur ad mactationem, neque novi, quod cogitarent in me hanc cogitationem:* נשחיתה עץ בלחמו (perdamus arborem vel lignum cum fructu suo, h. e. extirpemus hominem funditus) *Cappellus* annotat, verba de Christo magis, quam de Jeremia esse dicta, crucisque Christi supplicium innui, ac נשחיתה עץ בלחמו, manifesta hypallage, dici pro נשחיתה בעץ לחמו h. e. *Perdamus ligno carnem ejus.* לחם enim *carnem* notare *Soph. I, 17.* & apud Arabes passim.

432. *I. Sam, II, 35.* mutatis punctis pro לִפְנֵי מְשִׁיחִי *coram Christo meo* legi vult לְפָנַי מְשִׁיחִי *coram me Christus meus.* Totumque vaticinium verba esse dicit Dei patris non de Zadoco, sed filio suo, loquentis: *Coram me ambulabit omnibus diebus Christus* (unctus) *meus.*

Plura id genus afferre liceret. Sed ne nimis diu ἀνεβεγίων patientia abutamur, verbo tantum monemus, *fol. 405. seq.* de annis 430. peregrinationis Israeliticæ ab ipso egressu Abrahami ex Ur Chaldæorum ordiendis, ad *Exod. XII, 40; f. 422. seqq.* de voto Jephthæ, inter anathemata, (de quibus legem tulit Deus Lev. XXVII, 29,) referendo, ad *Judic. XI, 41*; alibique talia legi, quæ cum superius excerptis juncta, non poterunt non, nisi fallimur, horum studiorum cultori salivam movere, ac ut integro volumini pellegendo tempus suum impendat, facili negotio ei persuadere. Nec minoris momenti sunt, quæ proximo mense de reliqua voluminis parte referre, apud animum nostrum constituimus.

LA POLITIQUE DE LA MAISON D'AUtriche, par Mr. Varillas. i. e.

Anto-

Antonii Varillasii Tractatus de Politicis Domus Austriacæ Artibus.

Hagæ Comitum, apud Abrah. de Hondt & Jacob. van Ellinghusen, 1689, in 12.

Constat plagulis 10.

ETsi *Augustæ Domus Austriacæ* ea, quæ esse debet, mentibus nostris infixa sit veneratio, nec nisi cum dolore percipiamus quæ verbis aut factis illius Majestati adversantur, maluimus tamen libellum hunc Gallici scriptoris, jam satis noti, in Actis nostris producere, quam dissimulare, ut ingenium & Autoris & gentis appareret, & quia æquis lectoribus Gallica hæc meletemata considerantibus, refutationis argumenta ex ipsa lectione offerentur. Belli tempore scriptum esse satis apertum est, sed non hujus, cujus impetum superiori autumno erumpere vidimus, sed quod pace Pyrenæa finitum esse credebatur, certe debebat. Ingens apparatus operi præmittitur, in quo non solum politicarum argutiarum copiosa notitia ex veteribus recentibusque libris scholisque hausta, sed & magnum veritatis & modestiæ studium ab Autore ostentatur. Scopus ex initio præfaminis elucet. Profitetur Autor, se revelaturum esse interioris senaculi Austriaci, (quod adulatores ab annis centum & viginti pro æterno venditaverint) arcana; destructurum esse incantationem, qua omnes nationes Europæ, Gallica etiam, fascinatæ fuerint, donec *Ludovici* XIII Galliæ Regis & Cardinalis *Richelii* fortuna & audacia fatali opportunitate fucum, ut ait, sustulerit. Exactam tamen expositionem sibi non arrogat, illamque suas supra vires & cujuscunque esse agnoscit, qui omnibus & secretissimis consultationibus non intervenerit, aut cuncta belli pacisque negotia vel ipse tractaverit, vel a supremis arcanorum in aula Hispanica magistris (quorum aliquos nominat & describit) edoctus fuerit. Fatetur itaque, se in rimandis consiliis profundiori cognitione destitutum, conjecturas sensu communi secutum esse. Explicari in compendio non possunt, quæ de ventilatione consiliorum per gradus & vices in Belgio & Hispania, tum de conformitate Cæsaris & Hispaniæ Regis intentionum, anno demum 1636, ut putat, stabilita commentatur. Reducturum se tamen esse velum Hispanici p. 38. 39.

Consilii, quod Madriti habetur, promittit, magno cum Galliæ, patriæ suæ, commodo; juramento etiam se obstringit ad sincerum de omnibus, quæ comperta habeat, judicium, & quod virtuti etiam in hostibus non sit detracturus. Laudat itaque summatim aliqua Au-
pag. 40. striacorum consilia & gesta, & fidem mereri se confidit, si in censuram vocet, quæ ambitiose aut inique acta esse putavit. Exaggerat inter alia periculum religioni Catholicæ ab Hispanis structum, cum Lusitanos (post motum Bragantinum) ab omni commercio cum sede Romana per multos annos arcuerunt. Scripsit hæc vero, antequam
49. paria exempla in Gallia ederentur. Notabilis est, sed quæ limam
57. poscit, Consilii Viennensis & Hispanici comparatio. Longus inde est in suæ industriæ & fidei commendatione, creditque se prætextus & simulationes sufficienter deprehendisse; eandem tamen fiduciam in censuris & ratiocinationibus suis non habet, erroris que periculum maluisse se subire dicit, quam simplici relatione defungi, aut agyrtas imitari, qui curiositatem excitant, non solvunt. Libertatem in judicando & arguendo (quam multi pro licentia habebunt) non dissimulat, majorem in verbis & sermonibus efformandis fatetur, eo tamen moderamine (ut ait) usus, ut ingenio quidem & gloriæ indulgeret, conscientiam vero non læderet. Inter eos, ex quorum informatione profecerit, duos tantum jam defunctos nominat; vivorum mo-
63. destiæ, ut scribit, parcens. Transitionum artificia, ut cohærere vi-
65. deantur, quæ re aut tempore disjuncta sint, & usum digressionum;
67. tum Philosophorum, Aristotelis maxime, allegationes, regulas de-
69. nique, quas statuit & sequitur, pluribus exponit & defendit. Multa tamen præterita a se esse dicit indecora & odiosa, aut moderate proposita, ne scriptoribus maledicis, & in narratione rerum pessimarum gloriam aut delectamentum quærentibus, similis fieret; solenne etiam sibi esse scepticorum disciplinam sequi, quando res non satis cognitæ & certæ appareant. In stylo singularitatem agnoscit, quæ censuram vix sit evitatura, nisi novitatis gratia sublevetur: submittit se tamen, quoad sententias & conjecturas suas judicio eorum, qui ingenio valent, & usu rerum in magnorum Principum negotiis
81. seqq. exercitati sunt, maxime Italorum, & quoad stylum Academiæ Gallicæ, vel exactissimis, qui hodie florent, scriptoribus gentis. Ceterum duas operis partes designat. In una de rebus Hispanicis a tem-
pore

pore Philippi I. ad IV; in altera de Austriacis in Germania acturus: de illis tamen prolixius, ita ut singulis Hispanorum regibus volumen integrum destinaverit, Germanica vero uno volumine in decem libros sive capita diviso comprehensurus sit. Ab his ob Imperii Romani axioma initium facit, & nunc quidem librum primum solummodo de Caroli V. gestis exhibet.

In hujus principio duo præsupponit, & explicat. Primo agit de vera forma regiminis Imperii Romano-Germanici, & innovationibus, quas ut ait, Domus Austriaca adversus eam molita fuerit. *Secundo* in quo consistat imperialis dignitatis character, quibusque artibus hunc sibi contra leges, ut putat, Austriaci asseruerint, exponit. pag. 94. Quoad primum mirari non debemus, quod Autor suæ nationis principia teneat, formamque Imperii eum in modum mixtam statuat, ut Imperator non tam caput ejus, quam pars præcipua sit; cui consequens est, ut Principes absolutam superioritatem habeant, & obligationum erga Imperatorem vinculis non nisi nexus quidam inter Cæsarem & Principes conservetur. His cætera innituntur, quæ de administratione Imperii philosophatur. Altero capite Austriacis infractionem legum exprobrare non dubitat, in libera electione impedienda, 97. 99. & dignitate in sua familia retinenda. Probari hoc posse existimat, si acta eorum examinentur in fœderibus vel ineundis vel dissolvendis; in perpetua exercitus prætextu belli Turcici collectione; in habendis aut impediendis conciliis Ecclesiæ; in sequestratione regionum & locorum, de quibus lis est; denique in feudorum Imperialium confiscatione. His utcunque præstructis (quam vere & firmiter, jam non disquirimus, & erunt qui perperam dicta arguent) Caroli V. historiam, quatenus ad suum scopum pertinet, percurrit, iterum tamen 107. protestatus, se jam nunc revocata & non dicta haberi velle, quæ in calore dissertationis minus verecunda adversus Domum Austriacam sibi exciderint. Ante omnia Carolo confidenter tribuit pro- 108. 110. positum, *de acquirenda Monarchia universali*, eoque plurima ejus acta refert & applicat; præsertim adversus *Franciscum I.* Galliæ Regem, & Pontifices. Eodem trahit bella contra Turcos, & nescio quam jurisdictionem in Imperio & abusum fœderis Suevici, cujus dissoluti laudem Gallicis consiliis & Langæi industriæ tribuit. Excusat tamen Carolum aut excusantis specie insimulat, quod Lutheri hære-

hæresin, quam vocat, sciens lubensque ferre & promovere, quam extinguere maluerit. Ista, & quæ de bello Smalkaldico operose subjungit, vix sustinebunt censuram, si cum historicis fide dignis conferantur. Nos id non agimus; exempla tamen neglectæ vel veritatis, vel studii, ex notissima nobis nostrarum rerum historia annotabimus, quæ vel ipsum Autorem, si patiatur, admoneant, vel lectores ab errore præmunire possint. Non sufficit Autori Caroli Imperatoris solertiam retulisse, qua *Johanni Friderico Saxoniæ Electori* agnatos *Mauritium* & *Augustum* opposuit, sed analogum aliquid non invenit sed finxit,
pag. 136. cum scribit: *Philippo Landgravio Hassiæ fratrem fuisse, qui Zuingliani schismatis autor fuerit, aliudque in familia sua molitus sit, pactus ab Imperatore, ut divisa cum fratre regione partem sub titulo Landgraviatus Darmstadini obtineret.* Nemo tamen nescit, Philippo fratrem non fuisse, & Darmstadinam separationem in filiis demum ejus secutam esse. Turbat paulo post temporis ordinem, & con-
147. demnationem Electoris in castris ad Wittenbergam factam, post captivitatem Philippi collocat, alioque non magis concinno loco sum-
150. mam Principis illius laudem, indigna annotatiuncula ad marginem corrumpit, nescio quid *Dæmoniacum* illi impingens. At religiosissimam *Johannis Friderici* mentem etiam hostes & æmuli admirati sunt, ut insani hominis sit, diabolici raptus infamiam illi aspergere. Quæ de civitatibus Imperii, cum Carolo in comitiis A. 1548. de calliditate politica veluti certantibus, commentatur, suo quidem loco relin-
154. quimus, sed imperitiam rerum Germanicarum ostendit, quod Legatos civitatum inducit, apud Cæsarem excusantes, *quod Principum suorum decreta corrigere sibi non liceat*, quasi scilicet liberæ illæ Imperii civitates Principes pro Dominis agnoscant, & ab eorum placitis, quandocunque id e re sua esse putant, non discedant. Impertinen-
163. ter etiam edictum Imperatoris, quod *Interimisticum* vocatur, favorabile Protestantibus fuisse dicit, cum vix unum eorum vel modice sapientem lateret, id in perniciem suæ religionis conditum esse, ideoque a nemine nisi invito acceptum, ab aliquibus manifeste rejectum fuerit. Persequi non possumus, quæ de gloriosissimæ memoriæ Principe *Mauritio* Electore contumeliosa aut falsa afferuntur, adeo varia illa & multa sunt, & quæ ad famam pertinent majori studio
186. 202. tractari merentur. Ex historia obiter pauca monebimus. *Lazarum*
Suendium

Suendium Consiliarium & Legatum Cæsaris, nescio quem familiarem Mauritii facit, qui ab exilio revocatus & Lipsiæ præfectus fuerit. Pro arce Ehrenbergensi, quæ ob angustiam faucium in montibus, claustrum (die Clause) vocatur, oppidum facit inter optima Germaniæ referendum. *Johanni Friderico* e captivitate sua dimisso contraria plane tribuit, quam ille publicis scriptis professus est. Totam enim ille liberationis suæ gratiam non agnato & sociis, ut Varillasius tradit, sed Imperatori acceptam ferre voluit. Conjecturæ itaq; locus hic non erat, cum res ex actis narrari deberet. Sed ista eo quo diximus fine, & speciminis loco adducta sunto.

pag. 197.

200.

ANALECTA EX DISCURSIBUS ACADEMICIS Christophori Lynckeri ad D. Gabrielis Suederi Introductionem in Jus Publicum Imp. Rom. Germ. novissimum.

Jenæ, apud Joh. Bielcke, 1689, in 4.

Constat plagulis 11.

Annus jam nonus agitur, ex quo *Introductionem in Jus Publicum Imperii Romano-Germanici novissimum*, Vir Consultissimus *Gabriel Suederus*, Consiliarius Wurtenbergicus & Placitorum Feudalium in Academia Tubingensi Professor, publici juris fecit, non sine multorum applausu exceptam, & nobis etiam in *Actis A. 1681, pag.* 255 laudatam. Quod vero aliis, qui idem argumentum pertractandum magno quidem numero ante Suederum susceperunt, contigit, ut in tanta de Imperii Romano-Germanici rebus liberrime, & prout quisque vel partium studiis ducitur, vel præjudiciis occupatus est, diversimode sentientium multitudine, aliorum experti censuras & animadversiones fuerint: idem & Auctori huic usu venit, in eo tamen præ aliis felici, quod in Censorem inciderit & dignitate amplitudineque muneris, & doctrinæ fama illustrem, quemque adeo a se subinde dissentientem æquo passurus videatur animo. Nimirum cum *Nicolaus Christophorus Lynckerus*, Consiliarius Saxo-Vinariensis intimus, ac primarius in Academia Jenensi Juris Professor cognovisset, Suederianam illam Introductionem studiosæ harum litte-

rarum Juventutis manibus assidue versari, in hujus inprimis gratiam sub accuratius eam examen vocare, suamque de ea sententiam cum pluribus communicare constituit. Ex quo factum, ut Academicis Discursibus & quædam obscurius ab Auctore dicta dilucidarit, & suppleverit quæ prætermissa ab eo fuerant, & quæ sibi minus probarentur, adjecta animadversione emendaverit, dissensum candide ubique sed sine opprobrio professus. Neque male de re litteraria censeri debet meritus, qui ex Discursibus illis Analecta, quæ nunc exhibemus, publicæ luci exposuit, Auctore, ut arbitramur, non invito. Nam & addisci ex illis multa poterunt, quæ frustra alibi, & in magnis etiam Juris Publici voluminibus quæsiveris, & jucundum est, in nobilissimo hoc doctrinæ genere doctissimorum virorum diversa sensa prospicere, eorumq; momenta, cui id integrum est, expendere. Nam id quidem persuasum habemus, eandem in se libertatem relicturum Lynckerum aliis, qua in Suederum usus ipse est, neque nobis succensere
pag. 114. posse, si quod in Suedero ipse reprehendit (Imperium nempe hodiernum Romano-Germanicum a veteri Romano solicite distinctum)
In Actis A. 1681. p. 255. idem viderit præcipuum quondam fuisse, quod in Suederi instituto laudandum nos quidem existimavimus. Cæterum uti ex *Analectis* Analecta dare incongruum, quodque liber ipse brevi tempore perlustrari a quovis possit, supervacaneum ducimus: ita quantum circa capitalem in hac doctrina quæstionem, a Suedero non solum, sed plerisque scriptoribus aliis Lynckerus dissentiat, operæ pretium fuerit obiter indicasse. Subscripserat nempe Suederus, cum de forma Reipublicæ dicendum esset, sententiæ in scholis magno consensu receptæ, neque vel Cæsareæ hactenus Aulæ, vel Imperii Principibus Statibusque, quod constet, improbatæ: *divisam in Imperio majestatem sic esse, ut quædam ejus jura soli Cæsari, alia Cæsari & Electoribus aliisque Principibus Statibusque conjunctim vindicentur, mixtamque adeo esse regiminis ex monarchia & aristocratia formam.* Contra Lynckerus, resuscitata *Reinkingii* opinione, quam & ab *Henrico Henniges* non ita pridem justo propugnatam opere meminimus, *statum Imperii Romano-Germanici monarchicam* esse censet, *ita ut plena majestas ejus-*
pag. 18. *que exercitium sit penes Cæsarem, Ordines autem Imperii, in juribus certis exercendis, non tanquam concausa vel causa socia, sed solum tanquam conditio sine qua non concurrant.* Atque huic hypothesi, velut funda-

fundamentali, passim eum inservire videas. Hinc enim majestatem integram Cæsari per electionem conferri, neque per capitulationem pag. 9.
imminui contendit; quippe qua officium tantum Imperatoris describatur, modusque exercendæ potestatis determinetur: quod ita tamen accipi cupit, ut actum contra Capitulationem susceptum *nullum* 10.
fateatur, non quidem quod a principio impotenti procedat, sed quod moraliter agens, vi antecedaneæ voluntatis, actui a se processuro nullitatem inducere possit. Negat, Cæsarem recte dici *in consortium majestatis Status Imperii recepisse:* consortium enim hoc esse tantum quoad modum exercendi, ne quidem quoad exercitium ipsum. Rejicit *Lampadii* aliorumque sententiam, soli quidem Cæsari partem ma- 9.
jestatis quæ *in jure reddendo* versatur, non soli vero eam quæ *in jure constituendo* consistit, tribuentium: legislatoriam enim potestatem Cæsaris esse statuit, ita ut comitialium etiam decretorum causam effi- 11.
cientem solus Cæsar constituat, Statibus locum *conditionis sine qua non* habentibus: & comitialem quidem inter Cæsarem & Status conventionem, materiam legislationi præbere eamque antecedere non diffitetur, ipsam vero legislationem, quoad formam suam, totam & so- 57.
lius esse Cæsaris contendit. In *Instrumento* etiam *Pacis Osnabrugensis Artic.* 8. potestatem legislatoriam Statibus nequaquam tribui do- 12.
cet, sed iis tantum de requirendo eorum consilio & consensu prospici. Denique quando Status fidem suam *Cæsari & S. Imperio* obstringunt, negat *Imperii* nomine Ordines accipiendos esse, sed *integritatem & salutem universi* intelligendam ait, cui fidem vasallus 13.
debeat. Sed hæc speciminis loco suffecerint.

DECAS PROPOSITIONUM DE MOMENTIS Gravium, ad Illustriss. & Reverendiss. D. Joan. Ciampinum, autore Joanne Francisco Vannio e Societate Jesu.

Romæ, typis Joann. Jac. Komarck, 1688, in 8.

Constat plagula unica.


QUæ circa propositionem staticam de momentis gravium, aliquot annos abhinc inter viros doctos viguerit controversia, pleris-


que contra *Joannem Franciscum Vannium* receptam doctrinam asserentibus, ex non uno Actorum ab anno 1684 publicatorum loco apparet. His vero objectionibus effectum non est, ut doctissimus Pater victas dederit manus, sed potius ut (fassus se perlegentem, quæ subinde Romæ, Lipsiæ, Neapoli & Florentiæ a celeberrimis Mathematicis impressa fuerunt, observasse tum aliena impugnari, tum sua stabiliri posse rationibus magis propriis & immediatis) novam instruxerit aciem hac propositionum decade, a celeberrimo *Magliabecbio* nobis communicata. Qua quidem magis laborare videtur, ut sententiæ communiter receptæ probationem confutet, quam ut placita, quæ propria ipsi sunt, confirmet. Quoniam enim D. Alexander Marchetti (& ante ipsum M. Marci) *schol. propos.* 1. *fundamentorum universæ scientiæ de Motu uniformiter accelerato*, propositionem controversam


TAB.IX. Fig. 1. his verbis fere demonstrare conatur: *Cum* (vid. fig. 1.) *bina puncta O & E sint veluti fulcra ponderum æqualium D & B, distet autem centrum gravitatis D a fulcro O per rectam DO; centrum vero gravitatis globi B a fulcro E distet per FE: palam est, gravia D & B æqualia suspendi ex inæqualibus longitudinibus DO, FE; idcirco ut DO (EB) ad FE (h. e. VS ad ST) ita momentum globi D suspensi ex O, ad momentum globi B suspensi ex E:* negat Vannius propositione 2, 3, 4, & 5, momentum globorum D & B esse compositum ex gravitate eorum totali & distantiis DO & EF. Deinde vero, si vel maxime quis considerare velit distantiam gravitatis, quæ producit descensum globi B super plano declivi SV, contendit tamen propositionibus sequentibus, lineam directionis respectu descensus naturalis globi B super plano declivi esse lineam BA, non BC, atque hinc gravitatem non habere distantiam FE á contactu E. Cæterum in scholio propos. 4. perstringit quoq; propositionem Staticam receptissimam: *Momentum gravium detinentium in æquilibrio vectem primi generis, proportionem habere compositam ex proportionibus ponderum & longitudinum.* Cum enim hoc in casu centrum gravitatis commune utrique ponderi incumbat hypomochlio, implicare dicit, ea pondera habere centrum gravitatis commune incumbens fulcro, & tamen utriusque ponderis gravitates habere suas certas distantias ab eodem hypomochlio; adeoque falsum esse, in illo vecte dari compositionem momentorum. Hanc vero & alias propositiones plures, in quibus Auctoris doctrina


do-


TAB. IX. ad A. 1689. pag. 424. sqq.

















de momentis nova methodo exponitur, typis edendi facultatem cum obtinuerit, (ut in fine monet,) propediem dubio procul plura, nec ea minus paradoxa, cum Mechanicæ peritis communicabit.

PROVE DELLE CONCLUSIONI INTORNO a' Momenti de' Gravi sopra i Piani declivi &c. h. e.

Probationes Conclusionum circa momenta gravium, quas contra quemcunque opponentem defendendas proposuerat Angelus Marchetti, Alexandri filius.

Florentiæ, 1689, in 4.

Constat plagulis 10.

Jungimus Vannio adversarium *Marchettum*, parentis Alexandri partes erudite libello hoc, quem itidem Dn. *Magliabechio* debemus, defendentem. Hunc enim cum in specimine de momentis gravium nominatim impetiisset Vannius, filius ejusdem A. 1687 conclusionum decadem edidit Vannio e diametro oppositarum, quas etiam prolixius demonstrare hoc opusculo aggressus est. Putat vero Vannio, cui laudem ingenii non denegat, erroris causam fuisse libidinem contradicendi magno illi & nunquam satis laudato *Galileo*, nec non quod evidentiam demonstrationis Marchettianæ non attente satis consideravit. Quo factum sit, ut duo supposuerit falsissima, quorum primum est, Momentum totale globi F esse æquale summæ momentorum partialium ejusdem globi (fig. 2) super duobus planis inclinatis BC & DC. Sequi enim ex hoc, globum incumbentem duobus planis cujuscunque declivitatis semper unum idemque momentum habiturum, quod ἄτοπον, cum in confesso sit, in planis pro diversa declivitatis ratione variari quoque momenta gravium. Hunc vero errorem procul dubio originem traxisse ex eo, quod statuat, plana BC & DC premi toto globi pondere, & momentum globi F in plano BC (DC) æquale esse pressioni, quam exercet secundum lineam FH in planum DC (BC), quum tamen globus ille non premat plana secundum directiones FG & FH, sed secundum TAB. IX. Fig. 2.

lineas GM & HN, momentumque ejus æquivaleat potentiæ, quæ adplicata in K aut L potest sustinere globum deorsum ruentem; quoniam propensio ejus ad descensum est secundum lineam FL, non vero juxta lineas FH aut FG. Hoc enim Vannii assertum si ponatur, colligi posse exinde, centrum F in casu proposito per duas diversissimas lineas FG & FH simul tendere, quod absonum. Licet autem non neget Marchettus, incumbentis globi centrum, remoto plano DC, ferri ob planum suppositum per lineam FH; hunc tamen motum actualem ab ipsa propensione, energia, momento & exigentia gravis probe secernendum esse monet, idque exemplo libræ inflexæ declarat. Alterum quod falso Vannius supposuisse dicitur, est: Momentum globi super duobus planis inclinatis conjunctis esse æquale summæ momentorũ ejusdem globi super iisdem planis separatim sumtis; quod æque absurdum, ac si quis dicere vellet, momentum globi
Fig. 3. Q (fig. 3.) pendentis ex puncto B lineæ GC, bifariam divisæ in B esse æquale summæ momentorum ejusdem globi pendentis ex GB & BC separatim sumtis. Illa vero momenta qua ratione sese habeant, ut specialius determinet Marchettus, aggreditur propositionum sequentium demonstrationem: (1) Momentum gravis super duobus planis declivibus conjunctis, esse minus tam momento totali, quam aggregato momentorum ejusdem gravis, super iisdem planis separatim sumtis. (2) Hoc vero aggregatum nunc æquale, nunc majus, nunc minus esse momento totali. (3) Momentum globi incumbentis
Fig. 2. planis æqualiter declivibus conjunctis (fig. 2.) esse æquale momento ejusdem globi incumbentis unico ex his planis separatim sumto, & esse ad momentum totale ut BA ad BC. (4) Momentum globi incumbentis duobus planis diversæ declivitatis esse minus momento, quod haberet, si plano, quod ex his duobus minus declive est, separa-
Fig. 4. 5. tim incumberet. (5) Momentum globi incumbentis (fig. 4. & 5.) duobus planis CD, DB æqualiter declivibus, ad momentum ejusdem
FG, GC, globi positi super aliis duobus planis FG, GC declivitatis inter se ejusdem sed diversæ a declivitate planorum CD & DB, esse ut BC ad FC. (6) Si globus incumbat (fig. 6. & 7.) planis CA & BA inæqualiter
Fig. 6. 7. declivibus, nec non EG & GF diversæ declivitatis; sit vero summa linearum CL, XB; ductarum ex punctis contactus ad lineam LV, quæ ex centro perpendiculariter cadit in horizontalem AK, æqualis summæ

summæ linearum EM, FO; Momentum globi super planis CA, AB esse ad momentum ejusdem super EG, GF, ut rectangulum CLXB ad rectangulum EMOF. (7) Iisdem positis si summa linearum CL + XB, non sit æqualis summæ EM + FO, momentum globi super planis CA, AB esse ad momentum ejus super planis EG, GF, ut Parallelepipedum, cujus basis rectangulum CLXB, altitudo CL + XB, ad parallelipipedum, cujus basin constituit recta EM + OF divisa secundum rationem CL ad BX, altitudinem vero EM + OF.

HENRICI COETSII ARNHEMIENSIS HOROlogiographia plana seu Methodus in superficiebus planis omnia horologiorum genera describendi Methodus.

Lugd. Batav. apud Jacob. Moukée, 1689, in 4.

Constat plagulis 11. tabulis item æneis 20.

CUm maxima semper ratio habenda sit temporis, quod etiam nobis nihil tale opinantibus subducit sese furtim, atque rerum gerendarum oportunitatem secum abripit, procul dubio non solum optime de humano genere meritus est, quisquis ille fuit, qui horas per umbram gnomonis in plano erecti observare primus docuit, sed illi etiam operam suam non male collocare censendi sunt, qui scientiam gnomonicam vel inventis novis locupletant, vel perspicue ex genuinis fundamentis deductam proponunt. Quorum in numero suo loco merito suo commemorati a nobis fuere doctissimi Galli, *De la Hire & Ozanam*, (eruditissimæ enim notæ & auctuaria celeberrimi *Sturmii*, quæ *Welperi* Gnomonicæ fuerunt addita, initium Actorū nostrorum antevertunt) & nunc quoque eidem accedit Auctor præsentis opusculi, qui methodum suam adeo breviter & perspicue se tradidisse profitetur, ut ad clarum illius intellectum vel semel id perlegisse sufficiat. Absolvitur vero hoc ipsum capitibus octodecim, in quorum primo Horologia in 28 genera dispescuntur; sequentibus vero octo descriptio eorundem problematibus 28 proponitur. Succedunt his capita quinque, in quibus clarior explicatio & demonstratio Methodi, quæ in superioribus circa horologiorum descriptionem

nem adhibita fuit, traditur. Capite XV sciatherica, in quibus angulus inclinationis & reclinationis major est complemento elevationis poli, aut etiam excedit ipsam poli elevationem (quippe cum in antecedentibus de illis actum non fuerit) explicantur. Ultima tandem tria capita modum describendi quævis horologiorum genera (exceptis declinantibus) succinctiorem per triangulum aliquod fundamentale edocent. Est vero Auctoris institutum unice, ostendere rationem horas in linea Æquinoctiali Geometrice inveniendi, omittendo inscriptionem signorum Zodiaci, horarum Italicarum &c. quam ex *Clavio* & *Claudio Franc. Milliet Dechales* petendam monet.

LETTRES DU PRINCE DE CONTI &c.

id est:

Epistolæ Principis Contii, sive Informatio de concordia liberi arbitrii cum gratia Jesu Christi, quam Princeps ille Serenissimus P. Stephano des Champs e Soc. Jesu, quondam Primario Professori Theologiæ, Rectori Collegii Parisiensis, & ter Provinciali, nunc vero Superiori Domus Professæ impertivit; cum aliis quibusdam scriptis de eadem materia.

Coloniæ, apud Nicolaum Schouten, 1689, in 12.

Constat plagulis 11.

Armandi Borbonii, Principis de Conti, ex Regio in Gallia sanguine nati, (cui Condæus, Germaniæ nostræ bellorum superiorum casibus notissimus, frater fuit) nomen & memoria majori & recentiori fama celebratur, quam ut de eo multa hic referri opus sit. Verum de eruditione in Principibus rara, & de pietate ejus minus innotuit exteris; neque malam gratiam apud eos iniit, quisquis hujus libelli editionem procuravit, sive *Arnaldus* is sit, haud obscuri nominis & sæpe nobis memoratus scriptor, sive alius non imparis doctrinæ & eloquentiæ, quod in dissertatione epistolis præmissa non spernendam de eo narrationem præmisit. Laudat in ea ingenium Principis, exactamque controversiarum Theologicarum notitiam, qua factum fuerit, ut inter magna licet, quæ pro generis sui conditione sustine-

ſuſtinebat, negotia, ex diſputatione cum magiſtro horum ſtudiorum veterano, imo & ſuo (diſcipulus enim ejus fuerat) inita, haud inglorius diſceſſerit. Addit notabilem, & quæ a Clerico Romano-Catholico vix expectari potuit, animadverſionem in eos, qui vulgari præjudicio occupati, a judicio de ſublimibus in religione controverſiis eos arcent, qui non ſunt ex Clero aut Doctores Theologi. Ait enim, *non minus præſtari poſſe ab iis, quos Deus ſolido ingenii acumine donaverit, & qui cum diligentia & fide lectioni ſacrarum literarum & traditionum eccleſiaſticarum cognitioni vacaverint; neque obſcurum eſſe, primos & celeberrimos fidei defenſores non niſi laicos fuiſſe. Epiſcopos quidem decere, ut fundamenta fidei ponant, catholicas veritates determinent, & errores cum autoritate damnent. Sed Deo non ita ligatas eſſe manus, quin & in alios lumen veritatis ſua diffundat, & laico pro ſufficienti vocatione & misſione eſſe talentum cognoſcendi & explicandi veritatem, accedente Eccleſiæ utilitate & divino quodam inſtinctu, & ſic ex bono laico excellentem cooperatorem veritatis, ſive per colloquium, ſive per ſcripta publica promovendæ evadere poſſe.* De Principe inde refert, quomodo in adoleſcentia ſacris deſtinatus ſit, ut Doctor fieret Sorbonicus, creatus etiam Baccalaureus Theologiæ, quam in collegio Jeſuitarum didicerat, magiſtro illo ipſo, qui in titulo libri nominatus eſt, *Stephano des Champs* ſive *Campiano.* Paulo ante diſputari ſatis rigide, ut refert, & notum eſt, cœperat occaſione libri, quem ſub Auguſtini titulo *Cornelius Janſenius* Epiſcopus Yprenſis ediderat; & tractatus D. *Arnaldi* de frequenti communione, Jeſuitæ *de Sesmaiſons*, quanquam non nominato oppoſitus, ad acerrimã defenſionem Jeſuitas accenderat, qui inter alia autoritatem & gloriam quæſiverunt ex diſputatione publica, quam ſub præſidio Coadjutoris Pariſienſis, poſtea Cardinalis Radeſiani (*de Retz,*) Princeps Contius A. 1646 d. 10 Julii in Sorbonica palæſtra habuit *de gratia, pœnitentia & eucharistia*, tanto elogio a Campiano ea de cauſa mactatus, ut ſuffragio Cleri Gallicani pro Auguſtino haberi diceretur. Theſes iſtas Jeſuitam illum tractatui ſuo de libero arbitrio, hoc ipſo anno, ſub nomine *Antonii Richardi*, tertia vice excuſo, denuo publicatas adjunxiſſe, notat Autor, easdemque editis a Jeſuitis, ſub titulo *Bibliotheca Janſeniana* & *Triumphi veritatis Catholicæ*, libris conſervatas fuiſſe, & Doctoribus Catholicis

Fff annume-

annumeratum ab iis esse Contium, ut sententiæ Jesuiticæ approbatorem. Sed quacunque tunc mente fuerit Princeps, sedecim annorum adolescens & alienum sequens ductum, divina tamen providentia & lumine gratiæ, ab opinionibus, quarum defensor tunc esse voluit, retractum esse. Lumen vero illud in admirando a moribus minus probatis ad pietatem singularem conversione ei prius affulsisse. Accidisse id illi memoratur die quodam festo Apostolorum Philippi & Jacobi, post afflictiones in quas per tempora motuum civilium in Gallia inciderat, cum ex Evangelio festi ad mentem revocasset verba: *tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me.* Adjutum inde libris piis, sed maxime brevi quodam tractatu Meditationum Christianarum Doctoris cujusdam Sorbonici *Feydeau*, Theologi Bellovacensis, annitentibus Jesuitis postea relegati. Sed plus profecisse ex *Nicolai Pavillonii* Episcopi Aletensis instructione, cujus etiam consilio duos nobilitate & pietate insignes viros in familiam adsumserit, quorum monitis, remotis, quibus ut plurimum Principes corrumpuntur, adulatoribus, in Christiana disciplina proficeret. Laudatur inde immensa & per *milliones* effusa liberalitas in pias causas, tam a vivo, quam condito testamento, & quod raræ continentiæ exemplo pensionem annuam quadraginta aureorum millium, quam etiam post relictos sacros ordines & ductam uxorem, concessione Pontificis retinere potuerat, ultro dimiserit, nolens sacris reditibus sine legitimo titulo frui. Tam religiosus etiam fuit, ut gubernatione amplissima Occitaniæ, cui a Rege præfectus erat, & quam sanctissime administraverat, ob infirmitates quasdam abdicare se voluerit, nisi monitus a pio conscientiæ directore fuisset, Principis conditioni convenire, ut pœnitentiam se dignam exerceat, vires suas in publico ministerio consumendo. Scripta ejus commendantur *contra comœdias*, de *officio magnatum*, & de *sua œconomia*, quorum omnium præcepta ipse prius in usum & praxin deduxisse, quam literis mandasse dicitur. Vertit etiam librum Augustini *de prædestinatione Sanctorum & de dono perseverantiæ*, sed cum eodem tempore alia egregia versio prodiisset, suam suppressit. Hanc ejus conversionem in moribus excepit, ut Autor indicat, altera in doctrina, cum sententiam ex Jesuitarum dogmatibus haustam, ut supra dici cœptum est, mutavit. Id autem ex epistolico, quod ei cum magistro

ſtro ſuo interceſſit commercio, probatum it Autor, qui ad publicationes literarum iſtarum permotum ſe eſſe dicit Jeſuitæ cujusdam in diſcipulos Auguſtini rancore, quo nuper admodum librum ante annos quadraginta titulo *Secreti Janſeniani* editum recudi fecerit; ejus enim calumniis refutandis, præter ea, quæ olim & non ita pridem reſponſa ſint, ſufficere poſſe has epiſtolas. Fatetur tamen, non in omnibus convenire Principi cum Janſenii defenſoribus, ſed illum Thomæ dogmata exacte ſequi, quod corrigere Janſeniſtæ volunt, qui ſe Auguſtini genuinos diſcipulos venditant.

Clarius patet hæc differentia ex ſubjuncta, alterius prælòquii loco, explicatione ſtatus controverſiæ, quæ in literis Principis & Jeſuitæ ventilatur. Exponit itaque Autor tres in materia de gratia ſententias ſive opinionum ſectas. *Primam* facit *Auguſtini*, ejusque quos vocant diſcipulorum, qui *prædeterminationem*, ſive auxilium gratiæ efficacis, ut in ſtatu hominis poſt lapſum neceſſarium requirunt, in integro autem non admittunt. *Alteram Thomæ* & *Thomiſtarum*, qui prædeterminationem ſeu concurſum cauſæ primæ etiam in ſtatu innocentiæ præſupponunt, alio tamen modo in ſtatu corrupto. *Tertiam* denique *Jeſuitis* tribuit, qui *Molinam* ſecuti, omnem *gratiam prædeterminantem & efficacem per ſe*, abſolute rejiciunt, tam in ſtatu innocentiæ quam corruptionis, ejusque loco ſufficientem ſubſtituunt, a voluntate hominis, debili quidem & morbida determinandam, adeoque vincibilem, & ut Princeps loquitur, *verſatilem*, cujus efficacia a ſcientia media dependeat, quam Jeſuitæ vel inveniſſe, vel a Semipelagianis mutuati eſſe dicuntur, ut liberum arbitrium hominis cum gratia Dei concilient, quia aliter ſubſiſtere id non poſſe putant. Hanc controverſiam jam annos centum inter *Dominicanos* & *Jeſuitas* agitatam eſſe & adhuc agitari, nemini ignotum eſt, eaque nec Concilii Tridentini definitione, neque operoſa illa, quæ Romæ ſub Clemente VIII. habita, & ex publicatis nuper relationibus in Actis noſtris indicata eſt, conſultatione ſopiri potuit. Utraque quidem pars Concilii Tridentini placita pro ſe allegat. Notavimus in relatione Tractatus de traditione Eccleſiæ, qui ſub *D. Germani* nomine A. 1687 prodiit, in Actis A. 1688, p. 363 & 402, ut Janſenianæ ſententiæ patroni verba concilii, quod homo diſſentire a gratia, ſive reſiſtere ei poſſit, ſi velit, ad facultatem reſtringant, & de actu ſecundo negent. Idem aſſerit in epiſtolis hiſce Princeps Contius, allata & acriter defenſa diſtinctio-

ſtinctionis ſcholaſticæ formula, inter *ſenſum diviſum* & *compoſitum*. Hæc præcipua totius diſceptationis, quam cum magiſtro ſuo habuit, materia eſt. Explicatur autem hæc diſtinctio in præloquio hoc, & qui eam intelligit, ſimul etiam cardinem hujus controverſiæ percipit, quam hic prolixius exponere non poſſumus. Redeunt, ut diximus, omnia ad diſtinctionem potentiæ & actus reſiſtendi gratiæ; illam admittunt Thomiſtæ & Janſeniſtæ, hunc negant. De illa loqui dicunt Concilium Tridentinum *ſenſu diviſo*, de hoc *ſenſu compoſito*. Exemplum proponit Autor noſter in præloquio, de quo agimus. *Gratia* (dicit) *movet voluntatem hominis efficaciter, ut velit ipſo actu diligere inimicum, & ita efficit gratia, ut non poſſit eum non diligere; gratia enim prædeterminat voluntatem ejus efficaciter, invincibiliter, inſuperabiliter ſive infallibiliter, ſenſu nempe compoſito, ut non poſſit odiſſe inimicum. Eo tamen ipſo tempore retinuit homo & ejus voluntas* (ita ajunt) *poteſtatem, ut odio habeat inimicum*, & *ita libertatem hanc habet ſenſu diviſo*. Iſta ſive ſubtilitate ſive argutia putant ſe ab hæreſi Calvini, cujus inſimulantur Janſeniſtæ, quæ gratiam irreſiſtibilem facit, immunes eſſe, ut jam d. l. in Actis 1688 p. 404 notavimus. Operoſe autem & acute id paſſim agit Princeps, & Jeſuitam, qui Auguſtinum ſpecioſe a Calvinianis allegari poſſe non diſſimulat, ſatis rigide reprehendit, ut ex epiſtolis conſtat. Sed ſtatu quæſtionis ex præloquio ſatis prolixe expoſito, in recenſione epiſtolarum breviores erimus.

Exhibentur autem Principis epiſtolæ ad Jeſuitam octo, hujus novem; prima enim Principis, quæ ex converſatione cum Jeſuita occaſionem habuit, perdita eſt: reliquæ omnes, manu utriusque ſcriptæ & editioni paratæ, inter chartas Principis repertæ eſſe perhibentur. Licet vero, ut diximus, quæſtionem ipſam tractare nolimus, ſciendum tamen eſt, Principem pro materiæ perplexitate tam perſpicue & acute ſcripſiſſe, ut ſummam in *Theologia Scholaſtica* & maxime *Thomiſtica* peritiam ſatis demonſtraverit; neq; tamen Jeſuitæ laus ſua auferenda eſt, licet Autor noſter victoriam cauſæ ei plane abjudicet, qua in re cuique judicium ſuum relinquendum eſt. Nos parerga quædam ſive ex epiſtolis ipſis, ſive ex editoris annotationibus, relatu haud indigna ſubjiciemus. Allegaverat Princeps epiſtola ſua altera d. 7 Auguſti A. 1664 data, pro ſua ſententia, *acta congregationis de auxiliis*

xiliis (de qua in Actis nostris sæpius, & præsertim A. 1687 p. 353 & sqq. prolixe dictum est.) Male id habuit Jesuitam; ideo commonefecit Principem epistola sua secunda, acta illa a Pontifice *Innocentio X* pro apocryphis declarata esse, ita ut opponi Jesuitis non possint. Sed Princeps Gallos obligari decreto illo negat; dein authenticum actorum exemplum Lutetiæ extare asserit, quod pro apocrypho haberi nequeat; neque illico librorum materias ipsas reprobari, etsi editiones censuram subeant; prohiberi non sine judicio Romæ libros quosdam, quorum tamen veritas ideo non pereat; p. 44. Persistit in assertione hac tam firmiter, ut dicat, Inquisitionis Romanæ decreta, etsi sub Pontificum nomine publicentur, absque rebellionis vitio rejici in Gallia posse, jure libertatis Ecclesiæ Gallicanæ competentis, ex observatione veterum sanctorum canonum, (resp. II, p. 53.) Jocos in his epistolis uterque aliquando intermiscet, acriores Princeps. Cum enim hic se Thomistam sæpius professus esset, Jesuita (epist. IV. p. 86) cavere eum jubet, ut credat, omnes Thomistas angelos esse, additque historiolam. Accepimus (ait) Barcinone literas, ex quibus intelligitur, Franciscanum quendam per exorcismum fœminam obsessam liberaturum, exire dæmonem jussisse nomine immaculatæ conceptionis Beatæ Virginis; sed dæmonem respondisse: *nihil agis, sum enim Thomista.* Ad hæc Princeps (p. 97) respondet, si Thomistæ non sint angeli, angelos tamen suo judicio esse Thomistas, quia ad horum sententiam de omnipotentis Dei operationibus loquantur. Ad historiam vero illam regerit, unum solum diabolum, miserum nempe illum, qui monachum deluserit, Thomistam fuisse, cæteros omnes esse Molinistas. Sed salsius id explicat (Ep. V, p. 116) & Molinistas cum diabolis comparat, qui ad Luciferi exemplum plus justo suæ naturæ tribuant, & ei assignent, quæ solius sunt Dei. Plura consulto omittimus. Ex annotationibus Autoris memorabilia sunt, quæ de scriptoribus aliquibus Principi memoratis hinc inde commentatur, maxime de Jesuitis. Ita ad III Contii responsum p. 69 *Theophili Raynaldi* ambitionem & summam maledicentiam viginti librorum voluminibus exercitam taxat, qua nec suis pepercerit, scripto in eos libello sub *Theophili Eugenii* nomine, cui titulus est *Protocatastasis* seu *Prima Societatis Jesu institutio restauranda*, & alio, cui *Hipparchi* nomen dedit, in quo mercaturæ studium Socie-

tati exprobravit. Approbatione etiam Jesuitarum carere dicitur tractatus ejus *de exsolutione a votis*. *Gregorium de Valentia* in Congregatione de auxiliis Pelagianismi convictum esse refert, quod incaute majorem quandam Syllogismi propositionem *Lemosio Dominicano* concesserit, ita ut egressus e consistorio a Generali suo objurgaretur, quod Societaté illa concessione funditus perdidisset: in falsificatione etiam Augustini deprehensum esse, ab ipso Pontifice Clemente VIII, & ita conterritum, ut tunc in animi deliquium inciderit, nec multo post Neapoli elanguerit. Hunc tamen encomio Doctoris Doctorum a Clemente ornatum esse, gloriantur, ut ait, Jesuitæ. *Stephani Bauni* plurima scripta moralia tum Romæ, tum Parisiis condemnata esse refert, quibus vehementer contra pietatem impegerit, quanquam nec illa laudare cessent Jesuitæ. *Dionysio Petavio* multimodæ eruditionis laudem non invidet, sed judicii debilitatem imputat, inprimis, quod patres trium priorum seculorum cum magno scandalo pro fautoribus Arianismi habuerit. Obscuriores sunt *Nicolaus Talonius* & *Claudius Tiphanius*, quorum acta & scripta refert. His addi possunt, quæ de P. Nicolaio qui ex *Jansenista*, fictus *Molinista* vel *Thomista mitigatus* factus esse a Principe & Notarum autore dicitur (p. 62, & 88) & de *Didaco Nunnez* Dominicano, alioque qui *Cabezndo* dicitur (p. 51) item de *Benedicto Pererio* & *Henrico Henriquez*, (p. 169. denique etiam de libris ipsius Jesuitæ *des Champs* (p. 143) notantur, aliaque ejusmodi. Succedit dissertatio Autoris, qua Augustinum a Calvinismo, cujus eum Jesuita in epistola sua VII insimulare videtur, absolvit, & demonstrare vult, eum quidem gratiam efficacem per se & determinantem cum Thomistis & Jansenio, non vero necessitatem cum Calvino statuisse. Respondet etiam ad allegata ex *Sadoleto*, *Contareno*, *Bellarmino* aliisque. *Pighium* vero, quem Jesuita magni facit, contemtim tractat, & Pelagianismi haud obscure accusat. *Genebrardum* & *Claudium Sanctium*, dum hæreticis sese opponunt, in excessum lapsos esse dicit. Addit deinde & exagitat quæ adversus liberum arbitrium Calvinum, & ex parte etiam Lutherum docuisse dicit, & ostendere contendit, quomodo ab Augustini sententia longissime dissideant. Multum præsidii quærit in distinctione *voluntatis* & *volitionis*, sive voluntatis & volentis. Dein verba Præsulum & Theologorum in Concilio Tridentino ad suæ senten-

sententiæ confirmationem trahit, Jesuitarum testimoniis etiam usus, ex quibus Bellarminus statuit, nullam opinionem Augustini deserendam esse; quam ipse testetur esse de fide Ecclesiæ. Denique exhortatio ad Jesuitas juniores valde pathetica subjungitur, ut obligatos se esse agnoscant Thomæ Aquinatis doctrinam sequi. Id vero ut iis persuadeat; *Ignatii Lojolæ* & primorum ejus sociorum sententias adducit, idem inculcantes. Dein *Claudii Aquavivæ* Jesuitarum Generalis epistolam circularem, post consultationes ultra biennium habitas, d. 14 Decembris A. 1613 editam, & decretum eodem die, quod alibi citatum a nobis est, integrum apponit: nec non *Mutii Vitellesci* itidem Generalis adhortationem A. 1617 conscriptam; ex quibus aliisq; manifestum esse dicit, abusibus in Theologia tam speculativa, quam morali, per Jesuitas introductis remedia dudum provisa esse, ut scilicet novis opinionibus abstineant, & Thomæ placitis adhæreant. Hoc tyronibus Societatis faciendum esse, spretis quæ aliqui ex hodiernis Doctoribus suis proponant, ante omnia vero inventum *scientiæ mediæ*, quod cum Augustini & Thomæ systemate consistere nequaquam possit, explodendum; neque tamen ita eos Thomisticis opinionibus adstringit, ut non a quibusdam, quæ ipse levius tractavit, & a quibus alii ejus sectatores discesserunt, dissentire iis liceat.

L'IMPIETE' DES COMMUNIONS Forcées &c. i. e.

Impietas vi obtrusæ Communionis seu sacræ Synaxeos demonstrata, una cum quibusdam animadversionibus in pœnas iis infligi solitas, qui sumere Sacramentum detrectant &c.

Daventriæ, 1689, in 12.

Constat plagulis quindecim.

IN eo maxime occupatur Autor anonymus, Reformatæ olim in Gallia ecclesiæ Pastor, ut *sacrilegii* Clerum convincat Franciæ, cujus impulsu tot miseri homines ad sumenda Romano more Sacramenta, & audiendam Missam, tantæ secundum illos mysterium sanctimoniæ, quantumcunque reluctarentur, abrepti novissime fuerint. Quo

fine

fine relatis *in præfatione* specialioribus historiis, vim ejusmodi factam omnino esse demonstrantibus, cum ex celeberrimi *Jurii* Literis Pastoralibus, ipsius Pontiopolitani in Occitania episcopi scriptam tribus abhinc annis testem stitisset epistolam, lectu sane ob dictionis & argumentorum pondera dignissimam: animadverti vult in Pontificem Romanum *Innocentium XI*, cujus censuram ipsa *S. Ludovici*, ut loquuntur, ecclesia, quod Marchionem *Lavardinum* excommunicatum Regis Legatum ad sacra audienda & accipienda, in Sacramenti ecclesiæque profanationem sacrilege admisisset, Romæ eodem tempore subiit, quo in Galliis decretæ fuerunt pœnæ Sacramenta Romana recusantibus durissimæ. Impudentiæ vero incusat *Dionysium Sammarthanum*, Benedictinum e Congregatione S. Mauri Monachum, qui libro *Réponse aux plaintes des Protestans*, h. e, *Responsum ad querelas Protestantium* inscripto, falsissima pronunciavit, quæ dicta vulgo fuere de persecutione Gallica, ac si nihil fere severitatis in Reformatos fuisset adhibitum. Dicta nihilominus in Sammarthani gratiam causa, cur ipsi in Anglia Reformati severioribus se muniverint contra Papismum legibus, *Becanum* Jesuitam laudat, qui Gabaonitarum exemplo aliisque evicerit rationibus, teneri omnino ad fidem subditis herodoxis sancte servandam Principem, si semel illis libertatem fidei promiserit.

Verum in ipsa tractatione fatetur Autor, ex multis Franciæ Regis declarationibus illam sese consideraturum potissimum, quæ A. D. 1686, d. 19 Aprilis, contra nove, ut vocant, conversos, Sacramenta in morbo recusantes, publicata Versaliis est, quippe quæ spiritum profanationis & impietatis regnare in persecutoribus, omnium apertissime demonstret, non modo quod constitutas pœnas, sed & quod decidendi rationes attinet. Ac profecto copiose satis ex Scripturis, ex Ecclesiæ antiquæ in administrandis Sacramentis legibus, ex Patribus, Cypriano inprimis, ex sana ratione, ex ipsorum adversariorum testimoniis & conciliis, imo ipsius Inquisitionis praxi, contra Gallos sacrorum suorum nimis prodigos, & in ipsum Deum suum nimis truces disputat. Nos quidem cum argumentum ipsum luce sua radiet, & nemini non constet priscorum Patrum in dispensandis Sacramentis disciplina & circumspectio, veniam a Lectore impetrabimus, si missis aliis, pauca quædam huc transscripserimus, quæ Gallos ex Gallis monuit

nuit Auctor. Neque enim post synodum Rhemensem A. 1564 habitam, & secutam paulo post Burdigalensem, solum producit *Albaspinaum*, Aurelianensem episcopum, eumque in sacra antiquitate versatissimum: aut *Thiersium*, qui Albaspinæi libro *de Antiqua Politia Ecclesiæ* laudato, peculiari scripto *de Expositione Sacramenti* invehitur in monachos, qui in quæstum indignum converterint frequentem nimis Sacramenti expositionem populo factam, introducta hoc pacto consuetudine, quam pro sacrilegio prima habuisset ecclesia: aut Sorbonicum Doctorem *Dyrois*, qui libro, *Preuves & Prejugez pour la Religion Chrétienne*, h. e. *Argumenta & Præjudicia pro veritate religionis Christianæ*, (quem *in Actis* A. 1683 *pag. 364* recensuimus) vim illam, qua pagani externam in idola sua venerationem extorsere, cacodæmoni acceptam referri debere ex eo contendit, quod parum deinde fuerint soliciti, animo quis simul & serio, an ore tantum, gestibus & lingua Deos adoret suos: sed & e recentissimis Gallis ipsum *Maimburgium*, in *Historia Gregorii M.* in *Actis A. 1686. p. 343.* nobis recensa, judicem habet, tot fuisse olim commissa sacrilegia, quot quidem Judæi unquam ad suscipiendum baptismum adacti ævo sequiore fuerint; Gregorium M. autem laudari oportere magnifice, ob inhibitam istam in Judæos violentiam, Christiano nomine indignam. Miratus igitur Auctor, cur Jansenistæ, qui quadraginta aut quinquaginta abhinc annis, Sacramenti honorem Jesuitarum indulgentiore disciplina convelli, tanta clamarint voce, rebus nunc longe in deteriora lapsis conticescant omnes, aurem vellit istorum sat acriter, neque Cardinalem *Camum* respondisse digne superiorum zelo censet sola illa epistola, qua clericos diœceseos suæ Gratianopolitanæ ab obtrudendo reluctantibus Sacramenti usu abstinere jussit. Cæterum quod prælaudatus *Thiersius* optasset, corporis Christi Sacramentum populis monstrari quam rarissime, nec nisi festo corporis Christi, durante festi octava, ut loquuntur, aut urgente casu quodam singulari, approbante episcopo; extra illa vero tempora conspici publice, aut conspectui dari, absque profanatione non posse venerabile mysterium censuisset: admonet Auctor, primitivæ quidem Ecclesiæ simpliciter, & sine ulla exceptione temporis, damnatam fuisse Sacramenti expositionem, ut loca evincant ab ipso *Thiersio* allegata.

Absoluta in Clerum Franciæ *sacrilegii* actione, pœnas consi-

derat, in regia illa declaratione, recusantibus in morbo Sacramenta viris fœminisve statutas, quæ sunt, si viri revaluerint, deprecatio publica cum nota infamiæ (*amande honorable*,) bonis fisco addictis, & corpore ad remos in perpetuum damnato: sin fœminæ, præter deprecationem illam publicam, & bonorum addictionem, carcer in claustro perpetuus: sin obierint, bonorum jactura, & cadaverum super crate tractio, inque locum jumentorum cadaveribus destinatum (*à la voirie*) abjectio. De singulis singulatim disserit, adjectis in fratrum sororumque fidei talia patientium gratiam variis consolationibus: omnium autem fusissime persecutorum in cadavera sævitiem castigat, Arianorum susceptam exemplo, quos primos corpora lacerasse fidelium, Athanasius auctor est. Qua occasione veteris ecclesiæ in sepeliendis corporibus cura exposita, undecimo demum seculo episcopos introduxisse censet sepulcralis juris privationem, non quidem propter hæreticos, sed excommunicatos, sed latrones, sed invasores bonorum ecclesiæ, sed interfectos in spectaculis publicis, & id genus homunciones alios, ac, quod probe vult notari noster, sepultura prohibitos fuisse ejusmodi sceleratos, non omni omnino, sed ecclesiastica tantum, benedicta, & Christianis reliquis communi. Hæreticos demortuos quod spectat, authenticam hac de re constitutionem aliam sibi non obvenisse, nisi Concilii Lateranensis tertii, sub finem seculi XII, præside Alexandro III P. R. habiti, cujus, ut & Lateranensis quarti, annos triginta sex post celebrati, decreta adhuc nonnisi de sepultura loquantur ecclesiastica, etsi secutis temporibus duriora scripserint Gregorius IX, Innocentius IV, Alexander IV, Nicolaus III, præcipue Concilium Albiense seu Albigense in Gallia anno Christi 1254, quo severius quid de effodiendis publiceque comburendis omnium hæreticorum ossibus decretum fuerit. Eodem seculo Bonifacium VIII jussisse memorat *Hermannum* quendam Italum, qui longo tempore sanctus Ferrariæ habitus fuerat, terra erutum cremari: ex quo deinde mos effodiendi ossa, rapiendi ad locum cadaveribus bestiarum destinatum, aut cineres combustorum in ventum projiciendi, in ludum abierit. Ut igitur Gallis suis, qui tot hactenus in consecratis locis sepelivere, quos non immortuos fuisse fidei Romanæ hodiernæ sat bene noverant, aut nosse poterant, novam juris Pontificii violationem noster objicit: ita capite

capite ultimo, cujus sit spiritus ista truculentia; deinde persecutionem ultimam fuisse omnino violentam persecutionem, eamque multis rationibus omnium dirissimam; tandem nullam fidelibus posse aut debere intercedere cum ejusmodi ecclesia communionem, demonstrat. Ne autem obscurum Lectori videatur, quod ex Auctore memoravimus, persecutionem Reformatorum in Gallia violentam utique fuisse, notandum est, opponi istud monitum passim declamationibus Episcopi Valentiæ in Delphinatu, & *Colberti* Coadjutoris Rotomagensis, qui Regi persuadere ausi sunt publice, *converti subditos sine vi, sine armis, exemplo magis pietatis regiæ quam edictorum robore*; *Bossueto* item Episcopo Meldensi, qui sub epistolæ pastoralis finem ad neocatholicos A. C. 1686 d. 24 Martii scriptæ, illam convertendi rationem *opus charitatis* vocat, *& pacis*; interspersis quantumvis minis, vel ex eo apostolicis scilicet, quod Apostoli verbis utitur 1. Cor, IV, 21; nec non Baroni *des Coutures*, qui scripto illo, *Esprit de l' Ecriture Sainte*, h. e. *anima & medulla Scripturæ S.* Regem a *patria* mansuetudine celebrat in eos, qui igne & sanguine & dæmoniaco furore pseudo-reformationem defenderint *&c.* De Dionysio Sammarthano supra.

JOHANNIS BAPTISTÆ SCARAMUCCII DE Motu Cordis Mechanicum Theorema, ad Illustrissimum Antonium Magliabechium.

Senogalliæ, apud Franc. Anton. Percimineum 1689, in 4.

Constat plagulis 2.

QUanto magis recentiores inter convenit, a turbinato cordis musculo, in artificiosissima animalis vivi machina hydraulico-pneumatica, exactissime antliæ sive siphonis suppleri vicem, vivificum sanguinis fluidum per tubulos arteriosos ad solidas partes quasvis jugiter propellentis; tanto graviori nihilominus dissensione, unde tanta cordi vis accedat, hactenus ab iisdem disceptatum fuit, aliis alias hypotheses cudentibus. Autor noster clarissimus in theoremate præsenti ad celeberrimum *Magliabechium*, a cujus nos id accepimus manu, mero facultatis vitalis nomine litigioso repudiato, nec *Harveo*,

ventriculos cordis a sanguine irruente dilatatos consideranti, nec *Borello*, mutuam succi tartarei ac nervei ebullitionem intuenti, subscribit, sed novum dogma quoad cordis motum hic proponere constituit. Ventriculos siquidem cordis a sanguine per venam cavam propulso non ita dilatari, ut fibrarum muscularium distractionem hanc a sanguine factam spontanea cordis contractio insequatur, exin suspicatur, quod in corde vel e viperis exempto non solum immediate a sanguinis ab auriculis ad ventriculos transfluxu cordis vigoratio sive contractio contingat, sed & notabilis intercedere observetur morula, priusquam cordi a vigoratione jamdum cessanti auricularum denuo vigoratio sive contractio superveniat, adeoque ventriculorum capacitas vigorationi cordis magis cessanti, quam sanguini irruenti debeatur. Multo minus spirales cordis fibras ab ebullitione tendi fermentativa, quam tartareus succus cum spirituoso, aliquantum viscido, e strictissimis nervorum osculis guttatim exstillante concipiat, sibi habet persuasum, cum primo spiritus animalis sive succus cerebri spirituosus viscidam indolem neutiquam redoleat, utpote partem quamcunque ad lubitum oculi momento agilem reddens; dein infinitæ propemodum nervorum propagines deprehendantur aliquid spirituosi ad cor adportantes; hinc per alios exilissimos nervorum surculos eadem motus spirituum interrupti oriatur necessitas; tum e cylindro, e quo aqua guttatim effluere supponitur, nullo ordine guttæ elabantur, multo minus e pluribus; tandem pars qualibet in tono suo, non nisi a continuo spirituum affluxu expectando, conservari debeat. Propriam vero sententiam interrupto sanguinis per cordis substantiam motui superstruit, quia ex lege circulationis certum videatur, systoles cordis tempore sanguinem intra arteriam saltem, non venam coronariam propelli, diastoles autem e diverso momento eundem sanguinem intra fibrarum interstitia tantummodo & venam, non arteriam coronariam moveri. Hinc namque ab interrupta sanguinis intra cordis substantiam periodo reciprocum motum cordis vigorationis sive systoles, & desinentiæ vigorationis sive diastoles promoveri omnino colligit, in quantum sanguis tempore diastoles ad fibrarum muscularium cordis interstitia vibratus, vel cum spiritibus animalibus novam luctam suscipiendo, vel vectis adinstar easdem fibras distrahendo & elevando, systolen ipsam efficiat. Interim

terim si quæratur, a quanam causa tunc vigoretur cor, quando sanguis hujus ventriculos subit, antequam mediante vigoratione ad arteriam magnam, consequenter coronariam quoque, in vigorationis promovendæ gratiam propellatur? responsum non aliud, quam in cordis rudimento seu puncto saliente motum tremulum & inordinatum inchoari, a quo nutrimentum ad partes in embryone augendas possit dispensari, suppeditat. Quemadmodum denique vigorationem auricularum cordis eidem sanguini auricularum substantiam interrupta periodo subeunti fert acceptam, ita ne auricularum systolen cum ventriculorum cordis contractione synchronicam plane admittere cogatur, resistentiam fibrarum auricularum promtius a sanguine irruente superari posse, quam fibrarum cordis resistentiam, inculcat.

Cæterum in *Appendice*, quæ annectitur, *de motu arteriarum & pulsuum differentiis simplicibus ad Illustrissimum Dn. Curtium Tresauum* conscripta, Autor aliorum vestigiis insistens tum sanguinem, tum debitam arteriarum trutinat structuram, quorum ille a corde intra arterias plus minus copiose aut celeriter propulsus diastolen arteriarum pulsumque, vehementem vel debilem, magnum vel parvum, celerem vel tardum, frequentem vel rarum, effingat; hæ autem sive arteriæ ex lato in angustum protensæ ac plus minus rigidæ, tam vi elastica propria, quam spiritibus animalibus succurrentibus, ubi a sanguine dilatatæ fuerint, sese contrahendo systolen ac pulsum durum aut mollem producant.

LA TOISON D' OR, OU RECUEIL DES STATUTS & ordonnances du noble ordre de la toison d' or, leurs confirmations, changemens, additions, ceremonies, immunitez, exemtions, preeminences, honneurs & bulles Papales, depuis l' institution jusques à present. i. e.

Vellus aureum, sive Collectio statutorum & decretorum nobilissimi Ordinis aurei velleris; ejus confirmationes, mutationes, accessiones, ritus, libertates, exemtiones, prærogativas, dignitates, & Pontificias bullas, ab institutione prima ad hoc usque tempus exhibens.

Amstelodami, apud H. Desbordes, 1689, in 8.

Constat plagulis 51.

Inter

INter ordines militares primus ac augustissimus habetur, nec nisi Imperatoribus, Regibus, Principibus, ac illustri dignatione conspicuis conferri solet is, qui anno 1429 a Philippo Bono Burgundiæ Duce institutus, *Aurei velleris* ordo dictus ex Argonautarum & Jasonis fabula, ad Potentissimos Hispaniarum Reges summos istius Præfectos devolutus est. Plenam ac luculentam ejus historiam condidit *Jo. Jac. Chiffletius*, quæ tamen in lucem prolata non est, facta tamen ab ipso Recensio gentilitiorum insignium hujus Ordinis Equitum CCCLXXVIII, Gallice & Latine anno 1632 Antverpiæ prodiit. Auctor vero quem jam recensemus, qui nomen suum occultavit, binis libellis historiam omnem complexus est: quorum primus institutionem & fundationem Ordinis a Philippo Bono 1431 sancitam, & leges quibus is contineri eum voluit, statuta item & decreta consecutis temporibus edita, quibus numerus Equitum amplificatus est, alia etiam immutata fuerunt, juramentorum quæ recipiendi in eum præstare tenentur formulas, insignia item, vestitus, a Pontificibus concessa privilegia, Cancellarii quoque, Thesaurarii, Secretarii & Heraldi munia exponit, & Notationibus p. 259 & seqq. pleraque illustrat. In his p. 301. S. Andream Ordinis hujus Patronum esse indicatur, idque cumprimis notandum e Wolfg. Lazio profertur p. 263. quod Johanni Intrepido, qui pater fuit Philippi Boni Ordinis hujus fundatori, Vates quidam prædixerit, futurum ut ex posteris ipsius, qui in pectore ignem (hoc est silice excussam flammam, quam torques Ordinis insigne refert) gestet, Turcarum potentiam & imperium sit fracturus: quam prædictionem in gloriosissimo Imperatore Leopoldo impleri manifestum est. Carmen ordinis hujus originem & laudes decantans, quod p. 157. & seqq. exhibetur, auctorem habet Godefridum Wendelinum, qui anno 1631 istud conscripsit, quod subjectum extat Chiffletii libro supra memorato. Altera pars quæ inscribitur *le Mausolée de la toison d' or, ou les tombeaux des chefs & des chevaliers du noble ordre de la toison d' or*, nomina, ætatem, elogia, monumenta, symbola, numismata & inscriptiones exhibet Equitum hujus Ordinis; cujus supremi Principes fuere

Philippus Bonus Burg. Dux, qui obiit A. 1467. *p. 1.*

Carolus Dux Burg. qui in in prælio Nannetensi occubuit anno 1475. *p. 44.*

Maximi-

Maximilianus Imp. qui obiit 1519. *p. 59.*
Philippus I. Hisp. Rex, qui obiit 1526. *p. 75.*
Carolus V. Imp. qui obiit 1558. *p. 102.*
Philippus II. Hisp. Rex, qui obiit 1598. *p. 181.*
Philippus III. Hisp. Rex, qui obiit 1621. *p. 264.*
Philippus IV. Hisp. Rex, qui obiit 1665. *p. 331.*

Carolus II. modernus Hispaniarum Rex, qui Serenissimo Hungariæ Turcis ereptæ Regi Josepho anno 1687, cum is coronaretur Posonii, per Invictissimi Patris Leopoldi manus velleris aurei insignia tradidit. Omnes Galliæ, Angliæ, Hungariæ, Bohemiæ, Arragoniæ, Navarræ, Siciliæ, Poloniæ, Sueciæ, Lusitaniæ, Daniæ & Scotiæ Reges, qui hujus Ordinis augusti insignibus decorati sunt, recensere & e Mausoleo hoc depromere longum foret, & ipse libri hujus auctor Part. I. p. 270. 271. brevi velut tabella quadam eos enarravit.

LIBRI NOVI.

D. Philippi Jacobi Speneri Illustriores Galliæ Stirpes Tabulis Genealogicis comprehensæ. Francofurti, apud J. D. Zunnerum, 1689. in fol.

Critica Historico-Chronologica in Annales Ecclesiasticos Cardinalis Baronii, auctore R. P. Antonio Pagi. Lutetiæ, apud J. Boudot, 1689. in fol.

Magistri Fr. Dominici de Brancaccinis Florentini de Jure Doctoratus libri IV. Romæ, apud N. A. Tinassium, 1689. in fol.

Christophori Wittichii Theologia Pacifica defensa. Amstelod. apud J. Wolters, 1689. in 4.

De Jure Gladii Tractatus & de Toparchis qui exercent id in Dioecesi Ultrajectina; auctore Antonio Matthæo. Lugduni Batav. sumptibus Auctoris, 1689. in 4.

Theodori Craanen Tractatus Physico-Medicus de Homine, edente Theodoro Schoon. Lugd. Bat. apud P. Vander Aa, 1689. in 4.

Johannis Vander Waeyen Summa Theologiæ Christianæ. Pars prima. Franequeræ apud J. Gyselaer, 1689. in 4.

Engelands Gods-Dienst en Vryheid herstelt door siin Hoogheid

heid den Heere Prince van Oranien. t' Amsterdam, by Marcus Doornik, 1689. in 4.

Petri Petiti Homeri Nepenthes, sive de Helenæ medicamento luctum abolente Dissertatio. Trajecti ad Rhenum, apud Rud. a Zyll, 1689. in 8.

Histoire de Louis XI par Mr. Varillas. A Paris chez Claude Barbin, 1689. in 4. & A la Haye chez Abraham de Hond, 1689. in 12.

Second Voyage du P. Tachard & des Jesuites envoyés par le Roy au Royaume de Siam. A Amsterdam chez P. Mortier, 1689. in 12.

Traité de la Divinité de Nôtre Seigneur Jesus Christ. A Rotterdam, chez R. Leers, 1689. in 12.

La Monarchie Universelle de Louys XIV, traduite de l' Italien de Mr. Leti. A Amsterdam, chez Abraham Wolfgang, 1689, in 12.

La Juste Idée de la Grace immediate, ou Réponse a la Critique de la Doctrine de Mr. Jurieu sur les Habitudes infuses & la Grace immediate. A la Haye chez Abraham le Hond, 1689. in 12.

Histoire de Guillaume I. Prince d' Orange, avec les Actions de Guillaume III. Roy de la Grande Bretagne. A Amsterdam chez Paul Marret, 1689. in 12.

Histoire des Revolutions d' Angleterre sous le Regne de Jaques II. jusqu' au couronnement de Guillaume III. A Amsterdam chez H. Desbordes, 1689. in 12.

Guerres des Turcks avec la Pologne, la Moscovie & la Hongrie, par le Sr. de la Croix. A la Haye, 1689. in 12.

Voyage de Dalmatie, de Grece & du Levant par Mr. George Wheler. A Amsterdam, chez Walters, 1689. in 12.

Histoire de la Guerre de Hollande depuis l' année 1672 jusques en 1677. A la Haye chez H. van Buldern, 1689. in 12.

Anti-Baillet, ou Critique du livre de Mr. Baillet intitulé *Jugemens des Savans*, par Mr. Menage. A la Haye chez Est. Foulque, 1688. in 12.

Pag. 426 deleantur in margine literæ FG, GC.



N. IX.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno M DC LXXXIX.

REFLEXIONS SUR LES LIVRES DE L' Ecriture Sainte &c. i. e.

Conſiderationes in libros Sacræ Scripturæ ad ſtabiliendam veritatem Religionis Chriſtianæ. Tomi ſecundi Pars altera.

Amſtelodami, apud P. Marret, 1689, in 8.

PRimam ſecundi Conſiderationum harum tomi partem in Actis noſtris menſe proximo Auguſto pag. 397. ſeqq. recenſuimus. Nunc promiſſi memores alteram perluſtrabimus. Poſtquam nimirum ex Veteri Teſtamento demonſtraviſſet doctiſſimus Autor religionis Chriſtianæ veritatem, dum oſtendit, quomodo ſcopus Dei in mittendo Meſſia, eoque per evidentiſſima ſigna manifeſtando, per omnes Scriptores ſacros obſervatus & traditus fuerit; jam ad Novum Teſtamentum progreditur, in quo exactum propoſiti divini implementum exhibetur, & agnoſcendum eſt, ut iſta veritatis demonſtratio ſibi recte conſtet.

Monſtrat autem ante omnia accuratam convenientiam Novi Teſtamenti cum Veteri, illiusque perpetuum ad hoc reſpectum. Præſupponunt nempe libri Novi Teſtamenti indubitatam Veteris veritatem. Sicut autem hujus finis primarius fuit, ut ſpem Meſſiæ certam daret, ejusque perſonam & officium ſingularibus inſigniret characteribus; ita Novi Teſtamenti ſcopus eſt, ut promiſſa & prædicta Veteris Teſtamenti impleta eſſe oſtendat. Unum idemque igitur (ait) utriusque objectum eſt, ab ipſo Chriſto Joh. XVII, 3. expreſſum:

Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Mittendum nimirum significavit Vetus, missum asseruit Novum Testamentum. Eadem etiam est utriusque disciplina, tam cœtus quam singulorum; & Dominus sermone illo suo in monte Matt. V, 5 & seqq. nihil aliud docuit, quam purum sensum legis moralis a Deo per Moysen promulgatæ. Precatio etiam Dominica plena est ideis Veteris Testamenti, quibus Judæi adsueti erant, ita ut & panis quotidianus, quem quarta petitione poscimus, ad Manna Veteris Testamenti respicere videatur. Lustrationes Veteris Testamenti Baptismus repræsentat, agnum Paschalem & sanguinis effusiones & aspersiones Sacra Cœna. Talia plura addit Autor, ex quibus utriusque Testamenti nexum & respectum ostendat, licet Vetus, quoad ceremonias typicas, secuto antitypo, necessario aboleri debuerit.
Cap II. Utilis etiam est observatio, quod Judæi sub adventum Christi opinione & spe venturi Messiæ plenissimi fuerint, neque ullum ex vaticiniis Veteris Testamenti, quod singulis Sabbathis publice recitabatur, magis ad animum revocarint. Inde in historia Evangelica tot disquisitiones de Messia leguntur. Eodem pertinet imaginatio discipulorum de regno Israelis, & petitio filiorum Zebedæi, omnesque conatus impostorum, qui se pro Messia gerebant; quamvis hodie ea sit Judæorum malitiosa obstinatio, ut Messiæ characteres & temporum supputationes magis magisque negligant, imo execrentur, postquam ad argumenta Christianorum de impleto calculo nihil sani
III. & solidi respondere possunt. Interim tempore adventus Christi meliori statu erat Ecclesia Judaica, corrupta quidem in moribus maxime, sed Scripturarum intelligentior & cultu religiosior.
IV. Vigebant tunc omnes Veteris Testamenti ritus, neque latere poterant notæ & characteres adventantis Messiæ, nisi ad eos agnoscendos, ob causas profanas oculos perverse clausissent. Manifesta erat sub-
V. latio sceptri Judaici a Jacobo Patriarcha prædicta, & ipsi Talmudistæ (Sanhedr. XXIV, 2.) fatentur, quadraginta ante excidium urbis annis ademta Judæis a Romanis fuisse judicia capitalia. Occurrit Autor cavillis Judæorum, quos ex statu Babylonicæ servitutis formant, & notat brevem illam fuisse, & finem ejus post annos 70 a Prophetis clare prædictum, cum nihil tale de restitutione post cladem a Romanis illatam promissum fuerit, & Prophetiæ donum Judæis prorsus ablatum

ablatum, ad Christianos transierit. Allegatur inter alia accuratum implementum temporis, quo Christus mortuus est, a Daniele prædicti. Accedit inde Autor ad consideranda specialia quædam, ad adventum Christi pertinentia. Commentatur non vulgaria de præcursore Christi Johanne, & duo ejus vaticinia observat Matth. III, 11.12. Cap. VI.
unum clarissimum de effusione Spiritus Sancti, obscurius alterum, sed non minus eventu probatum, de excidio gentis. Adducit rationes, cur minime suspecta esse posint, quæ Evangelistæ de Johanne narrarunt, toti Judæorum populo notissima. Genus Mariæ virginis ex tribu Juda & stemmate Davidico, inter alia ex itinere ejus in montana Judæ ad Elisabetham, & ex cantico illius, ut & Zachariæ confirmat. Impleta enim in se esse cantat Virgo, quæ de Messia nasciturо promissa erant, quod asserere non potuisset, nisi generis sui conscia; notissimum enim erat, ex Davidis posteris Messiam prædictum esse. Zacharias autem ex trimestri cum Maria conversatione de mysterio incarnati Messiæ jam edoctus, profiteri non veretur, in domo Davidis erectum jam esse cornu salutis. Virginitas Deiparæ inter alia ex Prophetico illius dicto percipitur, cum canit: *Ecce beatam me dicent omnes generationes*; id quod non nisi vera & divina vaticinanti applicari potuisset, corruptæ & mendaci nullo modo convenit. Qualis vero descriptus promissusque erat in Veteri Testamento Propheta, Moysi successurus, talis secundum omnia Prophetarum vaticinia in tempore comparuit. Incepit docere in tribu Naphthali & Zabulon, prædicavit pauperibus, annunciavit remissionem peccatorum, ex plebejo & fabro repente doctor absque ulla institutione prodiit, moribus tam sanctis, ut provocati ab eo inimici nullum illi crimen objicere potuerint. Miracula omnia, quæ prædicta erant, edidit, congruentibus omnibus temporis, loci & personarum circumstantiis, & tanta facti notorietate, ut a nemine in dubium vocari potuerint, extantibus tot testium millibus, quos per totam Judæam a variis morbis liberaverat, & diu (ut verisimile est) superstitibus tribus hominibus ex morte ab illo resuscitatis. Secutum est exactum implementum omnium, quæ Christus ipse prædixerat, tot Scriptorum testimoniis comprobatum, per totum orbem divulgatum, & in disputationibus Christianorum cum paganis clarissime assertum. Mors ejus qualem sustinuit, & omnia quæ eam præcesse-

VII. VIII. IX. X. XI. XII.

cesserunt & comitata sunt, accurate erant prædicta, nec minus præcise sunt impleta, consciis multis Judæorum & peregrinorum millibus, ut nulla falsitatis suspicio locum inveniat. Idem apparet de prædicta
C. XIII. & secuta resurrectione, adscensione in cœlum, & de effusione Spiritus
XIV. XV. Sancti in discipulos, quæ omnia doctis & piis observationibus illu-
XVI. strat Autor, & ab objectionibus vindicat. Repetit inde quod ab initio operis præstruxerat, religionem Christianam evidentissimi facti probationibus niti, quæ nullius incertitudinis convinci possint; id quod succincta enarratione omnium aut plerorumque, quæ Christus fecit & passus est, demonstrat, & explodendos esse omnes pronuntiat, qui illa in dubium vocare audeant. Si quis vero ambigat, an
XVII. libri Novi Testamenti vere ab Apostolis scripti sint, considerare eum jubet stylum librorum simplicissimum, autoritatem Veteris Testamenti, quæ ubique substruitur, sinceritatem narrationis, quæ etiam ea complectitur, quæ nullus impostor propalasset. Observat etiam, quod libri Evangelici primitivæ Ecclesiæ tempore in celeberrimis & populosissimis urbibus publice prælecti, epistolæ etiam Apostolorum ad illustres & numerosas civitates & ecclesias missæ fuerint, nemine de autoribus librorum aut epistolarum dubitante; ut propagato illo per tot secula testimonio, frivola sit omnis de autoribus
C. XVIII. hæsitatio. Addit plura ad eundem finem, & insignes veritatis chara-
XIX. cteres erudite eruit & confirmat. Pro conclusione operis duas sub-
XX. jungit observationes. Notat *primo*, quod aliud implementum prophetiarum Veteris Testamenti neque dari neque excogitari possit, quam quale in historia Evangelica describitur. Respici inprimis jubet totalem illam Judaismi dissipationem & confusionem, qua inter alia factum est, ut stantibus Veteris Testamenti principiis, nullus unquam Messias præter Christum demonstrari possit, aut plane nullus unquam sperandus fuerit, quod absurdum & impium dictu est.
XXI. *Secundo* ad Judæorum oblatrationes respondet, sive religionem Christianam pugnare dicant cum ratione, (in asserenda v. g. Trinitate personarum, & virginitate Mariæ) sive sectis & divisionibus Christianorum impediri se dictitent, quo minus ad eorum sententiam accedant. Primæ objectioni revelationis & testificationis divinæ certitudinem opponit; altera negat moveri debere Judæos, quia hæreses ad examinandam & firmius stabiliendam veritatem conducunt,

ducunt, & de quæstionibus facti nullus aut exiguus est inter Christianos dissensus, dum capitales fidei articulos quoad factum uno ore omnes confitentur.

JOHANNIS COCCEJI, THEOL. D. ET PROF. Lexicon & Commentarius Sermonis Hebraici & Chaldaici. Editio altera, Lugdunensi longe correctior atque auctior, opera atque studio Jo. Maji.

Francofurti ad Mœnum, apud Balthas. Christoph. Wustium, 1689, in fol.

Constat plagulis 152.

EX eo tempore, quo Johannes Reuchlinus, (Capnio vulgo dictus) Ebraicæ linguæ studium in Germania potissimum excitavit, Grammatica & Lexico primum Pforzhemii anno 1506 publicatis; non pauci viri hujus industriam æmulati, nova Lexica Ebraica adornarunt, quorum auxilio studiosa juventus sermonem Propheticum veteris divini codicis intelligere posset. Sed tamen dissimulandum non est, fuisse interea temporis viros harum literarum callentissimos, qui in omnibus, quæ prodierunt lexicis, aliquid desiderarint, adeoq; perfectius aliquod requisiverint. Id quod in præfatione sua hic etiam Clarissimus *Majus* animadvertit. Huic eruditorum desiderio an satisfecerit doctissimus *Coccejus*, qui instinctu Serenissimæ Principis Palatinæ Viduæ, Mariæ Eleonoræ Brandenburgicæ, A. 1669 Lugduni Batavorum hoc Lexicon primum in lucem publicam emisit, nostrum non est determinare. Id tamen in eo novum deprehendere licet, quod ex B. Lutheri versione Bibliorum Germanica interpretamentum inseruerit, & collatis Sacræ Scripturæ sententiis, proprietatem tum singularum dictionum, tum phrasium indagare atque exprimere fideliter laboraverit. Ex LXX interpretatione etiam Græca subinde vocabula inspersit, ut, quid distet illa versio a fontibus Ebraicis, adpareat. Qua occasione multa simul Veteris Testamenti loca illustrat; admixtis tamenquandoque suis hypothesibus, quas in Theologia ab aliis in Belgio Theologis diversas fovet. *Clarissimus Editor* illud a mendis, quibus Lugdunensis editio infecta erat, purgavit, significatio-

cationes vocum diversas numeris distinxit, auctorumq; a Coccejo adductorum loca indicavit: quin & Animadversiones ac Supplementa seorsim excusa adjecit, brevia quidē, & ut ipse vocat, subitaria, sed quæ specimen tamen exhiberent perfectioris, tum in restituendis radicibus obliteratis, tum in constituendis significationibus genuinis, Operis; quali elaborando si impendere ingenium viresque Vir doctissimus voluerit, de publico præclare merebitur.

DEFENSIO ANTIQUITATIS REGALIS SCOTORUM prosapiæ, qua ostenditur, a quo primum tempore Scotia regibus gubernata sit; libris episcopi Asaphensis, & doctissimi Stillingfleeti S. S. Theol. Doctoris opposita: autore Georgio Mackenzie, Regii in Scotia Advocati. Ex Anglica in Latinam linguam versa a P. S.

Trajecti ad Rhenum, apud Franciscum Halma, 1689, in 8.

Constat plagulis 14.

DE antiquitatis prærogativa ut armis olim inter Anglos Scotosque certatum fuit, ita calamo etiam contendi superiori seculo cœpit. Primus eum contra Scotos *Luddus* quidam strinxit, sed cui obviā strenue itum est a *Buchanano* in primo & tertio historiarum suarum libro. Cum vero postea Luddi vestigia *Cambdenus* juxta ac *Usserius* legissent, Scotorum causa in ambiguo fuit, controversia vero ipsa tantum non sepulta jacuit; Anglis post regnorum sub Jacobo I. conjunctionem Scotiam Angliæ, Scotis Angliam Scotiæ, quoties decreta Comitiorum recensionem tituli regii postularent, postponentibus. Resuscitata vero paucis abhinc annis lis fuit, cum vir celeberrimus *Wilhelmus Lloyd*, Episcopus Asaphopolitanus, in Historica sua Relatione de regimine ecclesiastico magnæ Britanniæ & Hiberniæ, quale id fuerit, cum primum Christianam fidem susciperent, Anglico idiomate conscripta (quam excerptam Acta anni 1685 p. 120 exhibent) arrepta occasione nullum genti Scotorum in Britannia ante annum Christi 503, nullam religioni Christianæ Scotos inter locum tribuens, Scotorum præ Anglis antiquitati adeo derogasset, ut XL etiam nationis Scoticæ ante Coranum, quem anno 501 rerum potitum esse ajunt, reges, quasi fuissent haut unquam, rejecerit, severamque in Historicos

historicos

ſtoricos alia ediſſerentes ſtrinxerit cenſuram. Offenſi enim Scotorum animi inſtituto iſthoc vehementiſſime fuerunt, ac *Mackenzius*, eques auratus, quod Comes Perthenſis, ſupremus Scotiæ Cancellarius, librum Aſaphani ad ſe miſiſſet, multique ſtimularent alii, Vindicias antiquitatis regiæ familiæ Scotorum ſermone Anglico promulgavit, quarum ſummam Acta noſtra conciſisſime exhibent anno 1686 p. 317. Sed patrocinium epiſcopi Aſaphani doctisſimus vir *Eduardus Stillingfleet* paulo poſt ſuſcepit, in Antiquitatibus Britannicarũ Eccleſiarum, earumque præſertim præfamine; atque illud hoc magis, quod epiſcopo Mackenzius crimen læſæ majeſtatis intentaſſet, ſiquidem reges magnæ Britanniæ, qui ratione Scotiæ antiquisſimi in orbe monarchæ ſint, tali pacto ultimos fecerit, imo ipſam regalis proſapiæ ſucceſſionem prorſus intempeſtive adduxerit in diſcrimen. Opus Stillingfleeti Anglicum in Actis recenſuimus p. 24 A. 1688. Nec deſtituit tamen *Mackenzius* ſuam cauſam. Nam Stillingfleeto peculiare ſcriptum oppoſuit, ſed quod noſtras ad manus nondum pervenit, niſi in hac, quam nunc exhibemus, *Defenſione*, in qua interpres P. S. ex conſilio Mackenzii utraſque, ad Lloydum & ad Stillingfleetum directas reſponſiones, in unum congeſtas librum donataſque Latinitate publici fecit uſus. Iſte vero liber lectori primo in limine ſiſtit dedicationem Mackenzii ad Jacobum II Regem magnæ Britanniæ, epiſtolam inſuper ejuſdem ad Perthenſem Comitem; quibus interpres dedicationem ſuam *Joh. Georg. Grævio* inſcriptam addidit, efflagitans, ut is atque *Gronovius* arbitrium cauſæ haud gravatim velint ſuſcipere. Opus ipſum XIV vel rectius XIII capitibus (nam in ſexto numerus fallit) abſolvitur. In primo Autor prolixius edocet, quæ fundamenta ſint hiſtoricæ veritatis. Animadvertit, quod hiſtoria omnis nec mathematicas demonſtrationes, nec ſolennes legibus conſtitutas probationes requirat; quin firma ſatis ſit, ſi communi indigenarum nitatur conſenſu, utpote cum exteri aliam nullam, quam ab his traditam notitiam hauſiſſe posſint. Eum vero conſenſum tum juſtum eſſe pronuntiat, quando fide dignis traditionibus, codicibus ac teſtimoniis domeſticis abſolvatur, tandemque exterorum ſuffragiis, rationibus probabilibus, & omnium adplauſu obſignetur; quemadmodum gentium quarumlibet, Judaicæ quoque, hiſtoria fulcris aliis atque talismodi haudquaquam ſuſtineatur. Reliquis capitibus præmiſſa hæc

hæc hypothesis Scoticæ historiæ ordine applicatur. Etenim in secundo Traditiones, quæ Scotos inter antiquos viguerint, e quibus sequaci tempore Historici copiam mutuo acceperint scribendorum, & probat Autor, & vindicat, perhibens Scotos, quorum majores ex Græcia in Gallæciam, ex hac in Hiberniam, tandemque in Britanniæ partem, quæ hodie Scotia audit, trajecerint, cum Druidas suos habuisse, qui Græco idiomate publicas æque ac privatas rationes consignarint; tum Sanachios & Bardos, quorum hi numeris, illi soluta oratione traditiones de genealogiis nobilium posteris transmiserint; præterquam quod, *Fordono* ac *Majore* testibus, in priscorum inaugurationibus regum inque illorum exequiis, nobilis quidam annis & dignitate venerabilis more consueto genealogias regalis Scotorum prosapiæ a primo usque fundatore retexuerit; quemadmodum id non constet tantum de inauguratione Alexandri III facta anno 1249, deq; exequiis Davidis anno 1150 mortui, verum adhuc hodie moris sit atque consuetudinis. Addit Lycurgum vetuisse scribi suas leges, ac tamen dicente Plutarcho, eas ultra 600 annos in hominum memoria servatas: pariter Judaicam historiam primis bis mille annis non nisi traditionibus constitisse. Eapropter liquidum satis esse ait, res Scoticas traditione ab initio probe fuisse conservatas, maxime quod ad annos tantum 800 ea, monumentis postmodum studiosius exaratis, perstiterit; istis etiam temporibus, quibus vita hominum longior fuit; quodq; Scoti, qui ipsis Romanis obicem posuerant, a nulla gente fuerint subjugati, secus ac in Anglia factum, cujus genealogiæ a tot victoribus sint turbatæ, mutatæ, ac suppressæ. Capite tertio MSStis vetustisque monumentis Scoticam historiam, & quidquid de antiquitate nationis ea comprehendit, niti ostenditur. Declaratur namque, in monasterio Hy sive Jonæ, circa annum Christi 506 condito, ac sepulcra XLIIX priscorum Scotiæ regum totiusque gentis annales continente, abunde MSStorum exstitisse, nec caruisse ejusmodi thesauro cœnobia alia, quæ magnam partem nominantur; quippe cum singulis duo libri fuerint, unus, quem Registrum aut Chartubarum adpellarunt, jura & instrumenta monasterii continens; alius Niger dictus, complectens res memorabiles cujuslibet anni. Insuper testes MSSti, ad MSSta hujus generis antiqua provocantes, adducuntur magnam partem ex *Chambero de Ormond*,

Verimun-

Verimundus Hispanus Fani Andreæ anno 1076 Archi-Diaconus; *Turgotus*, quem Scoticæ nationis annales a primordiis ad annũ 1098, quo vixit, interpolasse dicunt; *Aluredus Rivallensis*, qui historiam Davidis concinnavit, mortuus anno 1166; *Joannes Campbellus*, qui ab origine gentis Scotorum historiam ad annum 1260, quo floruit, perduxit; *Bartholomæus Anglicus*, a quo scriptum Scoti-Chronicon circa annum 1360, aliique. Quartum caput Historicos Scotorum adducit, dictam antiquitatem adfirmantes: *Joannem Fordonum*; *Joannem Majorem*, Scholæ Theologicæ Lutetiæ Parif. Gymnasiarcham; *Buchananum*; *Leslium* episcopum; *Dempsterum* ac alios plures: adductos ab objectionibus cum Lloydii tum Stillingfleeti adserit. Sexto (nam quintũ caput abest) testimonia ex Historicis exteris conquisiturꝰ Autor monet, Romanos quidẽ, quod in Scotiam intimius nunquã penetrarint, de rebus gentis non ita potuisse scribere, uti de Brittonibꝰ ac Gallis, populis a se devictis: nihilominus tamen locũ *Eumenii* in Panegyrico ad Constantinũ, cujus verba recensentur, explicantur, vindicantur; item aliũ *Latini Pacatii Drepanii* in Panegyrico ad Theodosiũ seniorem; adhuc alia *Senecæ, Valerii Flacci*, *Martialis*, *Taciti* &c. Scotis favere probat. *Florum* poetam Scotorum etiam mentionem fecisse vult, in carmine ad Adrianum scribentem: *Ego nolo Cæsar esse, ambulare per Britannos*, *Scoticas pati pruinas*; perperam enim *Scythicas* legi, siquidem Adrianus nunquam in Scythia fuerit, attamen bellum Scotis intulerit & Adriani strui curarit vallum. Septimum caput decem argumenta a ratione petita complectitur. Octavum & decimum objectiones episcopi Asaphopolitani aggreditur. Præcedens nonum criticos & antiquarios, *Scaligerum*, *Sigonium*, *Seldenum*, *Lipsium*, ac *Baronium* in partes vocat, æquum judicante Autore, ut adversarii, cum Scotos repudient, exteris, quales plerique sint, commissum arbitrium relinquant. In cap. XI Autor errores notat, in quos sint prolapsi Antagonistæ. Perstringit Lloydium, quod *Staniburstum* & *Giraldum* Cambrensem, longe alia innuentes, ad suas partes invitos traxerit. Hinc *Usserium* culpat, qui Sedulium atque Mariañum Hibernos vocet, cum fuerint Scoti. *Vardæum* etiam ridet, quod integrum librum concinnarit, Lovaniæ cum commentariis Sirini anno 1662 vulgatum, eo probaturus, Rumoldum, Archi-Episcopum Mechlinensem, Hibernum fuisse; cum tamen ex regum

Scotiæ stirpe oriundus insignia ejus regni usurparit, ac omnibus fenestris Basilicæ, uti adhuc conspiciatur, inseruerit. In XII. recensetur, qua ratione Scotiæ reges, ex Hibernorum regio stemmate oriundi, sanguinis necessitudine mixti successive Brittonibus fuerint, Pictis, Danis, Anglis, Normannis ac Cambro-Britannis. In XIII. disputat cum Stillingfleeto super genealogia regum Scotiæ, ipsiusq; objectiones ex genealogia supra nominata, quam montanus aliquis nobilis in Alexandri III inauguratione anno 1249 recitavit, quæve in fine capitis adjecta legitur, discutit. Demum in XIV evincere nititur, Scotorum Historicos Hibernis anteferendos, cujus contrarium Stillingfleetus Hibernos sæpe adhibens adfirmarat. Argumenta quibus utitur Autor, præcipua sunt: (1 Stillingfleetum ipsum in sua præfatione probare conari, Hibernos nullum solidum Historiæ columen ante XI. seculum habuisse, adeoque multo post eam ætatem, qua cum ipse, tum Lloydius gentem Scoticam in Scotia consedisse agnoscant. (2 Hibernos multa, quæ intra proxima sex a Japheto secula gesta fuerint tradere, v. g. quosdam 40 diebus ante diluvium ex Hibernia profectos; Bartholanum cum quibusdã aliis anno 312 mense Majo, quarto a novilunio & Mercurii die post diluvium, in Hiberniam venisse &c. quæ fabulosa sint, neque abs alio ullo Historico animadversa. (3 In genealogiis Hibernicis errores Chronologicos, item circa successionem regum Scoticorum contineri: imo nec Stillingfleeto cum Asaphopolitano convenire, neq; huic cum Cambdeno, Usserio atque aliis.

VERA CONSTRUCTIO GEOMETRICA PROblematum Solidorum & Hypersolidorum, per rectas lineas & circulos, Auctore J. B.

QUadratura Circuli, Inventio quarundam mediarum proportionalium inter datas rectas, Cubi Duplicatio, Trisectio Anguli, &c. Problemata fuere ab omni retro memoria vexatissima & antiquitus usque adeo celebratissima. Inter illa hoc intercedere notatur discriminis, quod Circuli Tetragonismus nullatenus vel calculo exhiberi, vel constructione accurata confici hucusque potuit, dum cætera construi quidem possunt, sed ita, ut ad ipsorum




Fig: 3.

ipsorum constructionem requirantur lineæ, quas Veteres ob difficilem & incommodam earum delineationem, non omnino in Geometriam admittere ausi fuerunt: quapropter præstantissimi omnium seculorum Geometræ in rei arduæ molimine quærentes gloriam, eo semper omnes suas vires intenderunt, ut tum circulum si qua possent arte quadrarent, tum reliqua memoratorum Problematum linearum rectarum & circulorum ope construerent; quorum tamen utrumq; pari difficultate involutum senserunt, quousque a perspicacioribus ingeniis omnimoda utriusque impossibilitas hoc nostro ævo detecta fuit. Hac itaque visa, alia sibi incedendum esse via rati sunt; cumque Circuli exactum valorem uno aliquo numero exhiberi posse impossibile ducerent, eundem saltem per seriem infinitorum numerorum exprimere sunt annisi; qualem omnium primus initio horum Actorum vulgavit Cel. Leibnitius. Ei, quod hic in quadrando circulo præstitit, simile nunc ego quiddam circa reliqua illa, & in genere circa omnia solida multaque etiam hypersolida Problemata aggredior, & quod circini normæque ope una aliqua constructione accurate consequi hactenus non licuit, hoc per seriem, ut sic dicam, constructionis certa lege in infinitum continuandæ exequor; eaque ratione id obtineo, ut quæsitæ radici ita continuo magis magisq; appropinquetur, ut error tandem data quavis quantitate minor fiat, totaque adeo constructionis series exactum ejus valorem exprimere debeat.

Notum, omnes Æquationes Cubicas, ad quas Problematum Solidorum difficultates referuntur, ad unam harum Formularum reduci posse: $x^3 = -apx + aaq$, $x^3 = -apx - aaq$, $x^3 = +apx + aaq$, & $x^3 = +apx - aaq$; quarum prima habet unam radicem veram, altera unam falsam, tertia unam veram cum duabus falsis, & quarta unam falsam cum duabus veris.

I. *Pro invenienda Radice vera Æquationis* $x^3 = -apx + aaq$, *aut falsa hujus,* $x^3 = -apx - aaq$.

Constr. Ductis (fig. 1.) indefinitis rectis BP, GV, normaliter se decussantibus in puncto A, assume in earum una $AH = a$, & ex eadem parte $AG = \frac{1}{4}p$; in altera $AB = q$, & in parte opposita punctum utcunque P; tum ita perge: TAB. X. *Fig. 1.*

$$\text{Diametro}\left\{\begin{matrix}BP\\BQ\\BR\\BS\end{matrix}\right\}\begin{matrix}\text{descr.}\\\text{arc.}\\\text{circ}\\\text{secans}\\AV\text{ in}\end{matrix}\left\{\begin{matrix}V\\X\\Y\\Z\end{matrix}\right\}\text{ ipsique}\left\{\begin{matrix}AV\\AX\\AY\\AZ\end{matrix}\right\}\text{fiat} = \left\{\begin{matrix}AC\\AD\\AE\\AF\end{matrix}\right\}\text{distantiaeque}\left\{\begin{matrix}GC\\GD\\GE\\GF\end{matrix}\right\}\text{sumatur} = \left\{\begin{matrix}GL\\GM\\GN\\GO\end{matrix}\right\}\text{diametroq;}\left\{\begin{matrix}HL\\HM\\HN\\HO\end{matrix}\right\}\begin{matrix}\text{descr.}\\\text{arc.}\\\text{circ.}\\\text{secans}\\AP\text{ in}\end{matrix}\left\{\begin{matrix}Q\\R\\S\\T,\ \&c.\end{matrix}\right.$$

Ubi observandum, quod si punctum P casu sic assumtum fuerit, ut facta deinceps circini revolutione punctum Q coincidat cum puncto P, erit AP vel AQ ipsa quæsita radix accurata: sin minus, rectæ AP, AQ, AR, AS &c. ad verum valorem radicis continuo magis magisque, & tandem data quavis quantitate propius accedent.

2. Pro invenienda Radice vera Æquationis $x^3 = + apx + aaq$; aut falsa hujus, $x^3 = + apx - aaq$.

Fig. 2. Constructio (fig. 2.) eadem, quæ præcedens, nisi quod AH & AG ad partes oppositas sumendæ, & GL, GM, GN &c. non deorsum versus A, sed sursum abscindendæ sunt: qua ratione lineæ AP, AQ, AR &c. valori radicis, ut prius, magis magisque appropinquabunt.

3. Pro inveniendis Radicibus falsis Æquationis $x^3 = + apx + aaq$; aut veris hujus, $x^3 = + apx - aaq$:

Fiat ibidem Ab = AB, sumtoque AR quam minimum & insensibiliter differre a radice vera prioris, aut falsa posterioris Æquationis (prout illa per præcedentem constructionem reperta fuit) jungatur RH, eique parallela ducatur bh; factisque As = $\frac{1}{2}$ AR, & Ag = Ah, diametro gH describatur arcus circuli secans AP in l, aliusque centro s radio As, quem secet recta lq parallela ipsi AG in punctis p & q; eruntque lp, lq, binæ radices quæsitæ. *Not.* si circulum centro s descriptum non secet vel tangat recta lq (quod fit, cum ultimus æquationis terminus major est quarta parte cubi, aut quantitas cognita penultimi minor tribus quartis partibus quadrati radicis AR; aut etiam cum quadratum semissis ultimi majus cubo trientis quantitatis cognitæ penultimi:) indicio est, duas reliquas radices esse imaginarias.

Fig. 3. *Aliter per peculiarem constructionis seriem:* (fig. 3.) Fiant eadem, quæ supra, nisi quod rectæ AC, AD, AE &c (Ac, Ad, Ae &c.) non jam capiendæ sunt in linea AB, sed applicandæ semicirculo super diametro AG descripto; distantiisque GC, GD, GE &c. æquales abscindendæ GL, GM, GN &c. sursum pro majore radicum quæsitarum (saltem in primo sequentium casuum:) & ipsis Gc, Gd, Ge &c. æquales Gl, Gm, Gn &c. deorsum pro minore: Ubi cavendum, ne punctum

punctum P (p) quod constructionem inchoat, assumatur vel prope vel remote nimis a puncto A; fieri enim posset, ut sic assumtum alterutram rectarum AC vel AD (Ac, Ad) majorem exhiberet, quam quæ circulo inscribi posset: facile autem assignari possunt limites, intra quos si capiatur punctum P, id incommodi evitabitur; nam

1. *Si Quadratum ultimi termini minus est Cubo semissis quantitatis cognitæ penultimi:* Sumatur (fig. 4.) ad BA & AG tertia proportionalis AM, ut & tertia ad HA & inventam AM, quæ sit AL, major scilicet futura ipsa AG: hinc semicirculo applicetur GC=GL, junctaque AC quæratur tertia proportionalis ad AB & AC, quæ sit AN; eruntque puncta M & N limites, quos intra quodvis punctum accipi poterit pro invenienda radice majore: pro minore nullo indigemus limite ex parte A, sed quodvis punctum inter A & M pro initio constructionis accipi poterit; quod & de radice majore intelligendum, quando ipsa GL major est, quam ut semicirculo inscribi possit. *Fig. 4.*

2. *Si Quadratum ultimi termini æquale est Cubo semissis quantitatis cognitæ penultimi*; limites M & N indistantes fiunt; proinde ipsa AM vel AN est radix major.

3. *Si Quadr. ultimi termini majus est Cubo semissis quant. cogn. penultimi*, radix major consistit in indivisibili, hoc est, quo diutius continuatur constructio, eo longius ex utraque parte ab ejus genuino valore receditur: quare tum sola minor appropinquando inveniri poterit: qua tamen cognita nec major latebit amplius, quandoquidem ambarum summa tertiam radicem supra per construct. fig. 2. inventam perpetuo, ut notum est, in istis æquationibus æquat. Sumto igitur rectam AR huic tertiæ radici proxime accedere, ut statuminentur porro limites pro invenienda altera, bisecetur AR, poteritque punctum quodvis in sinistra ejus medietate acceptum pro operationis initio statui.

4. *Si denique Quadr. semissis ultimi termini æquet cubum trientis quantitatis cognitæ penultimi*, erit quæsita radix utraque æqualis semissi rectæ AR: *sin cubum hunc superet*, constat, utramq; esse imaginariam; quare nec per hanc constructionem ulla inveniri potest.

Cæterum observare non injucundum, quo pacto in omnibus istis constructionibus rectæ AP, AQ, AR, AS &c. (Ap, Aq, Ar, As &c.) fig. 1. 2. 3. continuis vel incrementis vel decrementis vero radi-

cum valori appropinquant; præterquam pro sola radice majore figuræ tertiæ, ubi alternis nunc decrementis nunc incrementis ad ejus valorem accedunt; sic ut verus radicis valor ibi exprimatur per seriem infinitam: $AP + PQ + QR + RS$ &c. vel $AP - PQ - QR - RS$ &c. hic per seriem: $AP + PQ - QR + RS - ST$ &c.

Quemadmodum vero nulla jam dari potest Æquatio Cubica, quæ non eo reduci possit, ut juxta allata præcepta solius circini & normæ ope construi queat; ita similes omnino afferre possem regulas pro constructionibus Æquationũ 4 dimensionum, si Lectori voluptatem easdem proprio Marte eruendi præripere vellem. Unam exempli loco dabo pro Æquatione $x^4 * + apxx - aaqx - a^3r = 0$, ad quam construendam eadem prorsus observanda, quæ fieri jubentur in figura 1. nisi quod insuper in recta BP abscindenda est ex A in alterutram partem recta Ar, quæ sit media proportionalis inter a & r; & tum rectæ AC, AD, AE &c. non ipsis AV, AX, AY &c. sed distantiis rV, rX, rY &c. æquales capiendæ.

Subjungo nunc applicationem novæ hujus construendi methodi ad nobilissimum Problema de Inventione quarundam mediarum proportionalium:

Fig. 5. *α. Invenire duas medias proportionales inter duas datas:* (fig. 5.)

Constr. Ductis normalibus indefinitis CB, NR, sese ad rectos angulos secantibus in A, abscindantur ex earum una rectæ AC, AB, æquales datis: quo facto

Diametro	BC - -	descr. arc. circ. secans	AN - -	in	N - -	ipsique	AN - -	fiat =	AH - -
	- - CH		- - AR		- - R		- - AR		- - AD
	BD - -		AN - -		O - -		AO - -		AI - -
	- - CI		- - AR		- - S		- - AS		- - AE
	BE - -		AN - -		P - -		AP - -		AL - -
	- - CL		- - AR		- - T		- - AT		- - AF
	BF - -		AN - -		Q - -		AQ - -		AM - - &c.

Hac ratione rectæ AD, AE, AF &c magis magisque appropinquabunt primæ & rectæ AH, AI, AL &c. secundæ duarum mediarum proportionalium inter datas AC & AB, quousque easdem post infinitam operationis seriem præcise assequantur.

Fig. 6. *β. Invenire quatuor medias proportionales:* (fig. 6.)


Diametro	BC	descr. arc. circ. secans AN in	N	ipsique	AN	fiat =	AH	hinc quæratur per præced: prima 2. med. proport. inter AC &	AH	quæ sit	AD
	BD		O		AO		A I		AI		AE
	BE		P		AP		AL		AL		AF, &c.

Hac

Hac ratione ipsæ AD, AE, AF &c. accedent primæ, & AH, AI, AL &c. tertiæ quæsitarum quatuor proportionalium inter AC & AB,

γ. *Invenire sex medias proportionales*: (fig. 7.) Fig. 7.

Datæ sint sicut antea, CA & AB; & fiat AQ=AC; tum vero



Quo pacto ipsæ AD, AE &c. appropinquabunt primæ; AR, AS &c. secundæ; & AH, AI &c. quartæ sex mediarum proportionalium.

In plerisque harum, ut & superiorum, constructionum hoc peculiare annotamus, quod delineatis semel normalibus indefinitis & abscissis rite datis, cætera constructio seu appropinquatio fieri possit, ut circinus non amoveatur e charta, sed perpetuo alternis super illa pedibus incedat, & quasi in orbem ambulet; si modo concedatur rectæ bisectio mechanica, quæ nunc aperiendo, nunc claudendo circinum peragitur.

Observandum etiam, non necessum esse, ut diametro CB arcus describatur, ad determinanda puncta H & D: potest enim alterutrum horum initio statim operationis accipi ad lubitum, & ab illo inchoari constructio: & quidem si constructionem compendifacere desideres, poteris rectas AH vel AD tales assumere, quas judicio oculorum æstimaveris, aut aliunde sciveris, quæsitis proportionalibus quam proxime accedere.

Qualescunque vero assumantur, plerumque paucæ admodum circini revolutiones requiruntur, ut error penitus insensibilis evadat; adeo ut præter Geometricam hujus negotii ἀκρίβειαν, ad ipsam quoque praxin mechanicam vix quicquam accuratius & expeditius dari possit; quod si quis secum rite pensitaverit, fatebitur, & hoc invento non levem Geometriæ accessionem factam esse.

In Actis hujus anni p. 312. lin. proantepenult. pro *tang. perpendic.* lege, *tang. ang. perpendic.*

VOYAGE DE DALMATIE, DE GRECE ET DU Levant, par MS. G. VVheler.

five,

Dn. Georgii Wheleri, Armigeri Angli, Iter in Dalmatiam, Græciam, aliaque Maris Mediterranei loca.

Amſtelodami, apud Joh. Wolters, 1689. in 12.

Conſtat plagulis 36.

Librum exhibemus, qui Gallicum noviter indutus habitum ad noſtras nuper demum oras pervenit; utut jam ante aliquot annos, & quidem ut videtur, non ita diu poſt *Jacobi Sponii* Itinerarium, Anglice conſcriptus prodierit. In præfatione, cujus quidem non integrum contextum expreſſit Gallicus Interpres, ſed potiora tantum ejus contenta, genii utriusque linguæ diſcrepantiam cauſatus, rationes reddidit Autor, cur poſt editam licet a Sponio itineris ſui cum illo peracti deſcriptionem, quippe quæ & ipſum *Wheleri* nomen in rubrica præ ſe fert, non tamen omiſerit ſuum hocce ſcriptum orbi communicare. Nimirum etſi hoc Itinerarium cum Sponiano in plerisque conſonet, haud paulo locupletius prædicari nihilominus meretur: nam cum Sponius cognitioni antiquorum monumentorum præcipue ſemet impenderit, aliarum rerum minus curioſus; noſter e diverſo præter iſtorum deſcriptionem, variis obſervationibus res naturales maxime concernentibus immorari volupe duxit: aliquot etiam ſeptimanis diutius in Græcia commoratus, regiones quasdam luſtravit, quas Sponio, reditum ſcilicet feſtinanti, videre nondum contigerat: præterea & in circumſtantiis nonnullis hujus ſui comitis relationibus contradicere neceſſum duxit, quod iſtum ſemel iterumque commentaria atque diaria ſua fefelliſſe deprehenderet.

Diviſus autem omnis hic labor eſt in duos tomos, quorum uterque rurſus in tres ſeparatos libros diſpeſcitur. Nimirum Tomi I. libro *primo* perſequitur Autor hiſtoriam itineris ex urbe Venetiarum Conſtantinopolin usque peracti; *ſecundo* deſcribit civitatem Conſtantinopolitanam, cum locis quibusdam vicinis & antiquitatibus ibi obviis, ac *tertio* iter per Aſiam minorem: Tomi II. liber *primus* idem

conti-

continuat ex Zacyntho versus Athenas; cujus urbis plenariam delineationem *secundus* largitur; ac *tertius* denique diversas excursiones ex eadem civitate in Atticam, Corinthum, Bœotiam factas enarrat. Eadem methodus a Sponio quoque observata reperitur: qui & ipse cum jam in omnium manibus dudũ versetur, non opus fore credimus quicquam eorum hic commemorare, sive seriem & loca itineris, sive ejus tempus, sive denique res notabiles ubivis observatas concernant, quæ ab isto jam tradita fuere: sed iis potissimum excerpendis operam dabimus, quæ ab ipso prætermissa, aut certe non ita plene explicata deprehendimus. Et omnium quidem primo mentionem meretur nova ista *Achaia*, quousque ab Autore peragrata est, quam communicat, Mappa Geographica; quippe quam omnibus aliis, quotquot hac de regione hactenus extent, correctiorem esse confidit; in qua quod promontoria, flumina, portus, montes, provincias concernit, nomina antiqua simul cum recentioribus exprimere pensi habuit: at urbium nomina moderna modo adscribere fuit contentus, quarum tamen exactam descriptionem in *Tractatu Latino de Attica* dare promisit. Delineavit vero potissimum hanc mappam e vertice diversorũ montium ope pyxidis magneticæ, redactis nempe ad certa triangula locorum positionibus & adhibita dein scala secundum distantiam cognitam duorum locorum: quam quidem methodum magis accuratam autumat ea, quæ fit per longitudinum indagationem, nimiæ puta incertitudini obnoxiam; unde optat, ut tabulæ Geographicæ universales simili ratione concinnarentur; quod quo pacto fieri posset, quodammodo in præfatione docuit. Porro cum scientia botanica maxime delectaretur, in plerisque, quas perlustravit, terris sedulo annotavit plantas potiores, quæ ipsi occurrerunt; rarioribus etiam subinde figura ænea expressis atque depictis: de quibus tamen vel ideo dicere supersedemus, quod earum præcipuas jamjam a solertissimo *Rajo* Historiæ Plantarum, nequaquam suppresso nobilissimi *Wheleri* nomine, insertas reperimus. Plurima quoque in effigie communicavit numismata, partim in itinere coemta, partim post reditum in Angliam ipsi transmissa, ad declarandas antiquitates variorum locorum haud parum facientia, quæque una diversis observationibus philologicis ansam dederunt: sed cum eorum plurima pariter jam a Sponio publicata fuerint, quodq; reliquas attinet, selectum

insti-

instituere difficile, omnes vero commemorare prolixum nimis sit,
malumus ad librum ipsum ablegare talium curiosos, ubi eorum fi-
guras quidem in frontispicio uno in cumulo, explicationem vero
sparsim in ipso contextu, ubi ipsorum mentio facta, reperient secun-
pag. 14. dum numeros in paginarum margine expressos. Jam ad specialia
magis ut descendamus, indeque in gratiam lectoris unum alterumve
excerpamus, exempli loco memorat Autor, se *Zara* in Dalmatia vi-
disse famosum illud, quod creditur, corpus S. Simeonis, Christum
puerum quondam in templo amplexati: quod simillimum ratione
coloris albicantis & speciei incorruptæ esse perhibet iis cadaveribus,
quorum Tolosæ ad quingenta fere spectaverit, in cœmeterio templi
Franciscanorum; cujus nempe loci ea sit natura, ut corpora ibidem
humata intra anni spatium mumiarum instar evadant, colore albido,
ita quidem, ut exsiccata paulatim omni humiditate, musculi, nervi
atque pellis suam retineant consistentiam, & digitis quoque compres-
sa resiliant locumque tueantur; quemadmodum & sese rem habere
cum cadavere S. Catharinæ, quod miraculis clarum Bononiæ spe-
20. ctatur, adstruit. Prope aliam ejusdem nominis urbem, sed quæ ad
differentiam *Zara vetus* dicitur, observavit tellurem velut crusta
quadam saxea ac squamosa operiri, qua de superficie sublata humus
emergat fertilissima & olearum vinique feracissima. Tragurii, quæ
nunc *Traou* dicitur, perlustravit Autor celebre illud MSC. Fragmen-
tum Petronii Arbitri, a *Valesio* quidem pro suspecto habitum, at a *Lu-*
33. *cio* & Romano Abbate *Gradi* propugnatum, & a *Reinesio* quoq; nostro
cum solida Epicrisi, suisq; & *Joh. Schefferi* notis Lipsiæ a. 1666 editum:
46. sicut & aliorum MSCC. mentionem facit, in insula *Corfu* apud Hie-
ronymum *Machi*, abbatem Palæopolitanum repertorum plusquã vigin-
ti, nunquã hactenus typis impressorum, e quibus nominatim comme-
morat Origenis Commentarium Græcum in Evangelium S. Johannis;
item Augustinum de Trinitate ex Latino in Græcum translatum, ut &
59. Sermones Ephrem antiqui monachi, aliaque. Quoad insulam *Zacyn-*
thum annotat, montem urbi primariæ adjacentem adeo fortiter re-
percutere solares radios, ut media etiam hieme tantum caloris circa
eum sentiatur, ac in Anglia per æstatem, dum caletur maxime: fon-
tibus etiam quamplurimis irriguum hunc montem reperit, utut ma-
ri adeo vicinum, ut vix viginti passibus ab eo distent istarum scaturi-
ginum

ginum aliquæ, in iſtud etiam ſemet exonerantes: unde argumentum peti poſſe noſter exiſtimat adverſus eos, qui aquam ex mari per canales ſubterraneos ad fontes iſtos evehi perſuaſum habeant; id enim fieri non poſſe, niſi prius probetur, qualitates contrarias, gravitatem & levitatem, uno eodemque tempore aquæ ineſſe; licet alio ſenſu, mediantibus ſcilicet vaporibus a Sole elevatis, nolit inficiari, rivos ex mari habere originem. De uvis porro Corinthiacis vulgo vocatis (utut hodie non amplius circa Corinthum creſcant, ſed ex modo dicta potiſſimum inſula petantur) earumque cultura & modo colligendi plura diſſerit: obſervans inſimul, maximum harum uvarum commercium fere ab Anglis exerceri; nec ſine ratione, eo quod ſoli Angli, plurima nempe ferculorum genera iis condire ſoliti, fere ſexies majorem earum quantitatem inſumant, quam Galli atque Batavi conjunctim: Zacynthi vero incolas, harum Anglicæ gulæ deliciarum ignaros, non alios ad uſus uvas has ab iſtis adhiberi, quam ad tingendos pannos, credere. Inſulam *Tine*, quæ olim Tenos dicta eſt, unicam nunc notat ſupereſſe ex inſulis Archipelagi, quæ Turcarum ab invaſionibus defendere ſeſe hactenus potuerit: ac eam quidem Venetorum dominationi ſubeſſe; attamen ita cum hiſce pactos eſſe inſulanos, ut quamprimum ipſi aut nolint aut nequeant eos amplius protegere, teneantur caſtellum incolis reſtituere, ut ipſorum dein ſtet arbitrio, quemnam ſibi protectorem adſciſcere velint. In *Myconenſium* fœminarum, pulchritudinis laude inclytarum, habitu, quem etiam depinxit, obſervavit, earum tunicas, breves licet ac vix ad genua pertingentes, tam luxuriante tamen plicarum ordine diſtendi, ut ad unam earum conficiendam 80 aut 90 ulnis telæ goſſypinæ opus ſit. Mirum etiam eſt, quod de inſulæ *Scio* incolis tradit, eos nempe ne per mortem quidem a Tributo Capitationis, *Caratſch* dicto, omnino liberari, ſed integro adhuc poſt obitum triennio id ab heredibus, eorum nomine, Sultano exolvi debere. In *Conſtantinopoleos*, (quam non 43, ut plerique moderni Geographi volunt, ſed paulo plus quam 40 gradus latitudinis tantum habere probat Autor,) deſcriptione, cui integrum librum dicavit, ita verſatus eſt, ut diverſorum, quos ſimul citat, ſcriptorum obſervationes per compendium in gratiam lectoris recenſeat, ac propriis dein, quas ibidem fecit, illuſtret: de quibus tamen, cum pleræque jam a Sponio perhi-

pag. 63. 80. 99. 102. 129.

pag. 135. bitæ ſint, multa dicere non attinet. Dolet vero, quod non licuerit
Sultani Bibliothecam inſpicere, vel ideo, quod Livium integrum in
ea aſſervari fama ſit: addit nihilominus, eundem hactenus ibi reperi-
ri non potuiſſe, ingentibus licet argenti ſummis Bustangi Baſſæ, Bi-
bliothecario, oblatis: id quod fortean Turcarum invidiæ, qua Chri-
162. ſtianos inſectantur, tribuendum eſt; quemadmodum alibi narrat, pe-
riculoſum quodammodo noſtratibus eſſe, iſtic manuſcripta Arabica
exquirere: horum enim inſpectionem infidelibus, quos vocant, mi-
157. nime indulgendam putare Turcas. Lectu digna ſunt, quæ de Græ-
corum ceremoniis & fide circa Sacramentum cœnæ diſſerit; ex diver-
ſis a ſe ipſo data opera habitis diſcurſibus probans, quantopere circa
hunc articulum, ex craſſa in materiis religionis ignorantia, communi-
ter vacillent ipſi ſacrorum antiſtites iis in terris; aliquibus nempe
aut transſubſtantiationem, aut certe præſentiam realem diſerte
aſſerentibus, aliis viciſſim eandem tanquam rem dictu abſurdam
135. & inter ſuos inauditam explodentibus. Quæ de Turcarum
170. victu, ac ſpeciatim familiari eorum ferculo, quod *Pillau* vocant,
ex oryza ſemicocta & carne gallinæ compoſito, potu item *Sor-
bet* dicto, ex uvis paſſis aqua maceratis, aut etiam melle ſaccharo-
ve cum ſucco citri parari ſolito, ut & abſtinentia a vino (quod in-
169. de pretio cariori, nec niſi ad pondus ibi vendi ſoleat) affert, ex
208. aliis autoribus jam ſatis nota ſunt, adeoque non eſt, cur iis mul-
tum immoremur. *Thyatira*, (quæ nunc *Akeiſar* ſeu Caſtellum al-
bum vocatur, priſca iſta appellatione ipſis quoque incolis tantum
215. non penitus incognita,) inter varias inſcriptiones duas reperit, vel
ideo notabiles, quod in iis dei cujuſdam, *Tyrimni* nomine, velut
iſtius loci quondam protectoris mentio fit; quem tamen, cum nulla
236. ejus apud Hiſtoricos mentio injiciatur, merito inter deos incognitos
referendum putat noſter. *Smyrnæ* dum verſatus eſt, (cujus urbis cele-
bre, ac Aleppenſi civitati æmulum, cum Europæis nationibus, præ-
ſertim Anglis atque Batavis commercium pluribus deſcribit,) occa-
ſionem habuit accuratius in naturam & proprietates Chamæleontis,
ibi locorum nempe frequentiſſimi, inquirendi; ac certe haudqua-
quam vanum eſſe deprehendit, quod de colorum variatione in ani-
malculo hoc vulgo prædicatur. Nimirum ordinarium quidem ejus
colorem ait eſſe viridem, fuſco circa humeros mixtum, ſub ventre
vero flaventem, ac maculis jam candidis, jam rubentibus interſtin-
ctum:

ctum: aſt eundem ſæpiuscule tranſire in colorem pullum aut nigrum, maculas vero nunc diſparere penitus, nunc obſcurari, nunc purpuream induere tincturam, inquietato præſertim animalculo: quod ipſum porro ſi ſub tegmine albo aut rubro dormiat, album fieri obſervavit, ſub viridi viride, ſub fuſco aut nigro fuſcum pariter ac nigricans: rubrum tamen aut cæruleum colorem nunquam induere vidit, licet ſatis diu iſtiusmodi tegmine opertum jacuiſſet. Credit vero, hanc facultatem ei a natura ad ſui tutelam atque conſervationem conceſſam eſſe, narratque, ſibi ipſi contigiſſe, cum aliquando tale animalculum captaret, viridi ramo inſidens & ipſum viride, ut inde in terram delapſum tantum non ejus oculos penitus eluſerit, extemplo ſcilicet adoptato pullo humi ſubſtratæ colore. Ait vero eadem quo juniora ſint, eo ad transmutationem hanc aptiora eſſe, id quod ferociæ eorum magis adhuc vegetæ tribuit. Oculos in ipſis habita proportione corpuſculi ſat magnos obſervavit, piſum nempe adæquantes aut excedentes, qui tamen toti cuticula calloſa obteguntur, rugis circularibus ſtriata, cujus in medio foraminulum ſit, vix aciculæ capiti æquale, per quod lumen recipiant; unde neceſſum ſit, angulum viſionis perquam acutum in iis fieri. Id quoque præ aliis, quantum conſtat, animantibus præcipui habent, quod cum natura caput immobile ipſis dederit, in hujus compenſationem eorundem oculis motum largita ſit expeditiſſimum, & talem quidem, qui ad lubitum alterutro oculo ſeparatim fieri queat, alterius actione ab altero minime dependente, ut ita uno eodemque momento liberrime chamæleon oculorum unum ſurſum, alterum deorſum, unum dextrorſum, alterum ſiniſtrorſum flectere valeat: quod ipſum quidem jam olim a *Peireskio* obſervatum eſſe, apud Gaſſendum legimus; quamquam is alterum illud experimentum, colorum mutationem concernens, tantum non penitus inficietur. Alibi quoque Autor noſter mentionem facit incognitæ apud nos *ranarum* ſpeciei, magnitudine & colore dimidiam juglandem referentis, in arboribus degere & cantare ſolitæ; quæque eum in finem a natura pedibus peculiaribus inſtructa ſit, quorum digiti in formam acus capitatæ deſinant materiam glutinoſam continuo exſudantes; ut adeo horum ope & arbores commodius ſcandere, & de ramo in ramum expedite, ad modum ſciuri, ſaltare, & vel ab unico pede ſemet ſuſpenſas e fronde

pag. 333.

 ſuſtine-

pag. 242. sustinere queant. Aliis in locis upuparum meminit, ut & querque-
596. dularum, *calcarium* quandam speciem *in alis* habentium, iis similium,
353. quæ galli in cruribus gestant. *Parnassum*, poetarum quondam fabulis adeo celebratum, quoad situm Geographicum perinde ac alia, per quæ transiit, loca accurate descripsit, eumque non Græciæ solum,
358. sed & totius orbis altissimum montem reputat. Non ita procul inde dissitus mons *Stiri* Caloyerorum seu Græcorum monachorum famosum satis cœnobium habet, dedicatum S. Lucæ, non Evangelistæ, sed Stiriotæ, ita dicto a monte hoc, quem quondam eremita incoluit; quorum monachorũ instituta & vitæ ratio pluribus recensentur. Inter alia de iis narratur, quod non ita pridem Gallico legato,
364. Dn. de Nointel, expetenti ab ipsis, ut in Ecclesia sua Missam Latinam celebrari permitterent, id nullo pacto indulgere voluerint, causati se, id si fieret, deinceps ministerio suo eo in templo defungi amplius licite non posse. *Athenarum* civitatem olim nulli secundam,
383. ast hodie ad extremum miseriæ delapsam Autor, ceu supra diximus, integro libro descriptam dedit: talem enim, ut ait, relationem de hac urbe concinnare studuit, quæ non ita censuris pateret, ac aliæ quæ hactenus extiterint. Hinc non modo de prima ejus origine & antiqua politia per compendium disserit, sed & illius incrementa & historiam persequitur ad Justiniani usq; ævum; a quo ipso nempe tempore vix ullam ipsius mentionem amplius factam, sed memoriam tantum non in obscuro penitus mansisse ait, usque ad seculum decimum tertium; a quo proinde filum narrationis redorditur & ad hæc usq; tempora continuat. Porro ejusdem hodiernam regiminis formam delineat, dum in octo parochias divisa est, quarum quælibet Epitropum sibi ex melioribus familiis constituit, qui lites inter ipsos enatas dirimat, ne eapropter ad Cadi seu prætorem a Sultano ipsis præfectum, adeoque rigidum Turcarum tribunal ire opus habeant; ma-
398. xime cum incolarum vix quarta pars Mahomedani, sed plerique Christiani sint. Archiepiscopus quoque Atheniensis ibi residet, a quo
402. episcopatus Salonæ, Libadiæ, Bodinizæ, Talantæ atque Granizæ dependent. Sacra tamen satis frigide ibi tractari innuit Autor, cum rarissime ac vix festis diebus sermones ad populum habeantur, & contenti sint diebus dominicis prælegere homilias quasdam antiquas, quarum tamen stylus ita obsoletus nunc sit, ut vulgus auditorum pa-

rum

rum aut nihil inde percipiant. Etenim testatur, tantam ibi Græci sermonis (antiqui puta, non moderni quem ipsi non ἑλληνικὸν, sed ῥωμαϊκὸν ad differentiam vocitant) ignorantiam invaluisse, ut præter Archiepiscopum vix unum alterumve Athenis repererit ejus gna- pag. 412.
rum. Per singulas quoque alphabeti literas ostendit, quantum hodierna Græcorum pronunciatio ab antiqua discrepet; optatque ut utraque simul in scholis nostris doceretur, id quod nempe iter istuc 410.
aliquando facturis magno usui esse posset. Victum Atheniensium quod concernit, perhibetur ipsorum vinum quidem admodum bo- 407.
num in se esse, ast dum aliquid picis ei indere soleant, quo melius conservetur, austerum nonnihil & ingratum inde gustui reddi. Oli- 407.
væ quoque istius loci summopere commendantur, maxime earum species quædam, nunquam ad maturitatem pertingere, sed dum vi ret, sale condiri solita; quippe quæ tanto in pretio sit, ut tanquam res rara & neutiquam vulgaris ad aulam Turcicam sæpius portetur. Ac certe olivarum proventum lætiorem inter potissimas soli Attici divitias jam ab antiquo habitum esse constat; unde dubio procul factum, ut in *Templo octo ventorum*, quod Athenis hodienum superest, curiose tam a nostro, quam a Sponio delineatum, inter alias ventorum effigies lapidi in parietibus incisas, Euroboreas figuratus sit specie barbati senis lancem olivis onustam effundentis: id quod Sponius quidem ita interpretatus est, ac si ventus iste Atheniensibus acceptus fuisset, olivarumque culturæ favens: ast autor noster contrarium potius ex effusione lancis colligit, existimans id significare, quantum noxæ arboribus ac speciatim oleis ventus ille afferat; quemadmodum hodienum in Anglia nec hominibus, nec pecoribus conducere communi proverbio judicetur. Obiter & hoc notavit, ventos in 477.
ista turri seu æde non inflatis buccis repræsentari, sed facie eleganti & nativa: unde miratur, pictores sculptoresque modernos id velut necessarium reputare, cum tamen istius seculi, quo ars sculptoria maxime floruit, artifices id neutiquam curarint. Post lustratas Athenas Autor quoque loca circumsita varia invisere sategit, speciatim montem Hymettum, apum cultura mellisque præstantia & olim & hodie celebrem: qua occasione forma alvearium Græcorum, apumque cura istis in terris vigens & non parum a nostratibus regulis œcono- 491.
micis discrepans pluribus exponitur: speciatim mirati perhibentur Græci,

Græci, ad Sponii relationem, mel Narbonense in Gallia ob albedinem suam maximo in pretio haberi, cum tamen ipsi colorem hunc pro signo habeant mellis non satis cocti, ac neque a natura, nec ab apibus sufficienter elaborati. Porro Corinthum solicite pervestiga-
pag. 538. vit Autor, modernæ tamen amplitudinis intuitu pagis potius, quam urbibus accensendam. Pauli epistolarum ibi nullam aut exiguam superesse mentionem testatur, ac minorem pro ejus dogmatibus zelum: sacellum nihilominus restare eidem Apostolo dicatum rupique inci-
542. sum. Diogenis Cynici sepulcrum in eadem urbe quæsivit, at reperire non potuit: perhibet tamen, sese Venetiis in Palatio Dn. *Ericii* ipsius epitaphium marmori insculptum reperisse, istuc fortean delatum, dum Morea adhuc Venetorum imperio subesset: ait vero, in illo repræsentatam videri canis figuram, cum duobus distichis Græcis, quæ simul communicat. *Lacum* quoque *de Livadia* invi-
576. sit, ibidemque curioso oculo contemplatus est famosa illa *Catabathra*, seu meatus subterraneos numero plus quam 50, a natura quidem factos, sed ab arte magis elaboratos, quorum ope lacus iste sese in mare exonerat, ac sine quibus alioqui Bœotia facile ab aquis, quæ circumcirca a montibus delabuntur, inundaretur; dum ab his velut unicam catenam formantibus undiquaque cingitur, inter se quidem disjunctis, non ita tamen in planitiem desinentibus, ut undis exitus pateat: id quod inter alia diluvio Deucalionæo, utpote quod has potissimum terras vastavit, occasionem dare potuisse conjicit autor. Sed nimis forte jamjam gratæ brevitatis terminos transgressi sumus, dum paucissima saltem eorum, quæ a Sponio prætermissa Whelerus recensuit, delibare conati fuimus. Longe plura superessent, quæ in medium afferri digna forent, Geographiam partim concernentia, utpote quam sedulo corrigere & Scriptorum tam antiquorum, quam modernorum errores detegere, cordi habuit; partim ad explicanda varia Strabonis, Pausaniæ aliorumque loca, ut & eruditam antiquitatem facientia: verum ea commodius ex ipsius libri inspectione hauriet cupidus lector: perinde ac perspiciet figuram atque situm variorum monumentorum, ruderum, ædificiorum atque locorum, utpote quæ ubivis æri incisa delineantur.

MELCHIORIS ZEIDLERI, S. THEOL. D. ET P. P. in Academia Regiomontana Notæ & Animadversiones in Scrutatorem Veritatis, &c.

Helmæstadii, sumtibus Georg. Wolfg. Hammii, 1689, in 4.

Constat plagulis 31.

PRæmittitur huic Animadversionum operi 1. Autoris Vita, 2. Operum ab ipso editorum hactenus, & imposterum ab aliis edendorum catalogus, & 3. ipsa, in quibus refutandis labor hic versatur, Scrutatoris anonymi Postulata. Horum architecto quoniam pro scopo fuit, onus probandi, quod Ecclesiæ Christi sint, in eos devolvere, qui Romanum Præsulem non agnoscunt pro Oecumenico Ecclesiæ capite; negat Zeidlerus statim, Lutheranis onus hoc incumbere, quod fidei Symbolum, & necessaria doctrinæ Christianæ capita in sensu Catholico hi amplectantur: quodque cum Civili, tum Canonico jure, bonus aliquis sit tamdiu præsumendus, donec ab adversario velut actore, liquido probatum fuerit contrarium. Et licet immunis ab eo negantis sententiæ patronus vulgo habeatur, id tamen, juris Canonici autoritate, capiendum non de negationi- pag. 4. bus qualitatum esse, affirmationem aliquam involventibus. Huic negationi itaque, *Lutherani non sunt in Vera Ecclesia*, cum affirmatio diserta subsit, *Lutherani sunt extra ecclesiam*, eamque suam faciat adversarius, posse eum probandi officium nulla ratione subterfugere.

Cæterum *scrutinium veritatis*, quod quidem promittit titulus, nullum in hoc scripto reperiri, quoniam Autor non doctorum scientificorum more, certa sumserit principia, ex quibus concludat, sed quæstiones tantum proposuerit dialecticorum in modum, non veritatem, sed opinionem indagantium. Imo non Dialectici, sed Sophistæ personam eum induisse, ex eo manifestum facit, quod dissidentes jam tumultuario ordine collocentur, jam Neo-Evangelicorum no- 12. men Concionatoribus evangelicis per injuriam tribuatur, eoque aperte τὸ ἐν ἀρχῇ petatur: quodque plurium interrogationum impostura regnet in Postulatis passim, jam aperte, ubi de Lutheranis, Reformatis, Socinianis, Anabaptistis, Mennonistis, Quakeris conjunctim quæstiones proponuntur; jam occulte, dum quæstiones ubi-

que particulis exclusivis constantes, in veritatis fraudem adhibentur. Neque observatione indigna sunt, quæ de discrimine inter Arianos
pag. 13. & Socinianos; item inter Socinianos, Anabaptistas, Mennoni-
15. stas, Quakeros ex una, & Calvinianos ex altera parte; nec non
22. inter Ecclesiam Romanam & Papatum: quæque de valore Concilii Tridentini,& Transactionis Passaviensis effectu hoc loco adferuntur.

Animadversiones *Primum* Postulatum destruentes, regulam
39. a judice, & fidem a peritia theologica distinguendam volunt. Judicem in theologicis quoad *fidem* esse quemvis fidelium, ductu locorum I. Cor. II, 14, 15. I. Joh. II, 27. II. Cor. XI, 13. I. Thess. V, 21. I. Joh. IV, 1. Regulam, Dei verbum esse. Quoad *peritiam* vero theo-
41. logicam non quemvis fidelium judicis personam sustinere, sed eos solum, qui sint πεπαιδευμένοι. Ideo enim controversiarum decisionem Conciliis, vi Canonum Apostolorum, & Nicenæ Synodi competere, & Ecclesiæ doctores non fide solum, verum & scientia Theologica instructos esse oportere. Scripturam, unicam esse regulam absolute sic dictam, unanimem vero ecclesiæ catholicæ consensum dici posse regulam secundum quid & κτ̀ μέτεξιν, Lutherano-
47. rum Libris Symbolicis non repugnantibus. A Lutheranis haberi pro
50. regula Scripturam, verum *non depravatam*, ubicunque etiam inveniatur illa, quod non ab hominibus, verum a Deo autoritas ejusdem pendeat. Non levem vero ἀπαιδευσίαν esse, demonstrativa argumenta postulare pro hac regula, quod regula proprie dicta sit in suo genere primum quid & principium, principia autem proprie demon-
56. strari nequeant. Imo Paganos ipsos sine ulla demonstratione, Scripturæ assensum esse præbituros, si θεόπνευστον illam crederent, ut veri nominis Christiani faciunt, certe facere tenentur. Majoris ἀπαιδευσίας esse, a Lutheranis postulare, ut argumentum apodicticum,
58. quale Postulator expectat, ex ipsa illa regula desumant. Nihil hoc enim aliud esse, quam exigere, ut idem per idem probent, hoc est, ut petant dari & concedi sibi, quod in principio quæsitum est. Argumenta vero inducentia hic discernenda monet a ratione prima, ob quam fidelis homo assentitur libris sacri codicis. Prioris quippe generis dari varia, auctoritatem v. g. & singularitatem styli, sanctitatem doctrinæ, efficaciam & modum propagandi per homines simplices, miracu-

miracula in Scripturæ confirmationem edita, imperium quod in dæmones exercuerint doctrinam hanc amplexi, doctrinæ antiquitatem, vaticiniorum in Scriptura contentorum impletionem, consensum profitentium, martyrum constantiam, mirabilem Scripturæ doctrinæque conservationem, efficaciam percellendi hominum animos, subitaneam morum in iis qui eam assumunt, mutationē, &c. Hanc vero non aliam esse nisi hanc ipsam, quod divina sit ipsorum auctoritas, eoq; per & propter se fidem mereantur. Controversias, quæ Lutheranis cum aliis intercedunt, ad unam eandemque regulam utique decidendas esse, quod oppositorum una sit regula, quodque adversarium non aliunde, quam ex principiis, quæ probat, fas sit convincere. Pag. 59.

Refutatio *secundi* ostendit inter alia, gaudere Lutheranos perfecto canone tam Veteris, quam Novi Testamenti, licet non soli eum habeant, verum simul cum aliis. Varias in Codicibus, quibus utuntur, lectiones non obstare, quo minus certo sensu dici possit, quod authentico etiam Scripturæ canone instructi sint; de versione tamen authentica neminem illorum gloriari. Nullum concilium, neque universalem quidem ecclesiam, ista pollere facultate, ut versionem non-authenticam, *authenticam* facere queat. Authentica itaque versione cum Pontificii non minus, quam Lutherani careant, illis æque ac his ad fontes recurrendum esse. Notatur & hoc loco Scrutatoris absurditas, probationem versionis Lutheranis authenticæ ex Scriptura postulantis. 63. 68. 70. 77.

In *tertii* examine definitur, quousque suam Scripturæ expositionem a Spiritu Sancto intentam Lutherani statuant, videlicet ratione credendorum atque agendorum, & quæ his annexa sunt. Non enim ullum reperiri hominem, qui gloriari queat, absolute in omnibus se Scripturæ sensum perfecte assequi, obscurioribus præsertim in vaticiniis. Dissonas Scripturarum interpretationes apud Sanctos etiā Patres occurrere; idq; ex diversis Hieronymi, & Augustini sententiis de Angelorum creatione, de creatione Paradisi, de Samuele Levita, de Prædestinatione, de reprehensione Petri a Paulo profecta, non obscure intelligi. Non omnium Lutheranorum interpretationes ab ipsis Lutheranis approbari, sed eas quæ libris Symbolicis continentur. Interpretandi leges habere Scripturam cum scriptis aliis communes. 78. 80. 83.

munes. Quo loco prima regula, quæ ſcopum inveſtigandi cauſa, ad antecedentia & conſequentia reſpicere: ut & altera, quæ loca parallela conſulere & excutere jubet, ex autoribus profanis pariter & ſanctis Patribus illuſtrantur. Has interpretationis regulas quoniam obſervarint ſtudioſe Libri Symbolici, & conſenſum Eccleſiæ Catholicæ pro ſenſu Scripturæ allegarint, admodum abſurdum eſſe, amplius quid a Lutheranis poſtulare. Senſum hæreticorum proprium
pag. 87. nunquam probari ab Eccleſia Catholica.

Quartum vel eo nomine ineptum eſſe obſervat, quod a parte poſtulet, ut ſe totum integrale demonſtret, ſiquidem nusquam a Lutheranis aſſeratur, quod ſint Catholica Eccleſia, verum quod partem
91. ejus conſtituant. Elenchum ergo hic pervertere ſcrutatorem ſubdole, & homonymia fallere, imo falli turpiter. Exceptioni ſcruta-
100. toris ut tanto facilius occurrat, ad id, ut aliquis in Catholica Eccleſia ſit, non requiri contendit conſenſum circa omnia, ſed ſolum circa neceſſaria, quod ſimili deſumto ex humano corpore, in quo nonnulla ad eſſe, alia ad melius eſſe comparata ſint; & aliarum So-
106. cietatum exemplo illuſtratur. Inter moratas gentes catholicum eſſe quoddam omnibus commune, Jus naturæ nempe & gentium, alia vero propria ſingulis. Catholicam item eccleſiam Societatem eſſe diffuſam per totum orbem. Ad conſequendum iſtius ſcopum requiri cognitionem Dei, non qualemcunque, ſed revelatam, quæ non niſi
108, fide poſſit apprehendi, eoque fide opus illi eſſe, qui in Catholica Eccleſia haberi velit. Signacula hujus fidei baptiſmum eſſe & Euchariſtiam: fidem, in quam baptiſemur, eſſe fidem Symboli Apoſtolici.
116. Symbolum vero apoſtolicum non quoad verba tantum, verum & quoad genuinum ſenſum ab unoquoque recipi debere, qui membrum Catholicæ eccleſiæ cenſeri cupiat; eum vero ſenſum in œcumenicis
120. confeſſionibus manifeſtatum legi. Utendum præterea eidem eſſe Sacramentis, & eo quidem modo quo Chriſtus ea inſtituit; ac proinde ad Catholicam eccleſiam neutiquam eos pertinere, quorum audacia materia & forma Sacramentorum immutetur. Ex his & aliis requiſitis, ut ſunt, vitæ ſtudere ſanctimoniæ, amplecti ſcripta ab Apoſtolis ec-
125. cleſiæ tradita, Scripturæ & catholicæ eccleſiæ ſenſum ſequi, conſtitutionibus eccleſiaſticis conformare ſe, fraterni amoris documenta exhibere, ſolventem pariter & ligantem clavem cuſtodire; definitio denique

nique

niq; iſtius cœtus, qui catholicus nominari mereatur, colligitur. Pontificios anſam dediſſe ſchismati non illi tantum, quod Græcæ eccleſiæ interceſſit cum Latina, verum & alteri, quod in occidentali eccleſia eſt obortum; eoque Catholicorum titulo ſe indignos reddidiſſe, licet quidam inter illos ſint vere Catholici, quemadmodum & aliis in cœtibus boni malis reperiantur mixti. pag. 131. 151.

Ad *quintum* transiens, ſcrutatorem notat infallibilitatem & perpetuitatem a Lutheranis fraudulenter requirere, quod longe alia univerſalis, alia particularis eccleſiæ ſit conditio. Probare eos tamen ex Scriptura poſſe, fidem quam tenent, certam eſſe, infallibilem, atque perpetuam. 163.

In *ſexto* retundendo ſic verſatur, ut concedat, obſcuriora quædam in Scripturis contineri; in quibus tamen ſi quis offendat, non eum eſſe propterea removendum ab Eccleſia: in prædicatione verbi, rudiorum habendam eſſe rationem, eaque propter in homiliis abſtinendum ab obſcurioribus. Quod ſi aberrare in his aliquem contingat, ſalvo credendorum agendorumque fundamento, dicendum eſſe nihilominus, pure ab eo verbum prædicari, quod non omnis defectus eſſentiam rei tollat. Secus ſi ſtatuatur, de nullo Eccleſiæ doctore affirmari poſſe, quod verbum Dei pure prædicarit. ad puram igitur prædicationem verbi ſufficere concludit credendorum & agendorum juſtam doctrinam, qualem ſuis in eccleſiis haberi, Lutherani ſatis certi ſint. 166. 168.

Septimum profligaturus, ſufficere Lutheranis aſſerit, quod certi ſint de legitima Sacramentorum adminiſtratione in ſua eccleſia. In aliis quoque eccleſiis legitima eſſe Sacramenta ſecundum ſubſtantiam, licet accidentales ritus varient. Lutheranos reprehendere in Pontificiis, quod in Euchariſtiæ celebratione abuſus minime probandos introduxerint, veluti, quod cum integrum quidem Sacramentum habeant, laicis tamen non dent integrum, ſed ſpecie, ſeu parte altera truncatum: quod, cum ſacramentum hoc a Chriſto non alio fine inſtitutum norint, quam ut fideles illic eſu corporis, & potu ſanguinis ipſius reficiantur, atque una memoriam ſacrificii ejus ſemel in ara crucis pro ſe oblati peragant, in alios etiam uſus illud convertere non vereantur, de quibus nihil novit vetus eccleſia, utpote, quod hoſtiam conſecratam circumgeſtent, quod adorare illam jubeant &c. In 170.

Græcis reprehendere eosdem, quod non seorsim panem, non seorsim vinum consecratum communicantibus porrigant, ut constat Servatorem porrexisse Apostolis, sed utrumque conjunctim in cochleari. Hujusmodi abusus rejicere, quodque abusus sint, ex regula fidei, Scriptura Sacra, demonstrare Lutheranos.

pag. 172. In *octavi* examine Lutheranis satis esse ostendit, quod ministros habeant vocatos legitime atque ordinatos. Vocandi enim ministros verbi potestatem connexam esse cum regni cœlorum clavibus.
174. Has vero non soli presbyterio, sed ecclesiæ toti a Christo fuisse traditas, ut pote quæ sponsa sit, Joh. III, 29. & uxor Christi, Psal. XLV, 11. cum Episcopi & Pastores, ejus solum œconomi & ministri sint I. Cor. IV, 1. usu & ministeriali dispensatione clavium gaudentes, quarum possessionem ecclesia acceperit. Excommunicandi quoque potestatem, & jus vocandi ad totam ecclesiam pertinere, per Apostolorum, & priscæ Ecclesiæ praxin confirmatur ulterius. Quod autem vocatio a certis alicubi in ecclesia personis pendeat, id non aliunde esse, quam quod his tota ecclesia suum jus, quo antea fuit gavisa, cesserit, easque propterea quod hic agant, non suo, sed ecclesiæ nomine & auctoritate agere. Lutheranorum ordinatio probatur porro exemplo Timothei a presbyterio ordinati. Unde concluditur, & vocationem & ordinationem ministrorum in Lutheranis cœtibus Scripturæ admodum esse conformem. Quo vero exceptioni de ordinatione abs episcopo peragenda satisfiat, Episcoporum Roma-
177. norum nimio rigore, & prurigine excommunicandi eos, qui nihil minus quam tale quid commeruerant, factum esse ait, ut Jus Episcopale, consentientibus omnino Imperii Statibus, Romanæ etiam parti addictis, ad Principes, liberasque respublicas tamdiu devolveretur, donec controversæ religionis negotium transactum esset, & omnia in pristinum ecclesiæ vere catholicæ conformem statum redacta. Jam sine eorum directione, qui jus episcopale possident, nullam ordinationem inter Protestantes peragi. Ordinationem a presbytero collatam probat etiam e corpore Canonico. Ut vero Lutherani probatum eant, ministros ecclesiæ suæ solos legitime vocatos & ordinatos esse, nulla specie necessitatis postulari ideo, quod hi negent minime, alias quoque ecclesias verbi ministros habere vocatos rite ordinatosque: unde a Pontificiis ordinatis ordinationem non magis, quam

quam baptisatis eorum ministerio, baptismum denuo impertiant. Non enim sufficere rite vocatum esse & ordinatum, nisi cætera paria existant; quam in rem Pharisæorum in cathedra Mosis sedentium, & Judæ proditoris exemplum adducitur. Mores Pontificiorum Sacerdotum pravos esse, & repugnare Scripturæ juxta canonumque voluntati.

Noni occasione de jure agitur reformandi, & de ipsa reformatione recte peracta. Illud probatur ex Scriptura, quod ad officium Spiritus Sancti elenchus pertineat, quodque Magistratus sit, corruptelas in religione tollere. Totius ecclesiæ curam a quovis ministro habendam esse ex Patrum sententia, Romanum, sicubi deflexisset ab officii curriculo, ab aliis episcopis notatum libere, a Græcis v.g. quidni Lutheranis idem licuerit? A Lutheranis igitur qui postulat, ut solos se habuisse probent jus Ecclesiam reformandi, is elenchum se ignorare prodit, & nescire quid in controversia ponatur. pag. 180.

Decimum eversurus, monstrat initio tautologias Scrutatoris, fallique eum consequente, ubi erroneum & falsum cum hæretico sic conjungit, ut idem esse arbitretur: falli præterea homonymia in *fidei* & *symboli* vocibus manifesta. Hinc de Confessione, & Lutheranorum Libris Symbolicis eorumve probatione disseritur; quaque ratione non soli Lutherani Symbolo fidei orthodoxo gaudeant. 187.

Undecimum denique & *duodecimum* non minus tautologiis laborare ostenditur, imo utrumq; coincidere cum præcedenti: rem eandem vero mutatis verbis iterato proponere, Sophistarum esse. Si Lutheranorum doctrina vera sit, fieri quidem aliter non posse, quin sit falsa eidem opposita; ut tamen omnia dogmata ei opposita sint hæretica, non esse necessarium. 191.

Postulatorum jam pretio & valore ad unguem ita excusso, jucunda ratione docet Zeidlerus, quam vanum sit Scrutatoris anonymi institutum, & quam lepide is fine suo excidat. Nimirum, voluit adversarius ostendere, *Nullam ex iis quas nominavit ecclesiis, adeoque nec Lutheranam veram esse Ecclesiam, in qua certo promittere sibi salutem viventes queant*: idque exinde confectum dare, quod *istarum nulla præstare queat, quæ hisce postulatis ab iis requirantur*: hoc est, nullam posse probare, quod soli instructi sint unica, sufficiente, & adæquata fidei regula; quod soli versione gaudeant authentica; 191. 192.

quod

quod soli verum & legitimum Scripturæ sensum teneant; quod soli una sint, sancta, Catholica Ecclesia, quæ sit infallibilis ac perpetua; quod soli puram prædicationem verbi & Sacramentorum administrationem legitimam, veros legitimeque vocatos ministros, & jus reformandi ecclesias; soli item orthodoxum, catholicum, & Apostolicum symbolum habeant, librosque dogmaticos, qui soli sanam in se doctrinam contineant. Deinde cum persuasus sit, *Calvinianos etiam, Socinianos, & Anabaptistas præsupponere, unicam fidei suæ regulam atque normam Scripturam esse; Lutheranos*, si probandi munus vel maxime explere velint & in se recipere, *nihil allaturos esse* credit, *quod sibi non & reliqui appropriaturi sint*, indeque effectum iri, quod vel omnium religiones & doctrinæ veræ & Apostolicæ, vel nulla talis sit habenda.

pag. 193. Respondetur vero per ἔνστασιν ad primum, neque Romanam, neque Corinthiacam, neque Ephesinam, neque Galatarum, neque Colossensium Ecclesiam de se probare posse, quæ hic a Lutheranis requiruntur: universalem enim & particularem Ecclesiam aperte nimis in his confundi: a Pontificiis autem talem probationem requiri multo rectius; quod se solos esse Catholicos contendant, neminemque ad ecclesiam pertinere, ac salutem consequi posse doceant, nisi Pontifici Romano subsit. Alteri tendiculæ subesse fallaciam monet accidentis & consequentis. Non enim sequi: *Sociniani, Anabaptistæ, & aliis addicti sectis, non minus quam Lutherani ad Scripturam velut unicam fidei regulam provocant; Ergo Lutheranorum ecclesia non minus, quam Socinianorum & Anabaptistarum falsa est.* Neque enim horum ecclesiam falsam ideo censeri, quod ad Scripturam ceu regulam fidei provocent; cum & Christum, Apostolos, atque Evangelistas idem fecisse constet; sed propterea, quod dictam regulam distorqueant & pervertant, & quidem in iis etiam, quæ ad ipsum salutis fundamentum pertinent; licet inficientur se id facere. Immotam ergo manere Scripturam controversiarum decidendarum regulam, quod res fidei non nisi ex divina revelatione, vel ipsius Pythagoræ, Platonis, Aristotelis suffragio sint dijudicandæ. Fraudes autem eorum,
196. qui regulam pervertunt, adhibitis justis interpretationis mediis detegendas atque coercendas esse; quod cum a Lutheranis studiose sancteq; observetur, ab Anabaptistis vero & Socinianis negligatur pessime,

ſime, in eundem hos cum iſtis cenſum inique admodum & præter meritum referri. In calce denique libri ſubjiciuntur, inſtar ſyllabi totius operis atque indicis, Notarum & Animadverſionum argumenta.

MELCHIORIS ZEIDLERI, S. THEOL. D. ET P.P. in Academia Regiomontana REFUTATIO TUBÆ PACIS &c.

Helmæſtadii, ſumtu Georg. Wolfg. Hammii, 1688, in 4.

Conſtat plagulis 29.

IN ſuſpicionem animi ad Papatum non parum inclinantis adducere Autorem laboraverat Matthæus quidam Prætorius, in libello Romano Pontifici dedicato, qui *Tuba Pacis* inſcribitur. Expurgare igitur & dimovere ſuſpicionem illam hoc cumprimis ſcripto Zeidlerus voluit: natumque id fuiſſe fatetur ex *Animadverſionibus*, quas in Prætorii hujus *Diſſertationem de Pace in Eccleſia reſtauranda*, antequam edita fuiſſet, Tubæque pacis nomen indepta, eo fine ſcripſerit, ut monſtratis erroribus in Diſſertatione admiſſis, retraheret hominem ab inſtituto, caveretque, ne is pacificatione intempeſtiva novas in eccleſia Lutherana turbas excitaret.

Præmittitur ergo in hoc volumine ea *Diſſertationis Prætorianæ pars*, quam Autor virga cenſoria notavit. In ipſis dein animadverſionibus, iis argumentis & elogiis, quæ pro agnoſcenda jurisdictione, & infallibilitate Romani Pontificis erant a Prætorio adducta, fucum Zeidlerus detrahit, & oſtendit antiquis Eccleſiæ doctoribus nunquam veniſſe in mentem, ullius jurisdictionis in reliquos omnes epiſcopos poteſtatem Romano ſui temporis Pontifici tribuere: tantum abeſt, ut iſtis elogiis Pontificem ornandum Zeidlerus ipſe duxerit. Docet enim præterea, pacis & unitatis gratia neminem quicquam illæſa conſcientia, verum pronunciare poſſe, quod non verum eſſe arbitretur, quare nec infallibilem dici a Lutheranis Pontificem pacis cauſa poſſe: in caſſum item autorem Tubæ laborare, ubi oſtendere conetur *rationem* ſub qua, aut propter quam idem Pontifex ſit infallibilis, antequam evictum dederit, *quod* ulla ratione infallibilis

pag. 27.

161.

163.

pag. 123. exiſtat; ſtultitiam ſapere, illud manifeſtare velle, hoc neglecto. Eſ-
ſe quidem ſibi non ignotum, quod dictus Pontifex, *Pontifex maxi-
mus, & epiſcopus epiſcoporum*, a Tertulliano; *Catholicæ eccleſiæ Papa*, abs
Athanaſio; *ſummus ſacerdos*, ab Hieronymo; *Antiſtes ad quem pro-
pter ſedis dignitatem cura omnium pertineat*, a Chryſoſtomo; quodq;
Petrus *omnium Apoſtolorum caput*, abs Optato Milevitano nomine-
tur; ex his tamen honorum titulis jurisdictionem, de qua quæratur,
126. nullam poſſe extorqueri. Primum ſiquidem & ultimum innuere
128. duntaxat primatum ordinis; in ſecundo Catholicam Eccleſiam non
particulari, ſed falſæ & hæreticæ opponi: reliqua præconia Romano
cum cæteris epiſcopis eſſe communia. Attendendum & hic eſſe
132. 134. Theodoreti monitum: *Quæ in eccleſia panegyrice & declamatorie
dicuntur, non conſtituunt dogmatum regulam.* Eoque Eccleſiam
141. Chriſti univerſam paci & concordiæ non poſſe reſtitui, niſi juri ficto,
quod inique hactenus prætendit Pontifex, ſuapte ſponte renuntiet.
158. Ex *cathedra Petri* occupata, non majori certitudine effici infallibili-
tatem Pontificis, quam Phariſæorum, ex occupata Moſis. Et
171. quamvis Romana olim eccleſia, *prima eccleſiarum omnium*, *eccleſia
eminentia digna*, abs Ignatio: *maxima & antiquiſſima*, ab Irenæo:
Eccleſia catholicæ radix & mater, Cypriano: *mater & caput omnium ec-
cleſiarum*, Athanaſio dicatur, manere eam particularem nihilominus,
& eſſe Lutheranis ſermonem hic de eccleſia Romana non temporum
præcedentium, ſed ſequiorum, in quibus nimium quantum mutata
179. fuerit iſtius facies. Bethel fuiſſe quidem locum ſanctum Jacobi Pa-
180. triarchæ tempore; minime vero, imo Bethaven, Jeroboami: idem
Hieroſolymorum urbi, idem ipſi Dei templo contigiſſe. Ab ejus
vero generis mutatione Romanam non eximi, aperte nimis experien-
tiam teſtari; adverſus quam diſputare, nihil aliud eſſe, quam cucur-
181. bitas pingere, ſeu oleum, quod ajunt, & operam perdere. Con-
cludit tandem, quamdiu Romani Præſules donum infallibilitatis ſibi
conceſſum crepent, fruſtra Romanam curiam inter, & Græcam aut
etiam Proteſtantium eccleſias concordiam ſperari. In libri extre-
mo epiſtola in lingua legitur vernacula, qua iisdem pene argumentis
Principi ſuo ſe purgat Autor de eodem crimine, quam ipſam index
rerum excipit.

SECOND VOYAGE DU PERE TACHARD.

id est,

Guidonis Tachardi e Societate Jesu, alterum iter in regnum Siamense, cum aliis Jesuitis a Rege Galliæ eo missis.

Ad exemplar Parisiense.

Amstelodami, apud Petrum Mortier, 1689. in 12. Plagul. 16.

De rebus Siamensibus, in Actis nostris A. 1687 p. 107, & A. 1688 p. 6 & 507 ex *Chaumontii*, *Choisélli*, *Gervasii*, & hujus ipsius *Tachardi* relationibus satis multa recensuimus. Ad cognoscendam tamen historiæ seriem novus hic Tachardi libellus utilis erit, nec injucundus lectu. Regressus ex India in Galliam *Tachardus* cum Legatis Siamensibus, postulata eorum in aula eo successu inter alia commendavit, ut quatuordecim mathematicarum scientiarum periti, ex variis Galliæ collegiis Jesuiticis delecti, in Indiam destinarentur. Hos Rex Galliæ ad se a Tachardo introductos, ipse allocutus & ad exequendum, ad quæ mittebantur, exhortatus est, his inter alia, quæ Latine versa referri merentur, verbis: *Difficillimum est, Patres, iter quod aggredimini, sed causæ, quæ vos movent, longe graviores sunt, quam ut vos deficere in proposito sinant. Ite igitur ad promovendam gloriam Dei & honorem Galliæ, implete spes nostras. Apprecor vobis prosperam profectionem, & precibus vestris me commendo.* Eosdem in literis ad Regem Siamensem d. 20. Januarii 1686 datis, quibus Legatis suis *Luberio & Cebereto* fidem faciebat, amplissime commendavit. Idem fecit *P. la Chaise.* Classis, qua vehebantur, regio sumtu instructa, naves bellicas duas & tres celoces habebat. Hæc Legatos Gallicos, nec non Siamenses ex Gallia reduces, & copias militares Gallorum cum ducibus in regnum Siamense transportandas ferens, ex portu Aremoricæ *Brivatensi* (Brest) Kal. Mart. A. 1687 solvit, & d. 11 Junii ad famosum Africæ promontorium *Bonæ Spei* appulit, morbis tamen vehementer afflicta, ita ut trecentos ægrotos in terram exponeret. Discesserunt inde, benigne, ut in primo itinere, a Gubernatore Batavo habiti, d. 25 Junii, & Javam d. 25 Augusti attigerunt, non paucis ex militibus vi morborum amissis, itemque uno ex Jesuitis. Receptio in Batavorum isthoc emporio non æque comis

pag. 5.

7. 11.

fuit, ac in priori itinere: delata enim illuc fama erat, de *Reformato-*
rum in Gallia oppressione, ita ut Præfectus dubitaret, an Jesuitas ab
insultu plebis tutos præstare posset. Neque tamen veritus est Ta-
pag. 79. chardus asseverare, *nihil duri a Rege passos esse Reformatos, sed omni*
circumspectione & bonitate tractatos. Navigatio hæc, quæ libris tri-
bus prioribus describitur, septimo mense finem habuit; die enim 27
Septembris littus Siamicum classis tenuit. Digressiones his libris
50. insertæ sunt non paucæ; de fluxu nimirum & refluxu maris, cujus
tempora eadem ad littus promontorii *Bonæ spei* ac in Belgio observa-
53. ta sunt; de Legatione Persica ad Regem Siamensem missa, de cujus
recipiendæ ceremoniis multa fuit disceptatio. Refertur epistola Sia-
mensium Legatorū *Oc Pravisu, Oc Luan, Oc Coum*, (cognomina ejusdē
58. soni præterimus) ad P. la Chaise ex littore *Bonæ spei* data. Descriptiones
& icones plantarum in ora illa Africæ repertarum exhibentur; ut &
observationes de acus magneticæ variatione, ex quibus & aliis appa-
65. ret, nihil certi de ea statui posse; longa denique narratio de rebellione
Macassaraorum, quos Rex Siami e patria profugos benignissime ex-
88. ceperat, & sedibus donaverat, quorum horrenda perfidia & fero-
119. cia, tum innata, tum opii usu provocata, prolixe describitur. Refer-
tur etiam ejusdem gentis hominum conjuratio in nova Batavorum
colonia Javensi inita, quam secuta est animadversio in sceleris auto-
res, & reliquorum fuga, sed & Batavorum non exigua clades ab iis
accepta, cum profugos persequerentur. *Libro IV.* enarrantur, quæ
post appulsum classis Gallicanæ in regno Siamensi gesta sunt, ex qui-
bus pauca quædam observabimus. Dictum jam est alibi, de servili &
superstitiosa miseræ gentis erga Reges suos reverentia. Hujus speci-
124. men notat *Tachardus*, dum narrat, attonitos fuisse & plane tacuisse
proceres quosdam Siamenses, cum e navi egressus, de valetudine Re-
gis bona mente & solita humanitate eos interrogasset. Didicit vero
postea, nemini ne sic quidem licere de Rege quicquam inquirere
aut loqui. Admiranda est & fortassis sine exemplo promptitudo,
185. qua Rex barbarus omnia a Legatis Gallicis proposita admisit & exe-
cutus est, neque tamen absque deliberatione, sed sciens volensque,
ita ut agnosceret, foret, ut incredibilia videantur Europæis, quæ Gal-
lis concederet. Non enim solum plenissimam, & qualem deside-
rabant, commerciorum & sacrorum libertatem illis indulsit, sed &
duos

duos præcipuos portus & claustra regni, *Bancoq & Mergny*, Gallorum
ducibus & copiis commisit, suaque ipsis præsidia subesse jussit. Mul- pag. 187.
tum ad hæc contulerunt Siamensium, qui ex Gallia redierant, Lega-
torum relationes. Scribit enim *Tachardus*, dixisse eos, cum a regio
ministro *Constantio* interrogarentur, *se in Gallia non homines, sed ange-
los, non regnum sed mundum invenisse:* cum vero de Rege loqui cœ-
pissent, a lacrymis abstinere non potuisse, tantoque affectu & tam
ingeniose de illo disseruisse, ut Constantius negaret, sibi unquam ta-
lia audita esse. In ceremoniis quibus Gallici Legati excepti sunt,
nihil fere mutatum narratur ex illis, quæ in prima Legatione obser-
vatæ fuerunt, nisi quod Luberius stans & nudo capite Regem allo-
cutus est, licet aliud pactus esset. Integra ejus oratio refertur. Ma- 195.
gna benevolentia exceptus quoque est dux copiarum Gallicarum
Fargesius. Notavit tamen Tachardus, ut aliquid singulare & insoli-
tum, quod ex duodecim corporis Regii custodibus, qui latera
ejus claudebant, quatuor converso ad Regem vultu, dorso vero ac-
cedentibus obverso, adstiterint, forte ut nutum ejus facilius obser- 198.
varent. Inserta est huic libro prolixa relatio *Fontenai* Jesuitæ, de
itinere ex regno Siamensi in Chinam infeliciter & frustra suscepto. 127. 165.
Libro V. varia annotavit Autor de Legatorum Gallicorum, maxime
vero de Jesuitarum ad Regem admissione; de exstructis a Constan-
tio ædificiis sacris & profanis; de jussu Regis, ut Jesuitæ linguam Sia-
mensium sacram addiscerent, qua de causa tres ex illis sacerdoti cui-
dam idololatræ, quanquam invito & ægre parenti, erudiendi tradi-
ti fuerint; de venatione elephantorum; de spe metalla, Gallo- 223.
rum industria, inveniendi; de itinere *Fontenai* ad rupem quan-
dam magneticam, quam tamen propter periculum a belluis aliaque 230.
impedimenta satis diligenter explorare non potuerit. Fabula inde de
Deo sive heroe Siamensium *Sommonocodono* recensetur, quod ex vir-
gine natus esse dicatur, multaque egerit & passus sit, quæ si quid judi-
camus, ex historia Christi detorta esse videntur. Stultissimum est,
quod vestigium pedis ejus saxo impressum ostenditur, quinque pedes
longum, unius latitudine. Irrisisse hoc barbarus quidam ex vicina
Camboja regione dicitur, festive quærens, cur Deus Siamensium uno 246.
tantum pede illos accesserit. Læta referuntur de successu missionis
apud Sinenses, & ut Episcopi eorumque Vicarii (quibus Rex Siamen- 253.

sis 500 aureos quotannis elargiri dicitur,) anno 1686. decem incolarum millia, *confirmationis*, quod vocant, Sacramento initiaverint, & mille baptizaverint. Diploma regium exhibetur, quo Jesuitis ad preces Constantii, (quem Rex *Oya Vitochaigen* vocat) locus ad exstruendum observatorium astronomicum assignatur, & centum mancipia cum omni progenie donantur. *Libro VI* post descriptiones
pag. 259. quarundam arborum, plantarum & ferarum, literæ Regis Siamensis ad Gallicum inseruntur d. 22 Decembris anni 1687 datæ, quem Barbari 2231 numerant, quæ plenæ sunt submissionis & venerationis erga Galliæ Regem, & laudum Tachardi, cui, licet titulos & præmia aulici ministerii recusasset, negotia tamen sua commisisse se profitetur.
264. Eadem comitate, nec minori in Tachardum fiducia, ad *P. la Chaise*
269. scripsit. Oratio Luberii, cum dimissionem a Rege petiit, brevis sed elegans exhibetur, ut & relatio ultimi inter Regem & Tachardum colloquii, quod cum tempore festi Christianorum natalitii haberetur,
272. occasionem sumsisse se dicit Tachardus, de mysterio illo aliquid commemorandi. Illa libenter se percipere Rex dixisse perhibetur; nihil tamen ad rem respondit, neque alius huc usque ex omni illa Jesuitarum familiaritate, in aula Siamensi effectus ad Regem Christianæ religione imbuendum extitit. *Liber VII* pauca habet de reditu Gallorum in Europam, longa vero narratione occupatur Mandarini cujusdam Siamensis, de naufragio, quod ante aliquot annos ad oram
279. Africæ passus erat, quæ tamen fabulæ simillima videtur. Retulit enim ille, ut totos triginta dies per loca inaccessa vagatus, omni prope alimento hominibus convenienti, aqua etiam plerumque destitutus, & ignotis herbis, corio etiam calceorum vitam tolerans, ad Batavorum coloniam in promontorio Bonæ Spei penetraverit. *Libro VIII*, qui ultimus est, Autor historiam itineris sui, & classis qua vehebatur, ab ora Africæ in Galliam usque persequitur, utque Regi suo mense Novembri A. 1688 gestorum rationem reddiderit. Jussum autem se esse dicit, ut cum Mandarinis Siamensibus, quos adduxerat, Romam festinaret, idque ita executus est, ut hospites illos d. 23. Decembris Pon-
363. tifici stiterit. Remissus fuit illis ritus pedem Pontificis osculandi; recusabant enim illum, ut actum religiosum, suæ superstitioni inhærentes. *Tachardus* verba Regis Siamensis nomine fecit, literasque ejus, die supra notato, 22. Decembris 1687 datas, & aureis laminis pro


pro more inscriptas exhibuit. Blandis illæ verbis,& promissis de prote- pag. 365.
gendis in regno Jesuitis & Christianis refertæ erant, titulus etiam sanctissimi patris Pontifici datus. Accessit munus regium,cistula aurea quindecim marcarū pondere. Constantius argenteam capsam insignis cælaturæ miserat, tredecim librarum. Offerebant hæc Siamenses, trina genuflexione, erectisque ad frontem manibus, & postea ad pectus demissis,inclinato etiam capite,& apice pileorum acutorum quos gestabant, fimbriam stolæ Pontificiæ tangentes,venerationem testati. *Tunquinensium* quoque catechistas, quos vocant, tres adduxerat Tachardus, qui Pontifici literas ducentorum millium Christianorum in illo regno nomine exhibuerunt. Adsistebant Pontifici Siamenses admittenti octo Cardinales, omniaque ad pompam composita erant, quam impense mirati esse dicuntur Barbari, maxime cum Missam solennem in sacello Pontificio celebrari vidissent; unde magnam de religione Christiana existimationem concepisse dicuntur, duoque ex illorum famulitio baptismum desiderare visi sunt. Responsum Pontificis ad Regem Siamensem aureæ pyxidi inclusum fuit, & præmia Tachardo & Mandarinis exhibita sunt. Inter ea fuerunt numismata effigiem Pontificis, & in altera parte iconem charitatis repræsentantia, cum dicti Paulini inscriptione: *Non quærit quæ sua sunt.* Discesserunt Roma Tachardus & Siamenses d. 7. Januarii hujus anni 1689, & sequenti die conscensis navibus Galliam repetierunt.

Atque sic œconomiam præsentis Itinerarii delineasse suffecerit. Cæterum cum in eo inter alia *Anatomicam* etiam, eamque satis accuratam animalculi cujusdam, in Siamensi regno non infrequentis *Descriptionem*, in eo quidem librorum genere inexpectatam, deprehenderimus: id Medicorum filiis, aliisque qui vel Historia Animalium delectantur, vel Anatomen comparatam in deliciis habent, dandum existimavimus, ut separatim ea e Gallico in Latinum sermonem translata hic exhiberetur. Itaque sequitur nunc

DESCRIPTIO ANATOMICA ERINACEI SIAMENSIS; excerpta ex Tachardi Itinere altero Siamensi lib. 6. p. 250. seqq.

Anima-

TAB. XI. Fig. 1. ANimalia inter exotica non ultimo conſiderari meretur loco, quod in Figura adpoſita delineatur, ac longitudine duos pedes & dimidium circiter cum cauda adæquans, a Siamenſibus *Lin*, a Portugallis *Bicho Vergenhoſo*, i. e. inſectum verecundum appellatur; ab Autore vero Erinaceus ſeu echinus (*l' Heriſſon*) eo ſalutatur, quod metu perterritum, erinaceorum noſtrorum adinſtar, in ſe ipſum ſe contrahat, omnesque ſquamas, quibus cutis undique tegitur, ventre ſolummodo ac interna crurum parte exceptis, erigat. In ſylvarum alias degit cavernis; nonnunquam arbores conſcendit, ac granis quibusdam duriſſimis ſaltem veſcitur, utpote præter quæ, lapillis nonnullis ſociata, in ejus ad minimum ventriculo, quem Autor diſſecuit, repertum fuit nihil. Et permirum omnino, nec fructus, nec oryzam, nec legumina, neque carnem, neque piſces, neque aliud quidpiam, quod porrigebatur, ab eodem fuiſſe aſſumptum. Fauces ei erant admodum anguſtæ, lingua vero longa & ſtricta, quam interdum e faucibus inſtar ſerpentum evibrabat, ita nihilominus ut neminem læderet. Pilis ſatis longis ſtipabatur inter ſquamas prodeuntibus; cauda ſuperius rotunda, inferius plana, perquam gaudebat longa, in parvam quandam excreſcentiam carneam albicantem finiente, ſquamisque duriſſimis cooperta. Pedes tribus muniebantur ungulis incurvis majoribus, duabusque minoribus, in arboribus aſcendendis admodum commodis. Cum poſt obitum mox apertum eſſet, ſanguis deprehendebatur frigidus, corq; rubicundiſſimum, eo, quo ſectio inſtituebatur, momento ab omni pulſatione ceſſans. Pulmones ejusdem coloris cum humanis e quinq; lobis, quorum nonnulli in extremitate in multas alias dividebantur partes, coaleſcebant, ac inflati totum includebant cor. Ventriculus ſimilem ac in porco obtinebat ſitum, ſecundum longitudinem vero pylori apertus (1) obſervandam præbebat texturam ejus e tribus coagmentatam membranis, altera externa carnea, ſatis craſſa; altera interna nervea, rugoſa admodum & glandulis copioſiſſimis, inprimis pylorū verſus intertexta; tertia denique intermedia tenuiſſima. (2) Membranam inter ventriculi internam, & pelliculam hanc ſubtiliſſimam, duo exiles perquam, ſenſibiles tamen annotabantur ductus, qui a duabus exiguis glandulis, circa medium ventriculi, aliquanto nihilominus magis verſus inferius, quam ſuperius orificium ſituatis, exoriebantur, ac a ſupe-


TAB. XI. ad A. 1689.
pag. 484. sqq.
Fig: 3.
A
B
C
D
E
F

a superiore parte ad inferiorem progrediendo, semicircuitum ventriculi oblique absolvebant, tandem multis tortuosis circuitibus emensis, intus angusto quodam orificio carnoso & in marsupii morem corrugato, quo coibant invicem, terminati. (3) Pylorum crassities quædam sub ovi columbini specie circumdabat, perquam rubicunda & musculo crasso admodum similis; interiorem vero pylori partem parva quædam obsidebat glandula, crassitiem juglandis minoris æquans, & substantiam albicantem ac conglobatam referens, a qua exilis quidem canalis exsurgens, atque sub interna duodeni membrana excurrens, osculo idem intestinum, ad trium digitorum transversorum distantiam, prope insertionẽ meatus biliarii pertundebat. Eadem glandula totam pylori cavitatem occupando ipsum constituere pylorum videbatur. Cavum præterea ventriculi, uti jamjam indigitatum, non aliud, quam semina quædam parva durissima, Autori minus nota, lapillis nonnullis mixta, continebat: parum saltem substantiæ mucilaginosæ ingratum odorem nequaquam spirantis jungebatur. Mesenterium glandulis obsitum erat eo majoribus, quo propiores accederent ad centrum: deerat tamen hic glandula illa magna, Pancreas Asellii dicta, & in canibus aliisque animalibus obvia. Uterus in duo expansus cornua, in alterutro horum unicum more consueto gerebat fœtum, duabus equidem membranis, crassa altera & sanguinea, altera tenuissima & albicante inclusũ, nulla tamen placenta sustentatis. Cæterum animalia hæc pusilla, quo per foramina & antra quæcunque comitentur matres, harum semper dorsi extremitati & principio caudæ superius insidere (confer figurã appictam) ipsisque plicis, quæ in perterrefactis corrugandum inter formantur, ita sese accommodare, ut squamas solum dorsi ostendentia nullo inde modo amoveri queant, αὐτόπτης Autor testatur; a pauca alias aqua dorso adspersa eadem animalia in se contracta cogi, ut denuo sese extendant, simul advertens.

EXCERPTA EX LITTERIS Dn. DION. PAPINI ad -- de Instrumentis ad flammam sub aqua conservandam.

Refert Illuſtriſſimus Dominus Boyleus in ſuo tractatu de *Aerea Noctiluca*, quod præter alios uſus non contemnendos, Phosphorus ille poſſit etiam noctu piſcatoribus eſſe utilis: quum enim ſuam in obturata phiala lucem diu conſervet, poteſt ad quamlibet requiſitam profunditatem ſub aquas demitti, ubi retia tenduntur, atque ita piſces, quos ad lumen allici compertum eſt, in eum locum concurrunt, & plurimi capiuntur. Hinc mihi venit in mentem, poſſe conſtrui inſtrumentum aliquod, cujus in hunc finem utilitas Phosphoro eſſet anteponenda: ejus enim ope candelam ſub aqua ardentem quamdiu libet, conſervare poſſum, quæ lucem profundat longe majorem, quam quæ ex Phosphoro emittitur. Londini inſtrumentum illud Regiæ Societati exhibui, viſoque experimento celebris ille Cœtus rem approbare dignatus eſt: ejus igitur deſcriptionem publici juris facere non vereor.

TAB. XI. *Fig. 2.* Orificio vaſis vitrei AA fig. 2. imponitur operculum BB, quod ibi ſtatim retinetur & premitur ab elatere CCCC: ac ſimul exercendus eſt follis DD, qui valvis ita inſtructus eſt, ut ventus per tubum EEEEE in vas AA impellatur, regreſſu vero prohibeatur, ac proinde per tubum FF erumpens fumos ſecum abripiat: candela igitur in vaſe AA ardens novo ac puro aere continuo alluitur; unde flamma, quamdiu libuerit, conſervari poteſt. Quum autem vas AA undiquaque ſit exacte clauſum, poteſt ſub aquam ſine extinctionis periculo demergi, modo ſuperius orificium tubi FF extet ſupra ſuperficiem aquæ: illius autem tubi longitudo, ut & tubi EEE poteſt pro lubitu produci: ac proinde vas AA ad quamvis optatam profunditatem demitti poteſt, & piſces candela incluſa magis allicientur, quam ope Phosphori, cujus lumen multo languidius eſt. Poteſt vero hoc inſtrumentum in alios etiam uſus non minus expetendos adhiberi: ad diſtillandas nimirum materias, quæ actu inflammari debent, quale eſt ſulphur, ex quo ſpiritus acidus extrahitur. Notum enim eſt, quod juxta vulgarem methodum, ſpiritus plerique fere omnes diſperdantur, quum propter exiguam moram perpauci condenſari queant, ſed ſtatim ex campana, ſub qua comburitur ſulphur, exitum inveniant atque in auras avolent: at noſtri inſtrumenti ope tanta poſſet fieri longitudo tubi FF, & ſi opus eſſet, in tot ſinus incurvari, totque variis vaſis ſub aqua frigida demerſis ſucceſſive inſeri, ut ſpiritus omnes condenſari

fari atque in liquorem resolvi deberent, priusquam per extremum orificium possent egredi, atque ita nihil amitteretur.

Videtur præterea ejusmodi artificium ad meliorandam *campanam urinatoriam* non mediocriter etiam posse conferre. Conatus est equidem Clarissimus Dominus Sturmius flammam in campana vitrea sub aquis conservare, prout in ipsius Colleg. Exp. part. 2. videre est; verum tam exiguo tempore flammam ibi durare expertus est, ut nullam inde utilitatem liceret percipere: rem igitur alio modo aggressus sum. Vasis vitrei AA fig. 3. orificium deorsum spectat, TAB, XI. atque ipsum amplectuntur laminæ metallicæ BBBBB, quæ supra centrum fundi superioris connexæ, inferius ad centrum orificii concurrunt, ibique adferruminantur & candelam C sustinent; ipsis etiam annectuntur pondera, quantum satis ad vas demergendum, ita tamen ut cum æquali volumine aquæ in æquilibrio ferme remaneat: tubus autem EDDDF, variis suis flexuris orificium vasis inferius subit, immissum aerem versus summitatem defert, atque altero sui extremo ad follem aut antliam pertingit, unde novus continuo aer suppeditatur. *Fig. 3.*

In utendo utroq; hoc instrumento quædam mihi occurrerunt observanda, quæ relatu forsan non indigna videbuntur. 1°. Si removeatur follis DD, fig. 2. atque ore admoto in tubum EE aerem impellamus, videbimus quod aer ejusmodi ad conservandam flammam non solum inutilis, verum etiam noxius invenietur: quoniam vero in vase exacte clauso tam brevis est duratio flammæ, ut differentia parum sit sensibilis, sive aerem ore impellamus, sive nullus immittatur aer; ad rei veritatem manifestius comprobandam operculum BB ita disposui, ut vas AA totum ferme apertum remaneret, etiamsi orificium tubi EEE ad fundum vasis AA tantum non pertingeret: tum vero diutissime durabat candelæ flamma, neque sponte extinguebatur: at si aerem ore admoto per tubum EEEE immitterem, brevi temporis spatio extinctio sequuta est: hinc itaque concludi posse videtur, quod aer per expirationem ex pectore nostro emissus, partibus ad flammam conservandam idoneis non solum defraudatus est, verum etiam alias continet, quæ sunt instar veneni igni admodum exitialis. 2°. Observavi, flammam in instrumento fig. 3. multo difficilius quam in altero conservari; cujus phænomeni causam adscribo fumis, qui supra flammam ascendentes versus eandem repelluntur ab aere, per orifici-

um F ſubintrante, ſicque ipſam ſuffocant; at in inſtrumento fig. 2. fumi ex flamma aſcendentes recta per tubum FF tranſire poſſunt, neque verſus candelam regrediuntur, unde minus imminet extinctionis periculum. Lectores igitur exiſtimo monendos, quod ſi ſimplex follis DD (qualis pro inſtrumento fig. 2. feliciſſime inſervit) ad inſtrumentum fig. 3. adhibeatur, intentum obtineri non poteſt, at ſemper flamma extinguitur: quapropter neceſſe eſt follem adhibere duplicem, qui ventum conſtantem ſine intermiſſione ſuppeditet: tum vero poterit inſtrumentum fig. 3. optatum effectum non minus feliciter quam alterum præſtare. 3°. Obſervavi, quod ſi flamma in inſtrumento fig. 3. per ſemiquadrantem horæ aut circiter ſub aqua duraviſſet, aqua illa tenuibus ſebaceis laminulis tota conſperſa reperiebatur: cujus rei cauſam adſcribo fumis, qui ex inferiori parte vaſis AA egredientes ambientem aquam penetrant, ipſiusque frigore condenſati, ſebi formam iterum induunt: non tamen propterea exiſtimem, totum ardentis candelæ ſebum hac arte poſſe recuperari (ex quibusdam enim Boilianis experimentis patet, corporum naturam per inflammationem penitus alterari; ſpiritum vini e. g. dum comburitur in aquam puram converti; verum arbitror ſolas flammæ partes interiores, quæ aeri minus exponuntur, minus etiam perfecte accendi: unde fit, ut formam ſebi nondum prorſus mutatam facile reaſſumant, dum in aqua condenſantur.

Commoda autem inſignia ex hoc invento in campanam urinatoriam emerſura, maniſeſtiſſime patent. 1°. Aer per tubum DF ingrediens aquam ſibi ſubjacentem deprimit, & ex campana expellit, quæ proinde ſemper vacua remanens, idem ferme æquilibrium cum aqua ambiente ſemper ſervat, ſive ad fundum demergatur, ſive in ſuperficie aquæ hæreat; atque ita homines in dicta campana incluſi ipſam quaqua verſum, pro data occaſione, facillime transportant: & quo facilius id fieri poſſit, ſuperiorem partem tubi DE ad magnam longitudinem conficio ex corio, quod facile flecti & reflecti poteſt, prout campana huc vel illuc transfertur; at in aliis machinis comprimitur aer a pondere aquæ ſuper incumbentis, & in anguſtias ſpatium redigitur: campana ergo, aqua repletur plus vel minus, prout ad majorem vel minorem profunditatem demittitur: tanto igitur pondere gravata nequaquam poteſt ab hominibus in ea incluſis de

loco

loco in locum moveri: id autem multis in casibus valde incommodum est. 2. Aqua illa campanam subintrans & pro parte replens, impedit quominus fundum aquæ satis detegatur, ut ibi plurima pro voto exequi & videre queamus: nostra vero campana, quum semper ab aqua remaneat vacua, potest fundo aquæ ita applicari, ut pars subjacens tantum non sicca remaneat, hominesque ibi inclusi omnia videre atque operari ferme tam facili negotio possent, ac si in aere libero versarentur: nec dubito, quin hac ratione maxima impensarum pars devitari queat, dum ædificia aliqua in aquis extruenda sunt. 3. Nullus hic esset metus, neque a defectu luminis, neque a frigore, de quo sæpissime urinatores conqueruntur: possent enim ignis & candela, quantum satis in campana conservari. Postremo etiamsi ignis & candela aerem brevi inquinare respirationique ineptum reddere queant: non tamen impedirent, quo minus urinatores in fundo aquæ remanerent, quamdiu ita luberet; campanæ vero urinatoriæ vulgares identidem extrahi necessario debent, quo possit aer in iis inquinatus nova & pura aura commutari, quod sine magno laboris & temporis dispendio fieri nequit.

Si in insigni profunditate folles ex corio confecti minus validi reperirentur, quam ut aerem ad sufficientem compressionis gradum redigere possent: huic difficultati facile esset remedium ferre, adhibendo nimirum follium loco antlias metallicas, quarum ope intentũ procul dubio obtineretur, modo vires adhiberemus, quantũ satis ad aerem hominibus & igni sufficienter suppeditandum: tubus autem coriaceus DE certo certius poterit inservire; quandoquidem in machinis ad incendia restinguenda comparatis reperiuntur tubi coriacei, qui non minus validas distensiones patiuntur, quam quæ in machinis urinatoriis ad insignem profunditatem demersis perferendæ essent: præterea vero in his minor requireretur tuborum diameter, ac proinde minus foret ruptionis periculum.

LUDOVICI ET JACOBI CAPPELLORUM opera posthuma.

Amstelod. 1689, fol.

QUem superiori mense p. 410. orsi sumus voluminis hujus recensum, redordiri nunc ac ad finem perducere constituimus. Su-

persunt autem memoranda, tum *Jacobi Cappelli* in selecta librorum V. T. loca observationes, tum *Ludovici Cappelli* Arcanum punctationis revelatum, cum vindiciis hactenus *ἀνεκδότοις*.

578-695. Quod ad illas, generatim monuisse juvat, eas maximam partem ex Rabbinorum veterum ac recentiorum scriptis depromtas ab Autore esse, non eo quidem animo, quod universa illa Judæorum placita fide aut admiratione saltem digna crederet, sed quod inde phrasin aliquam Scripturæ sacræ, ac præsertim Levitici cultus ritum non perfunctorie illustratum iri confisus esset. Multa tamen heic videas recutitæ gentis commenta, quæ cordatioribus non magis sese approbabunt ac vilissimi scurrarum mimi. Unde in his talibus non amœnitatem, quæ in Judæorum scriptis nulla sit, quæri cupit, attamen novitatem eorum aut peregrinitatem Lectori non displicituram arbitratur Cappellus. Exempli loco sint feriæ illæ Judæorum nugæ de loco *Num.* XXXI, 18: *Omnes parvula inter fœminas, quæ non agnoverant cubitum masculi;* Hoc est, (inquiunt Talmudistæ, *Jebbamoth*, c. 6.
628. fol. 60) *quæ majores non erant annis tribus & uno die.* Nempe (addit *Cappellus*,) *si major trium annorum fuerit puella, Judæi volunt jam incertum esse, sit ne virgo nec ne.* Sic, quam sæpe exceptionibus suis
639. Legi fraudem faciant Judæi, observat: E. c. *Deut.* XXII, 14. *seqq.* pœna constituta cavere voluit Deus, ne innocenti fœminæ injuria fieret a marito, qui illius forte pertæsus, læsæ ante nuptias pudicitiæ per calumniam ream agere posset. Quid heic Judæi? Vaferrime illi legem ad puellam 12. modo annos natam restringunt, rimamque adeo, qua tantum non omnes legis transgressores elabantur, aperiunt. Ita enim *Maimonides*, Constit. de Virgine c. 3. §. 2. Misnæ tom. II. f. 106. ex versione Cappelli: *Qui famam læserit* קטנה minorennis, *vel* בוגרת ὑπεράκμε, adultæ, *insons est tam a multa quam a verberibus, nec pœnas luere tenetur, nisi læserit famam* נערה puellæ. *Filia, donec duodecim a natali suo solidos annos expleverit, dicitur* קטנה minor, *ubi 12. annos & diem unum attigerit, vocatur* נערה *naara* puella. *Ubi sex præterea menses impleverit, vocatur* בוגרת adulta. *Inter puellam & adultam interjecti sunt tantum sex menses.*

596. Majoris momenti sunt, quæ *Cappellus* ex proprio ingenio ad difficiliora Scripturæ dicta commentatur. Hujus generis est, quod *Gen.* X, 5. gentes Europæas איי הגוים *insulas gentium* vocari putat

putat ex sententia popularium Mosis, qui isthmum ignorarint, quo Asia Europæ connectitur, sed pelagus notissimum habuerint, quod Europam ab Asia Africaque disterminat; Asiam autem Africamve insulam nunquam vocarint, quod ambas isthmo sibi invicem cohærere probe nossent; ideoque Continenti Asiam Africamque complexæ, contradistinxerint *insulas* h. e. Europam, mari a continente illa sua diremtam.

Gen. XIV, 12. nove omnino vocem רכוש (facultates) vertit pag. 598.
equitatum, & vocem אכל (cibum, annonam,) *exercitum* reddidit; an feliciter, philologi dispiciant.

Exod. XXXIV, 17. lex habetur: *Festum azymorum observabis* 617.
septem diebus; ede azyma, prout præcepi tibi: præstituto mense (Abib) *novarum spicarum; quia mense novarum spicarum egressus es ex Ægypto.* Cum autem *Abib* incipiat a Martio vel Aprili, Cappellus monet, non spectandum heic nostrum clima, sed *Judææ* & *Ægypti*, in qua *Plinius* l. 18. c. 18. messem dicit ante Kal. April. inchoari, finiri mense Majo. Quin, *Leone Africano* teste P. VIII. Descript. Africæ cap. IV, messem in Ægypto finiri solere ante XX. Maji; ac (quod idem *Leo* P. III. c. III. habet) in Ansa civitate Temesnæ in regno Fessano melones & citrea mala circa medium Aprilis maturescere.

Eccles. II, 8. שדה ושדות aut de alveo & siphonibus aquam 666.
ejaculantibus, aut de instrumentis hydraulicis explicandum conjicit. Nove sane; an vere, judicatu difficillimum est, cum voces illæ ἐκ τῶν ἅπαξ λεγομένων sint.

Nec magis trita sunt, quæ ad *Eccles. VI, 9.* de voce נפש (*anima*) 667.
habet: *Melius* quidem est ambulare *cum oculorum aspectu* (hoc est, *cum perspicacia*,) *quam ambulare cum cupiditate*; hoc est, melius est, judicio mentis, quam cupiditati accedere sive parere, *tamen etiam illi sua vanitas est & afflictio spiritus.* נפש cupiditatem significat, ἐπιθυμίας, libidinem, ut Ps. CV, 24. Prov. XIII, 2. XIX, 2. XXIII, 1. XXV, 11. Hinc ψυχικὸς ἄνθρωπος dicitur is, qui suæ cupiditatis est servus, 1. Cor. II, 14.

Locum *Jer. XI, 18.* de Christo explicandum censet, æque ac 677.
Ludovicus Cappellus, de quo proximo mense dixisse meminimus; eo tamen cum discrimine, quod *Ludovicus* hypallagen adhibeat, h. m. *Perdamus lignum carne ejus*, i. e. perdamus carnem ejus ligno crucis

crucis: *Jacobus* autem *Cappellus*, neglecta hypallage, & *Perdamus lignum carne ejus* exponat: *Lignum*, *carne ejus* ei affixa *perdamus*, h. e. execrationi devoveamus. Ingeniose uterque. Cæterum, quod vulgaris versio: נשחיתה עץ בלחמו *perdamus lignum cum fructu ejus*, h. e. *perdamus hominem funditus*, simplicior longe & forsan verior sit, Ebrææ linguæ gnari in dubium vix vocabunt.

pag. 676. *Jer. XX, 14. 15.* diræ habentur, quæ interpretibus multum negotii facessunt. Alienum enim esse videtur a spiritu prophetico id genus execrationibus uti, præsertim in innocuos. Verum Jacobus Cappellus autumat, Jeremiam non ex mente sua illas protulisse, sed per prosopopœiam tantum dixisse ac vatidico spiritu prædixisse, quid desperabundi impii dicturi sint, ubi pœnæ, quas præcedentibus verbis iis interminaverat, suo tempore exantlandæ fuerint. Hinc versu 13. post clausulam: *a potestate maleficorum*, vocem, *dicturorum*, supplementi loco adjicit.

Sed ne exemplorum copia nauseam cieamus lectori, tres tantummodo in Danielem observationes coronidis vice addamus. Prima spectat 4. animalia totidem Monarchias denotantia, cap. VII.
681. Nimirum quartum *animal* Romanum esse putat Imperium, decem *cornua* sive imperatores habens, Pompejum nempe, Cæsarem, Augustum, Tiberium, Caligulam, Claudium, Neronem, Galbam, Othonem, & Vitellium. Pompejum (Xiphilini exemplo) Imperatoribus adnumerat, non tantum propter immensam & civili majorem potentiam, qua spoliatus est a Cæsare, sed & eo quod Pompejus reliquias successorum Alexandri subegit, Seleucidas quidem ipse, Ptolomæos autem per Gabinium. *Parvum cornu* ipsi est Vespasianus reliquorum omnium obscurissimus, *ascendens inter alia* (*Ner. Galb. Oth. Vitellium*,) & *dejiciens tres* (posteriori loco memoratos); *proferens verba contra excelsum & perdens sanctos excelsi*, (Hierosolyma scil. Matth. XXVII. 53.) & *proponens sibi mutare tempora* (legem & festivitates Judaicas) *intra tempus*, *tempora & dimidium temporis*, h. e. intra tres annos & serius, quorum initium ab A. D. 66. Contra hunc Vespasianum *judicium stetit & abolitus est ejus Dominatus &c.* tam, dum filiis ejus erepta est vita una cum regno, quam quia æternum est impiorum exitium: *Et regnum datum est populo sancto*; Christianis, 1. Petr. II. 9. Apoc. I, 6.

Dan.

Dan. X, 13. per Principem Regni Persarum ad infensissimum pag. 682.
Judæorum hostem *Cambysem* Cyri F. respici, author est.

Denique *Dan. XII, 11. 12.* παραφράζει· *A tempore, quo sublatum fuerit* ab Antiocho *juge sacrificium, idque ad substituendum illi abominationem desolatricem* fluent *dies 1290,* ad sublatum videlicet Antiochum ipsum. *Beatus, qui expectaverit* donec *pervenerit ad dies 1335*, additos diebus illis 1290. Ita colligit dies 2625, quorum initium ducit ab A. V. C. 586. 17. vel 27. Novemb. quibus diebus conveniat jugis sacrificii abolitio, desinit vero in A. V. C. 594. sub finem Januarii aut Februarii initium, circa quod tempus Jonathan ultus est fratrum suorum Johannis & Judæ cædem *1. Macc. IX, 35.* quam ultionem deinceps prosper rerum Judaicarum successus secutus est. 683.

Et hactenus quidem de observationibus *Jacobi Cappelli* dictum est. Restat *Ludovici Cappelli* Arcanum Punctationis revelatum, auctius post priorem Editionem Erpenianam editum. Refutare id satagit peculiari opere *Buxtorfius* Filius. Huic in hac demum editione opponuntur *Vindiciæ* prolixæ sæpiusque nimium quantum amarulentæ. 796-979. Vindice sane digna est *de punctorum antiquitate* controversia, & si quid contra hanc in medium proferri potest, id certe omne cum pulvillo quasi corrasum in Cappelli operibus, tum præsentibus, tum *Critica Sacra* offendere est. Momenta vero quæstionis sigillatim enarrare non consultum videtur; quod si enim pauca ac in compendio de iis dissereremus, non possent ea non tritissima esse. Si autem prolixius ea enarraremus, ut Lectori de robore universo argumentorum Cappellianorum accurate constaret, relatio nostra præter morem in nimiam molem excresceret. Meretur tamen hic, si quis alius, acutissimus Criticus, ut illius sententia ab harum rerum peritis nulloq; partium studio fascinatis sub examen iterum revocetur. Neque enim dubium forsan erit, magnum illi a Clariss. Buxtorfio relictum esse spicilegium.

Voluminis hujus extrema occupant *locorum Scripturæ, vocum Hebraicarum, rerum* denique *indices.* Eidem vero præmittitur *index operum Cappellianorum* tum *editorum*, tum suo tempore *edendorum.* E posterioribus cum primis avide expectanda videtur *Historia Christi & Apostolica*, item *de Mensuris* volumen unum, autore *Jacobo*

Cappello; porro *Ludovici Cappelli* Confutatio IV. librorum *Socini* de Christo Servatore, ejusdem *epistolæ* variæ ad eruditos, ut & dissertationes ἀμοιβαίαι ejusdem *Ludovici Cappelli* & *Primerozii* Pastoris Burdigalensis. Cætera utriusque Cappelli opera affecta magis, quam absoluta esse, Clarissimus editor indicare videtur.

ANTIBAILLET, OU CRITIQUE DU LIVRE de Mons. Baillet intitulé Jugemens des Scavans, *par Mons. Menage.*

id est,

Antibailletus, sive examen libri Antonii Bailleti qui inscribitur *Judicia eruditorum de præcipuis Auctorum libris*, auctore Ægidio Menagio.

Hagæ Comitum, apud St. Foulque &c. 1688. in 12.

Tomis duobus, plagulis 37.

QUod in collisione silicum accidere cernimus, ut scintillæ prosiliant, id in eruditorum contentionibus similiter usu venire videmus, ut dum libellis se mutuo isti petunt ac cæduntur, &, ut Horatius ait, totidem plagis hostem consumunt, eruditionis variæ quidem lumen accendatur, ac proinde verum omnino reperiatur istud Hesiodeum, ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι; sed simul ab utraque parte dicteria proficiscantur, quæ ii magis quos ea non tangunt, quam hi in quos sparsa sunt, ferre possunt. Non prorsus autem indecoras Doctis sed utiles & doctrinæ salutares habendas esse hujusmodi rixas, vel Ciceronis testimonio patet, qui *in ipsa Græcia philosophiam tanto in honore nunquam futuram* affirmat, *nisi doctissimorum contentionibus dissensionibusque viguisset.* Igitur modo contumeliæ verborum absint, haud improbandum est, si exemplo boni illius & prudentis viri ab Horatio descripti, Doctorum scripta quæ prodeunt ad vivum resecentur, ac super iis doctæ Aristarchorum lites exoriantur. Tale certamen inter doctissimos duos in urbe Parisina viros, ÆGIDIUM MENAGIUM, & ANTONIUM BAILLETTUM, superioribus annis excitatum fuisse accepimus: quorum cum neutri ad summam doctrinam quicquam desit, nos arbitrium ferre, quis eorum vel argumento vi-

to vicerit, vel elegantia verborum superior extiterit, supersedemus; quippe extra instituti rationem ducentes omne partium studium, potissima saltem concertationis & exprobrationis mutuæ capita recitaturi.

Emittere in publicum Antonius Bailletus, Bibliothecæ Lamonianæ celeberrimæ præfectus, judicia eruditorum de præcipuis scriptorum præstantium libris (*Jugemens des Sçavans sur les principaux ouvrages des autheurs*, cœperat, ejusque operis priores quatuor libros anno 1685 evulgarat, a nobis in Actis mens. Maji anni 1686 p. 251 memoratos. In his Menagius se æque ac alios amicitia & studiorum communione junctos cum animadverteret notatos, ægerrime id tulit, & Hendecasyllabos, (qui in postrema Poematũ ejus editione, quæ octava est, p. 156 leguntur,) scripsit in hæc Bailleti de Doctis iniquiora quæ existimabat judicia; alii etiam venusti in Gallia Poetæ, Valesius, Lucas, Comirius, evulgatis satyricis carminibus Bailletum insectati fuerunt. His, cum anno 1686 quinque volumina Judiciorum de Poetis ederet, respondit Bailletus, & Declarationem atque Præfationem enarrationi isti Poetarum (a nobis in Actis mensis Octobris anni 1687 p. 574 recensitæ) præmisit, in qua cum alios tum inprimis Menagium adortus est, multaq; illi tum in Præfationibus istis, tum in ipso opere, (cumprimis *Tom. IV. Part. V. p. 246 seqq.*) objecit. Hæc diluenda ratus Vir doctissimus, probrosa dicta ferre nescius, in provecta adeo ætate (cujus septuagesimum sextum annum eum agere, e *Tomo I. Antibailleti p. 263* patet, ubi se natum dicit d. 23 Aug. 1613) ab humanioribus literis & elegantioribus Musis nondum alienus, sed earum gloriam sustinens, librum duobus abhinc annis (ut ex Præfatione apparet) conscripsit Bailleto oppositum, & superiore anno Hagiensibus in Belgio typis sub *Antibailleti* elogio evulgavit: nam Parisiis imprimendi ejus facultatem non concessam sibi fuisse, sub finem queritur. Præcipuum Auctoris in hoc opere institutum est, objectas sibi a Bailleto criminationes quæ vel mores vel studia spectant repellere, commissos etiam Adversarii errores notare, alios eruditos viros a reprehensionibus ejus vindicare, denique recte ab eodem posita confirmare ac eruditis Dissertationibus illustrare.

Quæ Menagio ipsi Bailletus crimini dedit, ad tria ferme redigi possunt capita: nam & philautiam, & plagium, & carminum lasci-

viam, in eo incuſavit; quas & alias ſibi objectas culpas rectisſime amolitur Vir doctisſimus. Laudibus ſuis nimium addictum eum eſſe, *Adoptivorum carminum* libro, quem *Miſcellaneis* ſuis anno 1652 editis inſeruiſſet, & quod elogiorum ſuorum collectionem inſtituiſſet, probare ſategerat Bailletus: cui *cap. 81* reſpondet, & exemplo Heinſiorum Danielis & Nicolai, Balzaci item, & Ferd. Furſtenbergii Epiſcopi Monaſterienſis, librum Adoptivorum tuetur: laudes autem poetam ſibi tribuere poſſe, tum rationibus, tum pluribus Græcorum & Latinorum veterum, Gallorumque hodiernorum exemplis *capitibus 136. 137. 138. 139. 140* oſtendit; nec ſe tamen adeo magnifice ſemper de ſe locutum fuiſſe, ſed ſæpius modeſtisſime pronunciaſſe, *cap. 141. 142* demonſtrat, ac nunquam laudum ſuarum recenſum inſtituere ſibi in animo fuiſſe *cap. 143* affirmat, etſi alii de carminibus ſuis præclare ſenſerint, quorum elogia iis tributa Bailleto eadem elevanti *cap. 84. 85. 86. 18* opponit. Supplicem libellum Dictionariorum Gallicorum, (*la requête des Dictionnaires*) per jocum a ſe conſcriptum, ab illuſtri Societate Academiæ Gallicæ haud male acceptum fuiſſe, quod Bailletus dixerat, *cap. 82* docet, ibique late exponit cauſam ob quam ipſe in Societatem iſtam toto orbe clarisſimam nec receptus fuerit, nec recipi admodum expetiverit. Furtum poeticum, cujus turpitudinem ipſi Bailletus adſperſerat, quod in ſua poemata e veterum poetarum ſcriptis multa tranſtuliſſet, & dimidiatos interdum eorum verſus ſuis carminibus inſeruiſſet, excuſat & impune hoc licere docet, ac unde quædam in ſua poemata derivarit indicat. De furtis & imitationibus Poetarum (*du larcin & de l' imitation des Poetes*) Diſſertationem ſe condidiſſe in *Obſervat. ad Malherb. p. 255* profitetur. Sua autem carmina ſi in comparationem aliorum veniant, qui idem argumentum tractarint, ſive veteres ii ſint, ſive recentiores, ſive Græci, ſive Latini, ſive Galli, ſive Itali, palmam iſtis facere ambiguam demonſtrat *a p. 202 ad p. 277 Tom. II.* nam capitum numerus hic prorſus eſt turbatus. Amatorios verſus, quos *Bailletus* potisſimum in crimen vocavit, & doctisſimo Abbati exprobravit, nullum crimen habere, imo laudem mereri, quod ſine Venere Apollo frigeat, (ut *cap. 99* aſſeritur) nec ab ordinis ſacri dignitate alienum cenſeri, aut ſanctitati vitæ adverſari, quod vel Phillidem in Italico carmine nimium ſibi adamatam queratur & doleat, (*cap. 4*) vel poſt-
quam

quam studio isthoc se abstinere posthac velle ætate ingravescente dixerat, tamen denuo istud sumserit, *capitibus 123. 124. 125* probat; cumprimis autem *duobus postremis capitibus a pag. 324 usque ad finem libri*, carminum eroticorum causam diserte agit, & exemplis veterum æque ac recentiorum sanctissimorum Virorum ostendit, religioni sacræ haud adversari studium hujus poeseos, quæ in castis amoribus describendis excitandisque exercetur.

Hæc mota sibi crimina dum repellit Menagius, aliorum simul, quibus iniquiorem se Bailletus præbuerit, famam & existimationem vindicat: ut Balzaci *cap. 1.* Salmasii *cap. 2 & 3.* Bodini *cap. 19.* Lipsii *cap. 11 & 28.* Malherbei *cap. 102.* Henr. Valesii junioris *cap. 105* & quorundam aliorum. Prioris autem tomi capita ferme omnia (quæ enumerare longum foret) in erroribus Bailleti notandis versantur, quos inde ortos existimat Auctor, quod non ipsos auctores, sed eos qui istorum excerpta collegerunt, consuluerit Bibliothecæ Lamonianæ præfectus. Vide *Tom. I. p. 37. 66. 149. 173. 174. 246. 284. Tom. II p. 151. 266.* Nec tamen ubique Menagius Bailleto se præbet adversum, sed sæpius dicta ab eo confirmat & illustrat, ac memorabilia quæ alibi non reperiuntur profert. Prolixa & lectu digna est quæ de Marco Antonio Mureto ejusque vita & moribus *cap. 83* legitur dissertatio; nec minus memoratu digna de Johanne Casa Archiepiscopo Beneventano *cap. 119* digressio, ubi potissimum disquiritur, an is auctor sit carminis *de Sodomiæ laudibus*, quod ipsi tribuitur, scriptorumque id affirmantium testimonia *cap. 120* excutiuntur: ejus quoque in Petrum Paulum Vergerium invectiva oratio ab Illustri viro Antonio Magliabechio suppeditata sub calcem operis *p. 355* exhibetur. Continet ea vehementem objurgationem ob mendacia de Paulo III Pontifice a Vergerio disseminata *p. 385*; ob veneficium & homicidium in uxorem commissum *p. 357 369*; ob levitatem in religionis mutatione, cujus ipsum paulo post pœnituerit *p. 370*; ob maledicentiam in Cardinalem Polum *p. 372*; ob paupertatem *p. 370 & passim*; ob crimina Petro Aloisio Farnesio falso objecta *p. 379*; ob lauream poeticam inepte affectatam *p. 381.* Mutii laudes Vergerio tributas *p. 377* evertit Casa, suum autem *de Furni laudibus* carmen (quod plerique Sodomiæ encomium continere persuasi sunt) cum juvenis esset, conscriptum ait, ejusque lasciviam excusat *p. 376*, & qua occa-

ſione Vergerius Pontificius Nuncius factus ſit *p. 384* exponit, ac Germanorum laudes ſub finem attexit *p. 390*. Cæterum in ipſo Menagii libro multa præterea occurrunt, quæ Bailleti de auctorum ſcriptis judicia illuſtrant: & præ cæteris obſervari merentur, quæ de Ariſtophanis editionibus *cap. 113*, ut & de ſexaginta Βασιλικῶν libris *cap. 40* annotavit, quæ de eclogis & paſtoralibus carminibus item obſervavit *cap. 54*, & an ſublimiori in iſtis ſtylo liceat uti, *cap. 127* docuit. Nec vulgaria ſunt quæ de doctis viris copioſius expoſuit: de Demoſthene quodam Maſſilienſi medico *cap. 20*, de patria Æmari Ranconeti *cap. 36*, Berniæ *cap. 37*, Torquati Taſſi *cap. 38*, de Berengario *cap. 39*, de Zenonibus quatuor *cap. 41*, de Carolo Stephano typographo Pariſienſi ejusque eruditione & libris ab eo conſcriptis *cap. 59* de Roberto Stephano & Johanne Thierrio *cap. 69*, de Gulielmo Morello *cap. 68*, de Scaligeris *cap. 79*, de auctore Etymologici magni *cap. 76*, de Jacobo Bonfadio *cap. 89*, de Carolo Labbæo *cap. 106*, de Theophilo Viaudio, qui *Parnaſſi Satyrici* habetur auctor, *cap. 90* de Antonio Bayfio, qui verſus Gallicos ita conformari voluit, ut certo ſaltem pedum numero gaudeant, inſtar Latinorũ Græcorumq;, rhythmi autem nulla ratio habeatur, *cap. 111*, deque aliis qui clari literis extiterunt. Nomina etiam doctorum virorum inveſtigandi ſtudioſum ipſum fuiſſe e *cap. 14*, ubi de Angeli Politiani nomine, & *cap. 77*, ubi de Suidæ nomine agit, apparet: nam quæ de Bailleti nomine *cap. 42* diſſerit, & an *Bajuletus* Latine appellandus ſit disquirit, animi potius cauſa, quam ut veram ejus rationem exponeret, ab eo dicta putamus.

HISTOIRE DE LA GUERRE DE HOLLANDE.

id eſt,

Hiſtoria belli Belgici ab A. 1672 usque ad A. 1677.

Juxta exemplar Pariſienſe. Hagæ Com. apud Henricum van Buldern, 1689, in 12.

Conſtat plagulis 25.

Liber hic non magnæ molis eſt, & cui typis exſcribendo modici ſumptus impendendi fuere. Nihilominus ut indemnitati ſuæ rectius caveret bibliopola, Ordinum Hollandiæ privilegio muniendum illum cenſuit, quod amplum ſatis operi ipſi præfixum legitur. Mireris tamen, in eodem privilegio, quo bibliopolæ quicunque alii, præter editorem, intra annos quindecim recudere librum, aut recu-

ſum

ſum alibi venum exponere prohibentur, proteſtari Illuſtriſſimi Ordines, minime ſe hoc facto fidem ac auctoritatem conciliatam cupere iis, quæ in libro enarrantur, ſed editorem ad reſpondendum de illis omnibus obſtrictum velle. Ita vero ſuſpecta quodammodo reddita per proteſtationem hanc Hiſtoria videri poterit, cujus autor præterea Gallus eſt,& Regi in hoc ipſo bello, quod deſcribendum ſuſcepit, militarem præſtitit operam, ut adeo in Gallos non potuerit non eſſe propenſior. Profitetur tamen ſancte in Præfatione, ſe omni partium ſtudio ſepoſito candide ſingula, ut geſta fuere, recenſuiſſe, ac lectores optat obtingere libro ſuo, qui æque ſint a partium ſtudio alieni. Quicquid ejus ſit, de quo judicare noſtrum non eſt,nulli tamen dubitamus, quin lectu jucundiſſimus liber futurus ſit quamplurimis, tum ob caſuum, quibus illuſtratum illud bellum fuit, miram varietatem, tum eo etiam nomine, quod expeditionibus bellicis pleriſque Autor ipſe interfuerit, longeque adeo accuratius eas enarraſſe præſumendus ſit, quam qui non niſi ab aliis audita tradidere. Quemadmodum nec id diſſimulandum, Autori quoq; noſtro, ubi aliena tantum fide & rumoribus vulgi nititur, excidiſſe quædam aperte falſa. Ita enim e. g. cum de fœdere inter Galliæ & Angliæ Reges *Tomo I.* adverſus Fœderatos Belgii Ordines inito ſub initium Hiſtoriæ ſuæ di- *p. 9.* xiſſet, ſubjicit, bellum ipſum tamen non erupiſſe, niſi poſtquam Rex Angliæ Parlamentum, quod vocant, convocaſſet, illiusque conſenſum de bello Batavis inferendo impetraſſet. Tametſi vero nemo ignorat, eundem Regem Angliæ Carolum II, cum A. 1664 bellum adverſus Fœderati Belgii Ordines moliretur, Parlamenti ſuffragio niti voluiſſe, ut eo facilius nervum rerum agendarum adipiſceretur: palam tamen eſt, A. 1672 ſua unius auctoritate, Parlamento inconſulto,Regem bellum illud ſuſcepiſſe, ſumptus eam in rem neceſſarios Gallo abunde ſubminiſtrante. Sic anno 1675, cum Sueci Gallorum partes amplexati palam eſſent, ac Marchiam Brandenburgicam invadere conſtituiſſent, exercitum Suecicum in Pomerania *a Rege ipſo* *Tom. I.* luſtratum fuiſſe memorat: cum conſtet tamen, Sueciæ Regem, qui *pag. 326.* jam tum regnare propriis auſpiciis cœperat, regnatque hodienum, hactenus quidem Germaniæ pedem nunquam intuliſſe. Ita anno 1677 Regem Daniæ Malmogiam, munitiſſimam Scaniæ urbem, quam prima aggreſſione fruſtra, nec ſine accepta clade oppugnaverat,

Tom. II. pag. 174. rat, cum alterum assultum pararet, in deditionem, a præfecto urbis honestis conditionibus factam accepisse, solennemque in eam ingressum cum ducum bellicorum præcipuis celebrasse: quod quam sit a vero alienum, cum potiri ea urbe Rex nulla ratione potuerit, norunt omnes. Præterimus consulto alia: neq; hæc in opprobrium Autoris notata volumus, sed ut lector de cautela adhibenda, iisque quibus Autor ipse interfuit, ab aliis quæ fama sola, sæpe fallaci, accipere potuit, probe discernendis admoneretur. Cæterum in duas partes divisum opus est, quarum prima quatuor libris recensentur, quæ annis 1672, 1673, 1674 & 1675 contigerunt; altera duobus libris, quæ annis 1676 & 1677 gesta fuere, donec pax Noviomagi coaluit, enarrantur. Promittit vero Autor, se, ubi cognoverit laborem hunc suum publico non displicuisse, peculiari opere descripturum, quæ a pace Noviomagensi ad hæc usq; tempora agitata fuere memoratu digna.

JOHANNIS LUTTS, PHILOSOPHIÆ PROFESSORIS, Astronomica Institutio; in qua Doctrina Spharica atque Theorica, intermixto usu Sphæræ Cœlestis, & variis Chronologicis, pertractantur.

Trajecti ad Rhenum, ex officina Francisci Halma, 1689 in 4.

Constat plagulis 40.

PAucis indicandum censemus præsens scriptum, quod Astronomicæ Institutionis nomen gerit. Cum enim elementa solum sphærica pariter ac theorica doceat, supervacaneum foret ea, quæ alibi passim prostant, prolixius huc transscribere. Interim Auctor ejusdem clarissimus, qui Introductionem quoque ad veterem novamque Geographiam cum Sansonis chartis propediem edendam pollicetur, haud exiguam perspicuitatis meretur laudem, ad quam quoque pertinet, quod Schematismi ita concinnati sunt, ut non litteris, uti communiter fieri solet, sed in gratiam tyronum integris vocibus, quid per schema intelligatur, in ipso schemate sit annotatum. Cum autem hæc Institutio prolixior sit, quam ut intra spatium semestre privatis prælectionibus explicari possit, summa rerum in Synopsin contracta est, quæ Institutioni subjicitur.

* * *

Non ignorare Lectorem Benevolum volumus, intra octiduum prodituram quoque tertiam Supplementorum sectionem.

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Octobris Anno M DC LXXXIX.

CHRISTOPHORI VVITTICHII THEOLOGIA Pacifica Defensa.

Amstelod. apud Joh. Wolters, 1689, in 4. plag. 138.

CHristophorus Wittichius, cum inter eos esset Theologos in Belgio, qui Cartesianam philosophiam præferunt omni alii, atque per eam multa detegere conantur non bene dicta nec recte docta ab aliis, more Scholastico Theologiam tractantibus; auditoribus suis privatis Systema Samuelis Maresii explicans, defectus & errores in eo simul annotavit. Cujus Commentarii partim dictati, partim ex ore docentis a diligentioribus auditoribus excepti exemplar nactus Maresius, tractatum integrum edidit *de abusu Philosophiæ Cartesianæ* in rebus Theologicis & fidei. In quo novatores Cartesianos accusat agitare nocentissima Ecclesiæ Reformatæ consilia, de universa Theologia per novas suas hypotheses & cogitationes funditus enervanda, ut sic vel Papismo, vel Muhammetismo, vel etiam Indifferentismo & Gentilismo via complanetur: dicit eos oves lupis committere, qui Theologiæ studiosos ejusmodi doctorum Cartesianorum institutioni committant. Quæ crimina a se removere suscepit Wittichius *in Theologia Pacifica A. 1671. primum edita.* Non acquiescens autem Maresius, *Indiculum Controversiarum præcipuarum* emisit, in quo ostenderet controversias, quæ inter se atque Wittichium agitarentur. Wittichius igitur in Appendice ad Theologiam Pacificam facta, ad Indiculum illum respondit. Maresius indignatus adversarii pertinaciam, novam Systematis sui editionem paravit cum annotationibus, Groningæ A. 1673. in quibus Wittichii errores repetiit & exaggeravit. Biennio post, nimi-

rum A. 1675, *altera editio Theologiæ Pacificæ cum Appendice* prodiit; quam tertia insecuta dicitur, sed quã videre nobis non contigit. Interea Wittichius non territus argumentis aut auctoritate Maresii, quam inter Reformatos is habuit, *Defensionem Theologiæ Pacificæ* elaboravit, quam tamen post mortem suam demum in lucem proferri suis de caussis voluit. Ex quibus prolixis Vindiciis potissimum controversias seligemus, *de quibus Wittichius Cartesianus ac Coccejanus cum Maresio egit*, omissis fere iis, quæ jamdudum inter Theologos viguerunt, aut in quarum tractatione querela est, mentem disputantis non recte acceptam fuisse.

Cap. 1. Distribuitur Opus in duas partes. In priore quæstiones Philo-
sophicæ tractantur, quæ in Theologia usum habere possunt. De-
fendit itaque Wittichius, contra Maresium, personas divinas non
congrue dici τρόπους ὑπάρξεως; easdem inter se nec realiter, nec
modaliter distingui, sed personaliter; Philosophiam non esse ancil-
2. lam Theologiæ, sed liberam. Conclusiones mere philosophicas ex
Scriptura non esse probandas, atque hinc male ex eadem Physicas,
Mosaicas & Christianas, atque systema mundi concinnari; mundo
nullum centrum posse assignari, cum ejus ignoremus extremitates;
nec ex ratione, nec ex Scriptura constare Solis motum, aut terræ quie-
tem; non esse impium dicere, Scripturam loqui aliquando secun-
6. dum apparentiam sensuum, & non juxta rei veritatem. Affirmare
& negare esse diversos modos volendi; judicium pertinere ad volun-
tatem; voluntatem seipsam determinare; de voce *Irresistibilis* non
esse litigandum cum Remonstrantibus; pugnam inter rationem &
affectus oriri ab impulsione glandulæ pinealis per spiritus ani-
males, contraria impulsioni illi glandulæ, quæ ab anima profi-
ciscitur; male affectus in communi philosophia ad appetitum referri.
7. Non differre, nisi ratione, conservationem mundi a creatione; unius-
cujusque diei opera non momento, sed successive fuisse peracta.
8. Mundum non esse finitum extensione, neque infinitum, sed indefini-
tum; nullam tamen implicari contradictionem, si infinitus extensio-
9. ne diceretur. Omnia propter hominem facta esse, non legi in Scri-
10. ptura. Mentis naturam & essentiam consistere in cogitatione, non
in rationalitate. Voluntatem nobiliorem nostro intellectu esse, eam-
11. que se extendere ulterius quam intellectum; esse suo modo infinitam,

quod

quod quodammodo possimus voluntatem nostram offerre in infinitum, sive quod possit se extendere ad omnia objecta, ad quæ se extendit voluntas divina; animam humanam post solutam unionem, similiter & æque naturaliter existere sine corpore, ac Angelos, nec appetere ex sua natura conjunctionem cum corpore; voluntatem recte distingui in judicium & voluntatem stricte dictam; voluntatem non determinari ab intellectu, sed a se ipsa; subjectum fidei salvificæ esse solam voluntatem; intellectum rerum credendarum præsupponi, tanquam necessarium antecedens ad fidem; omnes facultates animæ posse reduci ad intellectum & voluntatem; axioma, nihil esse in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, esse falsum, & per explicationem vulgarem everti: falsum aut errorem subesse non posse iis, quæ luce rationis humanæ percipimus; æqualem esse certitudinem ex evidente demonstratione ortam illi, quæ clara verbi divini revelatione nititur; bestias carere sensu vel perceptione; distinctionem fidei in historicam, temporariam, miraculorum & salvificam, esse divisionem potius generis in species, quam vocis ambiguæ in sua significata; infantes non salvari citra ullum suum actum, quem Spiritus Sanctus regenerans animam infantis, in ea producit; fidei actus essentiales esse tres, primum quidem assensum, secundum amorem Christi sincerum, tertium fiduciam, qua nobis persuademus auxilium certum divinum a Christo &c. Actus autem accidentales, & qui solum fidei firmæ conveniunt, esse unum *fiduciam*, qua quis persuasus est sibi remissa esse sua peccata propter meritum Christi, alterum *gaudium* in fideli ex sensu & conscientia remissionis peccatorum sibi factæ, & tertium *pacem* & tranquillitatem conscientiæ; & pro diversitate illorum actuum, etiam varia fidei objecta esse assignanda; charitatem erga Christum pertinere ad formam fidei, si generaliter de forma loquamur; si formam stricte accipiamus, charitatem esse fidei salvificæ proprietatem. Animam immediate Cap. 12.
præsidere isti cerebri parti, ubi concursus est spirituum animalium, quæ a forma glandula pinealis dicitur; formam hominis non esse animam rationalem, sed humanitatem, i. e. conjunctioné animæ cum corpore; vitam corporis non dependere ab anima rationali; ubi definitivum non pertinere ad rerum spiritualium existentiam. Animas separatas tam perfectas esse, quam Angelos; easdem ibi tantum 13.

esse, ubi operantur; posse esse Angelum quodammodo in pluribus locis; non valere eundem producere novum motum, cum maneat eadem motus quantitas in tota rerum universitate, quamvis in singulis ejus partibus mutetur.
Cap. 14. Habere mentem hominis ideam Dei innatam, i. e. potentiam eliciendi actualem cogitationem Dei; non recte dici, Deum seipsum determinare; vitam Dei consistere in unico illo & simplicissimo illius actu, quo omnia intelligit & vult; a voluntate Dei omne verum & bonum pendere, omnemque realitatem, adeoque & possibilitatem; abstinendum esse a phrasi, Deum non
15. posse ea, quæ implicant contradictionem a parte rei. Non proprie dici Deum esse ubique, vel esse ubique repletive; rectius loqui nos, si res omnes dicamus esse in Deo. Accidentia esse tantũ modos substan-
16. tiarum, sine quibus non possunt concipi, neq; habere distinctã existentiam ab existentia substantiarum, sed essentiam accidentium, ut & eorum existentiam, esse ipsam essentiam & existentiam substantiarum; decreta Dei non debere appellari Dei actiones; immutabilitatem divinorum præceptorum duplex habere fundamentum, aliud pendens ex natura Dei immutabili, aliud ex natura rerum, quas Deus voluit esse immutabiles; distantiam inter ens creatum & nihil non debere cogitari infinitam; Angelos & creaturas non posse dici alio sensu operari, quam quod posita tali eorum voluntate, aliud quid sequatur in creaturis, quod tamen totum quoad omnem suam realitatem Deus efficiat; circumscriptionem non convenire corpori qua corpori, sed tantum competere corporibus particularibus, quatenus ab aliis sunt distincta; Christum adorandum esse qua mediatorem, si particula *qua* sumatur pro *qui*, non vero si designet rationem formalem adorationis, quæ sit sola divinitas; motus celeritatem in infinitum posse augeri; justificationem hominis peccatoris coram Deo non fieri formaliter per imputationem Christi justitiæ, sed variis aliis actibus; melius distingui justitiam in universalem & particularem, quam in justitiã causæ & personæ; ad omnes & singulas actiones a Diabolo non incitari homines, sicque eum posse injuste accusari, atque adeo justum esse particulariter; ex bonis operibus nos justificari, quatenus ea sunt signa, ex quibus colligamus, nos in gratia esse apud Deum, sicque postquam justificati sumus, justificemur adhuc; hinc Paulum cum Jacobo in dissensu de Justificatione non melius concilia-

conciliari, quam si dicamus, Paulum loqui de Justificatione prima, Jacobum de Justificatione secunda, quam distinctionem, alio tamen sensu, quam Pontificii intelligunt, tradiderint etiam alii Theologi; pudorem & pœnitentiam esse virtutes imperfectas; falso dici in axiomate, partes se mutuo perficere; Sacramentorum rationem recte posse institui, etsi ambiguis notionibus formæ & materiæ non utamur.

In altera parte hujus Theologiæ Pacificæ Defensæ tuetur Auctor quæstiones Theologicas problematicas & dissensiones, quæ particulares aliquot locorum expositiones spectant. Coloss. 2, 8. nomine Philosophiæ intelligi doctrinam Rabbinorum, inter quos Pharisæi prædominabantur; ex 1. Cor. X, 15. recte colligi, quod revelatio revelationem supponat; locum 1. Joh. V, 7. ex quibusdam exemplaribus fuisse deletum non ab Arianis, sed ab antiquioribus hæreticis, Artemone scilicet & ejus discipulis; Sublapsariorum sententiam non posse conciliari cum summa Dei & perfectissima independentia & sapientia; se inclinare in mediam sententiam, h. e. objectum prædestinationis esse hominem creandum; secretionem aquarum, quæ erant super terram, earumque in maria & flumina collectionem, factam esse non die creationis tertio, sed secundo. Triplicem observandam esse oeconomiam fœderis gratiæ, primam ab Adamo usque ad legem latam in monte Sinai sub promissione, secundam a Mose ad Christum sub lege, tertiam a Christo usque ad finem mundi sub Evangelio; sub Veteri Testamento non fuisse gratiam, neque ἄφεσιν, i. e. peccatorum remissionem plenam, sed solum πάρεσιν, dissimulationem & tolerantiam peccatorum, adeoque fideles Veteris Testamenti habuisse spiritum servitutis, fuisse perpetuo subjectos metui mortis ceu contrariæ promissioni, fuisse subjectos Angelis tanquam Legis vindicibus, fuisse subjectos Senioribus populi, Principibus, & Legislatoribus atque Sacerdotibus, a quibus servitutibus fideles Novi Testamenti a Christo sint liberati. Psalm. 81, v. 6. 7. Deorum nomine non intelligi quosvis Magistratus supremos, sed Magistratus Judaicos; nec Magistratus Christianos sub Novo Testamento unquam titulo Elohim vel Deorum designari a Deo in Scriptura; nec Angelis in Novo Testamento vocem Elohim tribui. Nomen *Rabbi* Matth. 23. denotare majestatem aliquam

Cap. 17.

18.

atque præeminentiam inter Judæos, iisque, quibus conferebatur hic titulus, simul collatam fuisse jurisdictionem; καθηγητὴν loco dicto non recte exponi *doctorem*, potius verti debere *ductorem*. Eph. I, 21. verba *sub hoc seculo*, pertinere ad statum Veteris Testamenti, mox penitus finiendum cum destructione Urbis; libertatem Novi Testamenti pedetentim & per gradus fuisse concessam fidelibus.
Cap. 19. Ecclesiæ Repræsentativæ appellationem relinquendam Pontificiis; regnum Dei in Veteri Testamento fuisse comparate loquendo clausum; traditionem Satanæ pertinuisse ad potestatem Apostolicam, quam habuerunt in corpora; titulum Legati κατ' ἔμφασιν & ex usu Scripturæ competere solis Apostolis; Adamum & Evam ex paradiso, & Cainum a facie DEI expulsos, male adduci tanquam exempla excommunicationis ecclesiasticæ; Joh. 20,23. sermonẽ esse de auctoritate Apostolis immediate concessa; potestatem cum jurisdictione conjunctam ex jure divino nullam competere ministris Ecclesiæ, sed qui eam habuerunt Episcopi, accepisse a summis Principibus delegatam & dependentem; neque in Veteri neque in Novo Testamento, jus prædicandi verbum divinum & administrandi Sacramenta ita alligatum fuisse Levitis, & ministris Ecclesiæ, ut non Magistratibus & aliis hoc licitum fuerit, & nunc etiam, si ita res ferant, & nihil incommodi metuendum, id licitum esse possit; falso doceri, per ordinationem jus conferri exercendi ministerii, & per electionem exercitium illius juris; vi ordinationis neminem ad ministerium obstringi, quoad vixerit; posse ordinationem fieri ab illis, qui non sunt ordinati; Ambrosium excessisse limites sui officii, quod Theodosium Imperatorem etiam pœnitentem nollet admittere.
20. Ἐπιλαμβάνεσθαι Hebr. 2,16. non debere exponi per *assumere*, sed cum Coccejo per *vindicare*; Gal. 3, 19. per mediatorem intelligi non Christum, sed Mosen; sub Veteri Testamento sacrificium propitiatorium typicum locum habuisse rei inanimatæ, quod in sola ejus destructione constiterit, adeoque sic fuerit incruentum; Coccejí interpretationem Hebr. 6, 4. 5. esse genuinam; pœnitentiam stricte acceptam designare tristitiam de malo commisso, late sumtam esse idem cum conversione, atque adeo tria sub se comprehendere, tristitiam de malo commisso, remedium contra istam tristitiam, atque studium emendationis & novæ vitæ; 1. Thess. V, 22. mali speciem sumi rectius ethice quam logice; so-

ce; solennem Judæorum & Turcarum conversionem, introitum plenitudinis gentium in Ecclesiam, & Antichristi eversionem, expectari oportere in Ecclesia Christi ante diem judicii; Hebr. 10, 25. ἐπισυναγωγὴν non coeundi actum, nec cœtum Judæorum infidelium notare, sed cœtum Judæorum fidelium; Actor. 15, 21. συναγωγὴν etiam significare cœtum Christianorum; vocem Ecclesiæ apud profanos auctores aliquando designare locum conventus; hinc nihil repugnare, quo minus & pro loco sumatur a Scriptoribus sacris, sicque sumi 1. Cor. 11, 18. 22; Barnabam & Paulum in locum Jacobi gladio percussi fuisse electos; Actor. 14, 23. χειροτονίαν designare constitutionem ministri simpliciter, non electionem per suffragia; per vocē Ecclesiæ Matth. 18, 71. non posse intelligi senatum ecclesiasticum constantem ex Pastoribus & Senioribus. Joh. 13, 4. & seqq. lotionem pedum designasse ablutionem peccatorum; conventum Hierosolymitanum non fuisse Concilium proprie dictum; in Papatu retineri suo modo fundamentalia dogmata, iis additos errores fundamentum quidem evertere per se, sed non in conscientia simpliciorum; Matth. 28, 20. per consummationem sæculi non indicari finem mundi, sed sæculum Veteris Testamenti, cujus finis concurrat cum eversione Reipublicæ Judaicæ & templi: Arborem scientiæ boni & mali non fuisse Sacramentalem; 1. Pet. 3, 21. aquas diluvii arcam sustinentes appellari baptismi ἀντίτυπον, ita ut baptismus & aquæ diluvii sint duo ἀντίτυπα seu signa & typi ejusdem rei significatæ, salutis æternæ; 1. Cor. 10, 2. per baptismum in mari intelligi purificationem illam, quæ injuncta fuit Israelitis Exod. 19, & per baptismum in nube, quod dum extra castra purgarentur leprosi & immundi, protegerentur a nube contra vim hostium. Cap. X.

Plura afferre supersedemus, cum ex adductis abunde constet, de quibus inter se disceptarint pertinaciter duo Theologi Reformatæ Ecclesiæ non incelebres.

L' HISTOIRE DE FILIPE EMANUEL DE Loraine, Duc de Mercœur, dediée à sa Majesté Apostolique.

id est:

Histo-

Historia Philippi Emanuelis Lotharingi, Ducis Mercuriani, dedicata Majestati Apostolicæ.

Coloniæ, 1689, in 12. plag. 16.

AUtoris nomen in Dedicatione ad JOSEPHUM, Serenissimum Hungariæ Regem (cui *Apostolici* nomen veteri more tribuitur) per literas G. G. D. M. significatur, addito *Protonotarii Apostolici* titulo, ut appareat, clericum esse. Idem in præfatione, quæ amici nomine præmissa est, indicatur, referendo, quod Autor sit Nobilis Ecclesiasticus (*Gentilhomme Ecclesiastique*) in confiniis Lotharingiæ vivens, & castrensi aliquo beneficio gaudens, quod non multam animorum curam, sed otium habeat ad studia literarum. Sed absque hoc indicio, ex ipsa indole scriptionis haud difficulter conspiciendum se dat character clericus aut monachalis, tum frequenti cultus erga sanctos contestatione, tum acribus contra Protestantium partes affectibus, quos compensari posse putat præfationis Autor, candida virtutum *Francisci de la Noue*, celebris olim inter Reformatos Gallos viri, commendatione. Si quis tamen hac excusatione non contentus, nihilominus monasticum improbet ingenium, ei *Theophili Raynaldi*, Jesuitæ satis noti, effatum veluti scutum Gorgoneum in eadem præfatione objicitur. Scripsisse enim is dicitur, *quod odium contra monachos sit signum reprobationis, & amor ac patrocinium eorum prædestinationis argumentum.* Notatur porro, Autorem diu in Gallia versatum esse, & quicquid boni in illa est, omissis malis, inde reportasse. De linguæ cultu & elegantia, & quæ in præloquio laudatur, orthographia recentiori, peritiores judicabunt. Rerum Gallicarum copiosam notitiam ostentat, non æque Germanicarum. Putat enim *Magisterium Ordinis Teutonici* cum Imperatoriis sive opibus sive axiomate, comparari posse (*n' est pas moins qu' un Empire*) & Norimbergenses pro Calvinianis habet. Sed mittimus ista & alia ejusmodi. Quod historiam ipsam attinet, non admodum fœcundam ejus materiam delegit. Licet enim Dux Mercurianus inter magni nominis Principes superioris seculi non immerito referatur, tum ob splendorem natalium, ex Serenissima stirpe Lotharingica, tum ob regiam affinitatem, cum soror ejus Henrico III. Galliæ Regi nupta esset: virtuti tamen suæ angustum & infelix stadium descriptum habuit,

Dedic. p. 7. pag. 257. Historiæ.

buit, in bellis civilibus Galliæ, triumphi gloria carentibus occupatus, tum & in angulo illo regni, Britannia Aremorica veluti constrictus. Cum vero laudabili ausu fortitudinem suam auspiciis Cæsareis contra Turcos exercendam destinasset, vix biennium supervixit, improvisa morte in vigore ætatis & fortunæ subtractus. Justa tamen præconia a gravibus illorum temporum scriptoribus denegata ei non sunt; inter quos principem locum haud immerito dari posse existimamus Illustri Thuano, qui præter res ab illo in Gallia gestas, (quas noster consulto præteriit) expeditiones ejus Hungaricas libris CXXIV & CXXVI diligenter enarravit; mortem vero Ducis libro CXXVII ita retulit, ut simul morum characterem & vitæ compendium egregie expresserit. Merentur verba magni Historici, cum pauca sint, hic inseri. Postquam enim memorasset, Mercurianum ex aula Cæsarea, ubi ob res ad *Albam Regalem* bene gestas ingenti cum gratulatione exceptus fuerat, in Galliam iter suscepisse, ut inde impetrata a Rege venia denuo ad bellum Hungaricum rediret, sed inopinata morte Norimbergæ oppressum esse; hæc subjungit: *Fuit elato ingenio & ad magna nato, profunda prudentia, cunctantior natura; ubi periculum instaret, in eo discutiendo solers & præsenti animo. Cum vero primarium armorum robur in Gallia ultimis bellis secundum Meduanium penes illum fuisset, magnum etiam laudis decus Cratumensi prælio meruisset, pace facta in ordinem cogi ægre ferens, ultro præclaræ huic militiæ nomen dederat, in ea potius procul a patria, dilectissima conjuge, & unica filia, opulentissimorum bonorum herede, certus consenescere, quam ignavo otio domi marcescere, ut gloriam jam partam, & porro majorem his initiis secuturam, inertis aulæ nostræ fumis postbabuisse videretur. Obiit XI Kal. Martias cum ætatis XLIII annum attigisset.*

Autor noster, ut librum alicujus magnitudinis efformaret, maximam operis partem Gallicarum rerum narratione replevit. Prolixus est in *Liga*, quam vocant, Catholicæ descriptione, cui Henrici IV transitum ad religionem Romanam acceptam refert. Producit primum fœderis illius instrumentum, ab Equestri Picardiæ Ordine compositum, culpato *Maimburgio*, qui rationes habuit ut omitteret. pag. 31.
Eundem taxat, quod gente Lotharingus, in oppidulo *S. Nicolai* prope Nancejum, ut refert, natus, rationem tamen *Henrici Guisii*, Lotha-

pag. 60. ringici sanguinis Principis ab Henrico III necati, non habuerit. In hujus igitur laudes diffunditur, sed nec vitia tacet, quæ ita describit,
140. 148. ut Maimburgii silentium fortassis huic elogio præferendum sit. Hen-
152. 157. rici IV amores & liberos, tum mortem intra paucas pagellas bis narrat, ut appareat a relectione scripti exclusum fuisse autorem. Di-
7. 44. 179. gressionibus etiam aliis indulsit. Inseruit catalogos Ducum Lotharingiæ, & Aremoricæ, tum Regum Hungariæ; literas etiam Cæsa-
351. reas ad Jacobum Angliæ Regem, nuper expulsum, produxit. Jesuitarum, qui Regibus Gallicis a confessionibus fuerunt, insigne elo-
89. gium composuit ad *Franciscum* usque *de la Chaise*, quem nobilem Lugdunensem vocat, omnibusque instructum dotibus ad tantum munus requisitis prædicat. Multus quavis occasione est, in extollendo & venerando *Francisco Salesio*, cui Sancti nomen Roma dedit. Integram ejus Lib. IV exhibet orationem, in exequiis Ducis Mercu-
275. riani die 27. Aprilis A. 1602 habitam. Erat tunc Franciscus Episcopi Genevensis Suffraganeus, eique postea successit. Huic orationi pleraque debet Autor, quæ de vita Mercuriani paulo rariora commentatur: sed majorem forte gratiam apud cordatos lectores iniisset, si illam orationem non interpolatam retulisset. Excusat id quidem styli recentioris nitore, quo vetustior illa Salesii dictio caruerit; sed habet quæque ætas suum decus, & si quod est archaismi fastidium, aliis virtutibus compensatur. Qui igitur flumen novæ orationis veterum scriptis importune affundunt, flammam sensus plerumque extinguunt. Cæterum ut ad Mercuriani historiam redeamus, cum duo potissimum, quæ ab illo in Hungaria gesta sunt, fama celebrentur, tentata *Canisiæ* liberatio, frustra quidem, sed cum magna reducti sine damno exercitus Cæsarei, ab hostium longe majoribus copiis, gloria; dein capta *Alba Regalis*: in utriusque expeditionis relatione omisit Autor, quæ Thuanus non tacuit, & memoratu non sunt indigna. Ad incolumitatem Cæsarei exercitus a Canisia reducti, industriam Ducis non parum contulisse non dubitatur, sed manifestum etiam auxilium a cœlo adfuit. Tempestas enim horribilis Christiana castra prætervecta, Turcica disjecit, & terrore perculit, ut nostri noctu per tenebras evadere potuerint. *Albæ* vero *Regalis* expugnatæ felicitatem corrupit miles Belgicus, magnopere licet ab Autore laudatus. Non enim tantum urbem crudeliter diripuit, & Germa-

nos

nos simul socios spoliavit, sed & sepulchra Regum Pannoniæ effregit, & ossa eorum disjecit. Sed his atque aliis omissis institutum suum tenuit Autor, qui panegyricum potius quam historiam moliri se ostendit. Occasionem sumsit ex dicto quodam, quod morienti Mercuriano excidisse asseverat, (Salesio quidem non memoratum,) fore, ut olim aliquis Lotharingicæ stirpis Princeps, sibi nomine tantum dissimilis, Turcorum vires frangeret. Id pro vaticinio habet noster, & in Serenissimo *Carolo Lotharingiæ Duce*, qui Cæsareis copiis cum summo imperio præest, impletum esse asserit, ejusque historiam libro V subnectit. Nos omen merito accipimus, & tanto Heroi, post profligatum bellum, Germaniæ a Gallis injustissime & sævissime illatum, ad subjugandos penitus Turcos, liberandumque eorum tyrannide Hungariæ regnum, divinum apprecamur auxilium.

HISTOIRE DE LOUIS XI, PAR Mr. VArillas. i. e.

Antonii Varillasii Historia de Ludovico XI. Galliæ Rege. Volumina duo.

Hagæ Comitum apud Abrah. de Hont, 1689, in 12. maj.

Constat plagulis 38.

DE Autore toties nobis sermo fuit, ut nihil supersit, quod præfaminis locum suppeditet; Historiam vero, quam post tot alios, maxime post *Cominæum* operose tractat, in compendium redigere, longe minus convenire nobis existimamus. Procedemus itaque, ut in aliis hujusmodi scriptis, & annotabimus, quæ singularem quandam observationem mereri nobis visa sunt. Offert Autor Regi suo in dedicatione quartum & quintum decimum, ut computat, historiarum suarum hæc volumina, & tres parallelismos proponit, ex quibus ostendat, quanto majori prudentia & virtute Ludovicus XIV præditus sit, quam fuerit Ludovicus XI. Hic, ut ait, Franciscum Britonum Ducem, vasallum obsequentem & quietum, persequi non destitit, eaque iniquitate magna sibi mala conciliavit; at Ludovicus XIV (*si Autori credas*) Carolum IV Lotharingiæ Ducem mitissime tractavit, restituto ei per tractatum Vincenis initum Ducatu suo, conditio-

conditionibus tam æquis, ut felicissimus inter Europæ Principes esse potuisset, si generositate illa regia uti scivisset. (2) Ludovicus XI occasionem neglexit, Belgicas provincias a Maria Burgunda, nuptias Delphini ultro ambiente, oblatas acquirendi; Ludovicus XIV ab usurpatione vicinarum ditionum (*sic scribit*) alienissimus, Mamertinos sive Messinenses Siculos, veteres Galliæ subditos, deditionem offerentes accipere noluit, sed liberæ Reipublicæ formam assumendi media illis dedit, nulla alia conditione, quam ut pro subditis amicos haberet. (3) Ludovicus XI educationem filii sui prorsus neglexit, ita ut omnium bonarum artium pacis & belli rudis, veluti in carcere, inter fœminas & homines viles pueritiam consumeret; sed Ludovicus XIV Delphinum suum ita educavit, ut diligentia, quam adhibuit, exemplum omnibus Regum & Principum filiis instruendis posthac præbere possit; tandem vero ejus ductu, capto *castro Philippino*, Rheni claustra obstruxit, & Germanorum formidandis copiis aditum in Galliam præclusit. Hæc legentes si sciant & considerent, quid cum Carolo Lotharingo actum sit, quid cum Messinensibus & quo cum eventu, & qualis Delphini A. 1688 irruptio in Germaniam fuerit, judicabunt de ingenio Autoris, singularem blandæ laudationis speciem invenientis. Nobis etsi succurrerent quæ moneremus, & patriæ clades querelas haud paucas provocet, judicium tamen multis ex causis suspendendum nobis esse agnoscimus.

In præloquio, paragrapho I, apologiam quandam præmittit acerrimæ, quam in tota historia proposuit, Ludovici XI censuræ. Annotat II, quod nothi sive *bastardi* appellationem illo seculo non refugerint, sed ultro ipsi assumserint illustrium parentum filii ex concubinis suscepti. Probat id exemplo Johannis Comitis Dunensis, ex quo Longavillani Principes propagati sunt. III. Ex scriptore historiæ de familia Lucemburgica, quem *Pavillonium* nominat, quædam de *Ludovico Comite S. Pauli*, & de *Johanne Croio* adducit, morem illius temporis observans, quo impuberes liberi ex parentum conventione matrimonio jungebantur, ducta etiam in sponsi aut parentum ejus domum puella. IV. Philippum Cominæum, cui maxima pars historiæ Ludovici XI debetur, adversus objectiones quasdam Meyeri, Belgicæ historiæ scriptoris haud incelebris, defendit; fatetur tamen, se in quibusdam a Cominæo discessisse, ea potissimum ratione, quod libri

libri ejus perfecte nunquam editi fuerint, truncati nempe a *Johanne Selvua* Præside Senatus Parisiensis; id quod testimonio *Francisci Belcarii*, illustris Gallorum historici, confirmat. V. Ampliorem quandam relationem de supradicto *Ludovico Comite S. Pauli* ejusque opibus & gestis quibusdam subjungit. VI. Multa de Ducibus Lotharingiæ tradit, in quibus sunt, quæ examen mereri videntur, ea maxime, quæ de mota Antonio (ex quo Duces descendunt,) a Claudio fratre secundogenito, (Guisianæ familiæ propagatore) natalium controversia afferuntur. VII. Considerat conjugium Caroli Burgundi, Lancastrensi licet in Anglia familiæ addictissimi, cum Margaretha ex opposita gente & factione Eboracensi, & observat, quam raro felicia sint matrimonia, ex sola ratione status contracta. Cum vero plurima in hoc opere commentetur Autor, de quibus easdem, quas expertus est circa alias historias suas, dubitationes & rixas orituras esse conjicit, fontes unde tradita sua hauserit, indicat. Laudat inprimis *Collectanea MSS. Marchionis Bethunii*, bibliothecæ regiæ postmodum illata, eaque secum ab A. 1648 ad 1652, cum Historiographus *Gastonis* Aurelianensis Ducis esset, communicata esse refert, sed eo tempore nondum compacta fuisse volumina, itaque allegari ea non potuisse; dubitat etiam, an omnia in bibliothecam Regis pervenerint. Secundo loco allegat *Lomenii*, senioris ex tribus hujus familiæ Secretariis regiis, Compilationes MSS. Tertio manuscripta regia in *thesauro* quem vocant *chartarum*, Colberti benignitate sibi ab A. 1661 ad 1671 domum missa; sed & inter hæc pauca memorat conglutinata fuisse, ita ut nec volumen, nec loculorum numerum indicare potuerit: remittit ergo curiosos ad octo indicum volumina, quæ in chartas illas a *Puteanu* & *Gothofredo* composita esse dicit. His adversus æmulos, qui de fide allegatorum litigare solent, Autor præmunire se voluit. Jam ex historia ipsa pauca seligemus.

Primum locum mereri nobis videtur descriptio, sive ut hodie Galli loquuntur, magnamque industriæ laudem in scribendi hoc genere affectant, effigies (*pourtrait*) Ludovici XI. Proponitur illa Lib. pag. 3.
I hoc sensu: Ludovicus XI habebat omnes bonas malasque qualitates, quæ ad magnas acquisitiones quovis modo faciendas & conservandas aptæ sint; sed metus, ne vel uno prælio infeliciter commisso regnum in discrimen mitteret, omnes illas dotes prorsus fere inutiles

reddidit. Specie erat Rege digna: corpus habuit grande, congruentibus membris, robuſtum, omniumque militarium functionum capax; ingenium penetrans, callidum, negotioſum, & non minus in nugis quam rebus arduis occupatum. Religionem plerumque ad ſtatum ſuum accommodabat, & exiguum quod ex ea habebat, ad ſuperſtitionem flectebat, qua populus capi ſolet. Ab omni prope affectu & naturalibus etiam inclinationibus intactus pene erat, itaque nec bonus erat filius, nec bonus pater, nec maritus, nec frater, nec amicus, nec herus aut princeps bonus. Omnes moralis diſciplinæ regulas ſpernebat, quæ cum axiomatibus politicæ ſuæ non conveniebant. Etſi vero virtuti & meritis per ſe nihil daret, nemo tamen Principum majori pretio dotes illas proſecutus eſt in miniſtris aliisque, dummodo ſibi utilitatem aut inimicis incommoda parerent. Ad ſcopum ſuum nunquam recta via pergebat, ſemper anfractus quærens & veſtigia ſua occultans. Amabat bella, ſed vix cœpta infelicis eventus metu ſopire nitebatur; pacem vero aut inducias tam anxie ſectabatur, ut ab hoſtibus eo nomine deſpiceretur. In rebus proſperis multorum Principum more animum relaxabat, ſed errores ea occaſione commiſſos diligentiſſime corrigebat, nullis ſumtibus parcens, dignitatis etiam ſuæ oblitus, cum ſe vilioribus quoque, quos offenderat, ſubmitteret. Conciliationes abſque aliorum miniſterio ipſe procurabat, ſucceſſu, quem frequenter expertus erat, animatus. Si miniſtris opus eſſet, ob locorum diſtantiam aut alias cauſas, nihil niſi induſtriam & verſutiam in iis quærebat, de experientia aut probitate parum ſolicitus. Miniſtris infimæ conditionis impenſe lætabatur, ſecretiora ratus negotia fore, aut facilius acta illorum reſcindi poſſe. Mandata in ſcriptis dabat, ſed tam obſcura, ut nunquam prætextus deeſſet, alia mittendi. Exempla mandatorum non retinebat, memoriæ ſuæ fidens, a qua etiam nunquam deſtitutus fuit. Tota vita cum hoſtibus tractatus habuit, nec facile iniis erravit. Maximum ejus vitium erat, quo ſuam & regni tranquillitatem miſere turbavit, *vehementia odii*, quod vincere aut moderari nunquam potuit; irreconciliabilis ſtatim fiebat, & exceſſus ille cum ætate ſemper ingraveſcens, luculentius percipi non poteſt, quam ex mira illa averſione a Maria Burgunda, Belgii herede. Ita factum eſt, ut maluerit ampliſſimarum illarum provinciarum, quas in dotem afferebat, poſſeſſi-

possessione Galliam privare, quam Mariam nurum, aut agnati, qui Francisci I Regis parens fuit, uxorem habere.

Hanc ejus obstinationem acriter & sæpe taxat Autor, illique tribuit quicquid mali ex bellis, inter Austriacos Principes, ad quos Mariæ opes dotali jure transierunt, & Galliæ Reges per duo secula gestis, secutum est. Eodem hoc libro I memorabilis est relatio de abolita anno 1461 a Ludovico in Pontificis Pii II (ingratissimi licet) pag. 57.
gratiam, *sanctione*, quæ dicitur *pragmatica*, quæ libertates Ecclesiæ Gallicanæ continebat. Nec tacet Autor, quæ Parlamentum & Clerus Galliæ adversus Regis impetum, frustra quidem, opposuerunt, gravissimas nempe de abusibus curiæ Romanæ querelas, quæ acrius vix ab ullo ex Protestantibus proponi possent. Urgebant maxime ingentem pecuniæ vim, quæ variis titulis, injustis plerisque, ex Gallia Romam deferebatur. Computabant ex viginti tribus Episcopatibus nuperrime collatos 520000 aureos, totidem ex sexaginta Abbatiis; 100000 intra triennium ex Prioratibus, tantundem ex *Gratiis*, quas vocant *expectativis* corrasa. Majorem summam Libro XI (Tom. II p. 399) ex Procuratoris Regii actione indicat Autor, intra triennium, ab anno 1461 ad 1464, Romam delatam, duorum nempe millionum auri; licet alterum tantum solvi debuerit, nisi variis modis fiscus Pontificis (*Datariam* vocant) defraudatus a Gallis fuisset. Libro II originem refert nexus feudalis & tribu- 85.
ti, quo regnum Neapolitanum Pontifici devinctum est, & ex *Leone Hostiensi* narrat, Henricum II Imperatorem ex Bambergensi territorio, quod sub titulo Ducatus Franconici possederit, tributum constituisse, equum nempe magnifice ornatum & centum marcas argenti a Principibus Bambergensibus Pontifici quotannis solvendas: mutatum autem hoc fuisse anno 1053 ab Henrico III, & Bambergæ substitutum Ducatum Beneventanum in regno illo Neapolitano, quod postea totum onus illud subiit. Non examinamus cætera; videtur tamen latuisse Varillasium, aut quem citat autorem, quod Henricus II Bambergam nunquam possederit titulo Ducatus Franconici, (illum enim Wurzburgensis Episcopatus sibi vindicat) sed quod jure belli aut fisci Comiti Bambergensi ditionem illam abstulerit, neque in Ducatum, sed in Episcopatum mutaverit. Libro 152.
IV notat, reditus regni annuos, qui sub Carolo VII patre Ludovici non

ci non nisi nongenta librarum millia conficiebant, sub Ludovico, tributa contra veterem morem & inconsultis Ordinibus imponente, ad quatuor milliones & septingenta librarum millia adauctos fuisse. Eodem libro octodecim exempla refert dissidiorum, astu Regis inter magnates regni seminatorum. Ingenue ut alia multa, ita & magnam Ludovici imprudentiam taxat, quod in potestatem Caroli Burgundi Peronæ concesserit, ad iniquissima pacta adigi se passus, & quod illa vili mente executus sit, cum quadringentis equitibus in castris Burgundi adversus Leodienses militans, quos turpiter destituerat & in summam adduxerat perniciem. Notat hic insigne erratum
pag. 308. Cominæi, qui licet negotiationi Peronensi adfuisset, omnium Regis consiliorum & actorum particeps, scripserit tamen, unum solum pactum inter Regem & Carolum initum tunc esse; cum tamen in chartario Regis & MSS. Lomenianis 22 variorum capitum formulæ extent, uno die 14 Septembris 1468 ab utroque Principe signatæ. Sed si vera sunt, quæ de ingenio utriusque refert, quod pleraque absque arbitris & ministris gesserint, & gloriari soliti sint, si equo insideant, totum senatum suum eodem vehi; facile fieri potuit, ut in illo conventu etiam intimæ admissionis ministros a conscientia actorum abstinerent.
378. Libro V memorabile subreptionis Pontifici Calixto III factæ exemplum affert, qui permoveri se passus est, ut matrimonium inter Comitem Armeniacensem ejusque sororem, (vitiatam antea ab ipso fratre) concederet: sed eam indulgentiam Pium II rescidisse, severamque pœnitentiam delinquentibus injunxisse; dato tamen insigni documento, non infallibiles esse Pontifices. Disputat paulo post Autor de causis, ex quibus Cominæus relicto Carolo Burgundo,
389. Ludovico Regi operam suam addixerit, & refutat scriptores Belgas, qui contumeliam quandam Cominæo a Carolo illatam fuisse scribunt.

Subjungimus quædam ex Tomo II. Notabilis est compara-
90. tio Libro VII inter priores Burgundiæ Duces, & Carolum ultimum. Illi ita regimen suum instituisse dicuntur, ut patres potius quam domini subditorum esse viderentur. Nihil, ait, magni neque pace, neque bello agebant, absque consultatione cum proceribus ex Nobilitate. Quod si non semper horum placita sequerentur, nihil tamen invitis illis moliebantur. Sed Carolus maluit Ludovicum XI, hostem licet

licet suum, imitari, qui rigore dominationis libertatem Ordinum pessumdedit, & illos quidem multis modis infelices reddidit, regni tamen opes consumsit, & infinitis malis sese cerebrosa illa imperandi intemperie implicuit; idemque Carolus magno suo malo expertus est. Eodem libro insigne astrologiæ judiciariæ experimentum exhi- pag. 150.
bet, dum refert, *Angelum Cattum* Neapolitanum, ob illam scientiam Burgundo charum, cum ex hujus horoscopo deprehendisset, illum propediem in acie periturum esse, deserto illo in aulam Ludovici Regis concessisse, benigne exceptum, & Archiepiscopatus Viennensis dignitate donatum. Hunc vero Cattum, cum sacra faceret, accedenti ad altare Regi insusurrasse, hoc die Carolum in acie cæsum esse; fuisse autem eundem diem, quo ad Nancejum pugnatum est.
Alia ejus prædictio Adolfo Geldriæ Duci, celebri ob malitiam ho- 274.
mini, a Catto hoc facta traditur. Libro IX artes & sumtus Ludo- 232.
vici memorantur, in corrumpendis omnium pene Regum & Principum ministris, Anglis maxime, multaque exempla afferuntur, quantum ista calliditate & prodigentia commodi sibi, vicinis vero damni Rex conciliaverit. Tam aperte tamen & confidenter inter Ludovicum & pensionarios illos Anglos actum est, ut hi non vererentur datis apochis acceptos nummos confiteri, quas adhuc in scriniis regiis extare asseverat Autor. Cæterum tanta cum libertate de Rege hoc commentatus est Varillasius, ut non solum in ipsa historiæ serie, quicquid in regia gubernatione peccaverit, palam reprehendat, sed & integrum librum X destinaverit, in quo interioris vitæ labem detegeret. Nec mitior est Libro XI, in quo comparationem inter Ludovicum hunc, & Ferdinandum Arragonium cognomento Catholicum instituit, eum quidem in modum, ut incertum relinquat, utrum altero gravius vituperet. Vix certe quidquam ex veterum tyrannorum Græcorum aut Barbarorum historia concinnari poterit, in quo tot perfidiæ, sævitiæ, avaritiæ, injustitiæ, impudicitiæ, aliorumque criminũ, multarum etiam ineptiarum exempla concervata legantur, tanto quidem magis detestanda, quanto plus lucis ex Christiana religione Reges hi habuerunt, majoremq; devotionis & sanctimoniæ speciem induerunt. Num vero omnia indubitatæ sint veritatis, & an non consultius fuerit, post duo secula non omnia tantorum Principum crimina, malignitate forte famæ in majus aucta, aut partim plane

confficta refodere, alii judicabunt. Non pepercit quidem Autor *Carolo Burgundo*, nec Imperatoribus *Friderico III* & *Maximiliano I*; sed quæ duobus hisce imputat, levia sunt præ illis, quæ in Ludovico & Ferdinando insectatur. Neque tamen deessent, quæ ex bonis autoribus & documentis, pro duobus illis Imperatoribus adversus aculeos Varillasianos opponere possemus; sed alterius hoc est laboris

pag. 209. & temporis. Unum modo speciminis loco exhibemus. Scribit noster, Maximilianum Mariæ Burgundæ nuptias *more Germanico*, i. e. *plane incivili* (*à la mode de son pays, c'est à dire dans les formes les plus grossieres*) ambiisse. Extat Maximiliani oratio coram Ordinibus Imperii anno 1507 Constantiæ recitata, & tunc quidem typis excusa, sed quæ hodie raro invenitur. In hac historiam conjugii sui hoc modo proponit Cæsar: *Cum post cladem Muratensem Carolus Burgundiæ Dux Friderico Imperatori conjugium inter filium ejus Maximilianum suamque filiam Mariam denuo offerret, nullam aliam conditionem stipulatus est, quam ut Fridericus Lotharingiæ Ducem revocatis Germanorum Alsatico fædere* (Elsaßische Vereinigung) *junctorum auxiliis desereret, cum antea easdem nuptias proponens, dignitatem Vicarii Imperialis conferri sibi postulasset. Sed nec illam deserendi Lotharingi conditionem Fridericus admisit, operam tamen suam & arbitrium obtulit, ut Carolo satisfieret, si quid adversus illum Gallorum instigatione Lotharingus injuste egisset. Acceptavit hoc Carolus, & de matrimonio filiæ fidem scripto dedit; destinavit etiam Legatum* (Haslerum Protonotarium vocat) *ad Cæsarem, qui pacta nuptialia perficeret. Verum hic dilato negotio Romam properavit, Cardinalitiam purpuram ambiens; inde* (spe sua quidem delusus) *serius ad Imperatorem accessit. Cum igitur mandata sua exposuisset, & Fridericus de iis deliberaret, quarto post die nunciatum est, occubuisse ad Nancejum Carolum. Hoc intellecto Fridericus splendidissimos Legatos misit*, Ludovicum *Palatinum Veldentianum, &* Georgium *Badensem Episcopum Metensem, adjuncto ipsis Haslero. His literæ Caroli, quibus filiæ conjugium promiserat, traditæ, & Ordinibus provinciarum Belgicarum propositæ fuerunt, petitumque, ut conjugii illius effectum procurarent; quod etiam facile impetratum est, Gallis mala fama apud Belgas laborantibus, quod suis artibus Carolo perniciem accelerassent.* Hæc a tanto Principe in augusto Ordinum consessu publice dicta fidem utique plenissimam mererentur,

rentur, neque quisquam facile ex narratione hac exsculpet, quod ut indecens & barbarum cum contumelia nationis Germanicæ sugillari debeat. Actum est, ut inter magnos Principes fieri solet, per Legatos & scripta. Procandi enim elegantiæ privatarum familiarum fere sunt, earumque exempla plura in fabulis Gallorum heroicis (*Romans*) quam in historiis Regum inveniuntur.

LA JUSTE IDE'E DE LA GRACE IMMEdiate, ou Réponse à la Critique de la doctrine de Mr. Jurieu &c. i. e.

Vera Idea Gratiæ Immediatæ, sive Responsio ad Criticam doctrinæ D. Jurii, de habitibus infusis, & de gratia immediata.

Hagæ Comitum, apud Abrah. de Hont, 1689, in 12. Plag. 13.

Præmittitur brevis relatio de libro, cui hic oppositus est: *Essais de Theologie &c.* i. e. *Specimina Theologica de providentia & gratia.*

Francofurti, apud Fridericum Arnold. 1687, in 12. Plag. 24.

Repetendum est ad ea, quæ ex hoc libello enarrabimus, rectius intelligenda, quod in *Actis anni præteriti* 1688 p. 602 notavimus; prodiisse nempe adversus D. Jurii libros, *de methodo rigida & laxiori in articulis de providentia & gratia*, item *de natura & gratia*, scriptum anonymi, cui titulus est: *Specimina Theologica de providentia & gratia.* Ejus autorem Jurius Papinum Pajonii nepotem esse conjectavit, ut & alterius libelli, qui inscribitur: *Critica doctrinæ D. Jurii de gratia immediata*; & licet quædam adversus illum in iterata tractatus *de methodo rigida & laxiori* editione sparserit, tum dogmata, tum mores ejus in censuram vocans, refutatione tamen abstinere se professus est, quod cum tyrone congredi nollet. Id igitur certamen, quod Theologus veteranus detrectavit, in hoc libello suscipit alius, qui nomen in titulo omissum dedicationi subjecit, *Arbussi*, nobis quidem neque fama, neque ex aliis scriptis notus, sed ejus & eruditionis & eloquentiæ, ut quisquis Critices autor fuerit, de oblato sibi

 impari

impari adverſario queri fortasſis non poſſit. Dudum a nobis edi potuiſſe fatemur excerpta ex anonymi ſupra memorati libris, quibus hic opponitur, ſed varia nobis impedimenta, quo minus id huc usque præſtare potuerimus, oblata ſunt, & fortaſſis rectius fuerit, opiniones receptis ſententiis Theologicis nimium adverſantes, non facile in Actis noſtris produci, aut non prius, quam examina & refutationes earum extent, & ſimul recenſeri poſſint. Pauca igitur de libris, quos D. Jurius *Papino* tribuit, præmittemus. Prodierunt anno 1687, ſi titulo fides eſt, Francofurti ex officina *Friderici Arnoldi*, volumine ſat magno. Habet enim tres partes. *Prima* opponitur D. Jurii libro *de methodo rigida & laxa*, cujus compendium in Actis 1687, p. 148 exhibuimus. Altera tractatus *de natura & gratia* impugnatur, anno 1688 p. 566 & ſeqq. a nobis recenſitus. Acceſſit tertia, verſio nempe, ſed quam ipſe Autor liberam vocat, capitum II & XIV Methodi Theologicæ *Richardi Baxteri*, quæ Londini anno 1684 in fol. edita eſt. In duabus prioribus partibus ſive tomis operoſe defenditur Pajonii & ſequacium, qui magiſtrum ſuperaſſe opinandi novitate dicuntur, hypotheſis, qua negata immediata in animis hominum Spiritus Sancti operatione, fidei ſalvificæ productio ratiocinationi humanæ ex Scriptura informatæ aſſeritur, acri cum inſectatione D. Jurii, quæ in præfationibus potiſſimum elucet. In adjuncta verſione ex *Baxtero* id agitur, ut *Jurius* a Theologo illo inter Presbyterianos Anglos celeberrimo, refutatus eſſe demonſtretur, iisdem ſcilicet argumentis, quibus eos adortus eſt, *qui prædeterminationem phyſicam ad peccatum ſtatuunt*; hanc enim ſententiam a Jurio adoptatam eſſe, Criticus dicit. Parti iſti tertiæ prolixum præfigitur præloquium, in quo multa ex *Joh. Launoii* tractatu afferuntur, quem is anno 1636 pro *Durandi* opinione de concurſu Dei & creaturæ edidit, & quem raro inveniri notat Autor. Adſcribuntur itaque Launoii verba Gallice verſa, in quibus cum *Durando* conſenſiſſe contendit ex eadem ſchola Pariſienſi *Petrum Aureolum* vulgo *Capreolum*, *Nicolaum Bonnetum*, *Richardum Armachanum*, *Petrum de Aquila*, qui omnes ſeculo decimo quarto vixerunt. Subjungit teſtimonia *Johannis Gerſonii*, *Jacobi Merlini*, *Guilielmi Petiti* & *Nicolai de Martimbos*, itidem Pariſienſium Doctorum ſeculi XV & XVI, qui *Durandum* magnopere commendarunt,

runt. Licet vero Launoius non neget, disputatum esse adversus *Durandum*, & adhuc disputari, negat tamen sententiam illam condemnatam esse, eoque allegat *Hurtadum Mendozam*, Jesuitam, aliosque. Post hæc Anonymus adversus *D. Jurium* insurgit, & quam ille sententiæ Pajonianæ inurere voluit, notam Epicureismi & Paganismi in ipsum retorquet, Baxteri argumentis per compendium recensitis. Alia deinde ex se promit, quibus objectiones *Jurii* a *Baxtero* non prævisas refellit. Elevat denique autoritatem (cui multum innititur Jurius) Synodorum Gallicarum, in quibus anno 1677 opinio Pajonii damnata est, & septem Ministrorum artibus, adversus pacta inter Pajonium & Claudium inita, decreta ista malo more procurata esse dicit.

Hæc de tractatibus illis criticis retulisse sufficiat; nunc ad *Arbussii* libellum accedimus, ex cujus relatione primaria controversiæ capita (quorum aliqua ex libro D. Jurii *de natura & gratia* d. l. Act. 1688 recensuimus) denuo haud difficulter intelligentur. Præfatur etiam hic Autor, ad exemplum *D. Jurii*, aliqua de insigni eruditione & stylo *Pajonii*, sed non minus novitatis studium in eo reprehendit, magis vero impetum eorum, qui id secuti & supergressi sunt. Excusat inde moram refutationis, quam altero post publicatam Criticam mense conscriptam fuisse indicat, monetque lectores, ne actum a se agi putent, quod post Jurii tractatum *de Natura & Gratia*, in quo doctrina de gratia immediata eruditissime proposita sit, scripserit. Neq; enim ab illo responsum esse objectionibus Critici, & se, licet in quæstione ipsa prorsus cum Jurio consentiat, alia tamen in ejus explicatione via progressum esse. Fatetur dein, se quædam ex destinatis omisisse, cum sufficere crederet, quæ eduntur; quia præter Jurii tractatum *de natura & gratia*, extent libri, quibus eadem sententia fortissime defendatur, *Claudii* nempe, (quorum editio propediem speranda sit) & *Turretini*, qui parte II Theologiæ Elenchticæ materiam hanc egregie tractaverit. Libellus ipse, pro materiæ amplitudine, brevis est & octo capitibus absolvitur. I. Ostendit Autor, sententiam de gratia immediata & de habitibus infusis novam non esse, sed novatores esse, qui eam pari, ut ait, cum impudentia, novitatis accusent, qua ii, qui quotidie clamant, ubi fuerit religio Protestantium ante Lutherum aut Calvinum. Affert inde pauca, quibus antiquitatem dogmatis de gratia immediata probet, ex Augustino & Fulgentio, & ut recen- pag. 1.

 tiorum

tiorum consensum indicet, ex *Calvino, Chamierio, Bocharto, Riveto, Amyraldo*, & denique ex Synodi Dordracenæ & Gallicarum quarundam decretis & actis. Cum vero adversarius, *Petri Martyris* & *Georgii Calixti*, quem incomparabilem Theologum vocat, assensu juvari se putet, id agit Autor, ut demonstret, hos minime cum Pajonio consentire. Novitatis igitur reum facit censorem Jurii, nec ab eo crimine absolvi statuit, licet jam quinto seculo pessimus hæresiarcha *Pelagius* insanum illud contra gratiam immediatam dogma produxerit, & Concilium Tridentinum id, ut ait, renovaverit. II. Proba-
p. 37. tionem thesis suscipit. Quemadmodum autem in præfatione jam notaverat, confundi non debere, ut Criticus in titulo libri sui fecerit, gratiam immediatam cum habitu infuso; cum illa causæ, hic effectus locum habeat: ita hic monet, per habitum infusum se non intelligere cum Adversario actiones Dei immediatas in corpus hominis, ad mutandas ejus malas habitudines & dispositiones innatas, sed eas, quibus facultates animæ corrigantur, aut capaces fiant ad cognoscendam & credendam veritatem Evangelii. Talem vero actionem Dei immediatam probat (a) ex comparatione, qua Scriptura utitur, cum intellectum hominis oculo assimilat, sed qui omni plane visu post lapsum privatus sit, & immediata illuminatione opus habeat in rebus fidei; (b) ex necessitate mutationis, qua homo velut arbor mala, prius bona fieri debet, quam fructus bonos ferat; (c) quod inter objectum & facultatem proportio requiratur; (d) adducit ex innumeris Scripturæ locis Ps. CXIX, 18: *revela oculos meos*; Act. XVI, 14: *aperuit cor Lydiæ*; Eph. I, 18: *illuminatos oculos cordis vestri*. Quæ-
45. rit inde ex Censore, cur immediatas Dei operationes in mutandis corporis pravitatibus admittat, easdem tamen ad tollenda animi vitia non requirat. Dici enim (ait) absque impietate non potest, minus dependere spiritum seu mentem a Deo quam corpus, & major utique proportio sive affinitas est inter mentem quæ est spiritus, & Deum patrem spirituum, quam inter Deum & corpus. Rejicit igitur, quæ Criticus *in præfatione libri* & *p. 237* commentatus est. Concedit homines a Deo non regi ut bruta, aut ut truncos & saxa, sed pro natura & facultatibus animæ, quibus a Deo ornati sunt; ut proinde veritas Evangelica per usum rationis, ut instrumentum, cognoscatur. Negat autem, cognitionem hanc viribus naturæ absque lumine gratiæ acquiri

acquiri posse, & eos, qui hoc excludunt, Pelagianismi accusat. Ad- pag. 50.
dit, mysteria fidei, v. g. incarnationis & redemtionis Jesu Christi, nullam habere cum cognitionibus, quas ratio hominis acquirit, analogiam seu connexionem; itaque Spiritus lumine opus esse, ut dociles fiamus ad mysteriorum cognitionem. Negat postea, quod, ut dixerat Censor, persuaderi menti non possint veritates divinæ absque prævio examine nostro, ex quo nobis constet, an divinæ veritates sint, quæ proponuntur. Duas enim esse notat vias persuasionis, unam per sensum sive assensum, alteram per ratiocinationem & examen. Priori modo plebejos credere, iisq; persuaderi, esse Deum, item 53.
animam esse immortalem, licet rationes, cur id credant, non examinent, nec examinare possint. Qui igitur, ait, persuasionem ex sensu sive assensione cordis tollit, atheismum inducit, quin imo, etsi non nisi per ratiocinationem persuasio fieri posset, superesse tamen quæstionem, num ratiocinatio illa viribus mentis humanæ fiat, an opus habeat lumine gratiæ. Negat præterea verum esse, quod *d. p.* 237 Censor statuit, Deum alio modo in spiritum seu mentem agere non posse, quam producendo ideam. Aliam methodum Dei esse existimat in ideis Evangelicis, quam in aliis, quæ ad fidem non pertinent. Has percipit homo rationis beneficio, at illas non magis percipit, quam cæcus, cujus oculis lumen offertur. Aperiendi igitur sunt prius per gratiam divinam oculi, qui ad mysteria illa omnia v. g. de Trinitate, de incarnatione, morte & resurrectione filii Dei prorsus cæci sunt. Ideas igitur illas, quatenus ratione solum comprehen- 60. 64.
duntur, stultitiam esse Græcis & scandalum Judæis; si enim per se convincerent rationem, ab omnibus utique hominibus acciperentur, quibus illæ ex Evangelio proponuntur: aut cum blasphemia dicendum esset, a Deo quibusdam ut veras, aliis ut falsas proponi. Nec multo sapientius esse, si dicatur, quibusdam magis efficaces, vivas & pulchriores quam aliis offerri. Addit quædam de modo converten- 66. 67.
di infideles & infantes, absque productione idearum; item quod stante Censoris sententia, gloria conversionis ad hominem rediret, qui ideas perceperit, cum ab aliis rejiciuntur. Denique cum Scriptura conversionem attribuat omnipotentiæ, eamque comparet cum creatione, resurrectione, regeneratione, cordis immutatione ex lapideo in carneum; omnia ista frustra dici notat, si solum per idea-

rum

pag. 69. rum productionem conversio fiat; & Paulum non potuisse Thessalo-
71. nicensibus prædicationem suam commendare, ut *virtutem Spiritus*
Sancti 1. Thess. I. 5. nec Ephesiis *supereminentem magnitudinem virtu-*
tis & operationis potentiam, qua crediderint, Eph. I, 19. Perpetuam
itaque illusionem, mala fide sæpe repetitam, & sophisma Censori im-
putat, cum in præfatione & alibi negat, hodie revelationes immedia-
73. tas dari, quasi de his quæstio esset: neque enim de his, sed de o-
perationibus Spiritus Sancti immediatis quæri, quibus facultа-
tes mentis humanæ ad recipiendam veritatem cœlestem disponuntur
75. & moventur. Differentiam denique enthusiasmi & habitus infusi
ostendit; illum enim absque verbo fieri, & animæ ecstasin secum
ferre, excluso sæpe usu rationis, neque cor mutare, ut ex Balaami
exemplo constet: at per habitum infusum operationem gratiæ in-
telligi, quæ verbi prædicationem comitetur. III. Examinat senten-
tiam Adversarii, qua (ut invidiam prorsus negatæ operationis divinæ
in mentibus hominum leniret) explicare conatus est, quid sint habi-
81. tus infusi. Totam vero explicationem ejus eo recidere ait, ut
intemperies humorum in corpore, quæ ad affectus tendit, corrigatur.
Hoc immediate a Deo fieri posse, concedit Pajonii discipulus: negat
autem, idem fieri in illuminatione mentis. Sed Autor multis argumen-
tis absurditatem hujus opinionis ostendit, tum quoad terminos,
quos ridicule ad materiam hanc trahi existimat, cum *quæstio* non sit
de temperamento corporis, neque de habitibus acquisitis per crebras
85. 86. actiones, sed de infusis in animam ejusque facultates; tum quoad
modum agendi quem Deo tribuit, qui utique non esset immediatus,
si per temperamenti in corpore emendationem ad animæ medicinam
perveniatur. Arguit etiam superbiam Censoris, qui tandem fateatur,
89. se ista non alio fine invenisse aut concedere, quam ut infirmioribus
consuleret, pro quibus habeat omnes, qui operationes divinas imme-
91. diatas statuunt, i. e. *Hieronymum*, *Augustinum*, *Orosium*, *Prosperum*,
Fulgentium, patres conciliorum, doctores ex reformatis præcipuos
& totas Gallicarum ecclesiarum synodos. Occurrit denique diffi-
cultati, quam Censor iterum moverat, quod ex sententia immediatam
operationem asserentium sequatur, habitus etiam cognitionis infun-
di & revelationes novas fieri. Distinguit enim inter dispositionem
ad recipiendam persuasionem, & hanc tribuit immediatæ Dei in ani-
mis

mis hominum operationi, & inter cognitionis actum; ultro confessus, cognitionem actualem non ex revelatione immediata, qualis Prophetis contigit, sed ex auditu, lectione, meditatione verbi acquiri, prævia Spiritus Sancti ad salubrem applicationem gratia, quæ, ut loqui- pag. 99.
tur, velut ignis, materia Evangelii alitur. IV. Inquiritur, an vires naturales ad veritatis salvificæ comprehensionem sufficiant, & quæ sit vera causa inefficaciæ verbi divini. Summe improbat audax Censoris assertum, & Pelagianismo pejus figmentum esse existimat, cum p. 236 statuit, *plus nobis adesse virium, quam opus sit, ad veritatis salutaris cognitionem.* Concedit sane Noster simplicem perceptionem seu comprehensionem viribus naturæ fieri posse; sed talem, quam Deus requirit, & quæ salutem operatur, a Deo immediate donari, allegatis Scripturæ dictis firmiter concludit. Distinguit itaque inter co- 103. 106.
gnitionem mere theoreticam & historicam, quæ naturæ viribus acquiritur, & practicam atque salutarem: illam absque hac esse posse & sæpissime inveniri, non inficiatur; at alteram, quæ ad salutem hominis pertinet, a lumine gratiæ immediate, eo quo docuit modo, proficisci, sine dubitatione statuit. Confirmat hoc ex consideratione 109.
immanis corruptionis nostræ, qua fit, ut absque Dei operatione nihil salutariter & debito modo cognoscamus. Adducit ad id probandum & explicat insignia Scripturæ loca, eaque ab insultu Censoris vindicat, qui hyperbolas & metaphoras scriptoribus sacris in isthac materia tribuit. Addit, si illius opinioni locus esset, frustra in Scripturis 110.
tantopere urgeri necessitatem gratiæ, frustra vim salvificam Legi a 121.
Paulo abjudicari, imo peccatum originale tolli, & vires liberi arbitrii, Pontificiorum more adstrui. Examinat inde & rejicit tradita Censoris, quibus contendit, passiones humanas in causa esse, quod verbum non semper & in omnibus sit efficax, quia nempe affectibus & cupiditatibus nostris non convenit. Concedit quidem Autor, inter obstacula salutis merito referri cupiditates illas, sed longe difficiliora esse ex cæcitate & tenebris animæ, quæ post lapsum Adami lumen intelle- 127.
ctus & sanctimoniam voluntatis perdidit, ita ut homo loco Dei se ipsum pro ultimo fine habeat. Ad reparandum hoc damnum, remedia naturalia, moralia & supernaturalia quæri. Ad primum genus referri correctionem temperamenti; ad alterum præcepta philosophica; utraque tantum palliativa esse, nec per ea Christianos, sed hone-

Sss stos

ſtos paganos effici, quorum ſummæ virtutes proprii amoris labe & gloriæ affectatione ita inficiantur, ut pro vitiis haberi mereantur; abeſſe enim ſcopum verum, reſpectum inviſibilium & amoris divini; quapropter verum remedium non niſi ex gratiæ auxilio ſupereſſe.
pag. 134. Reſpondet poſtea ad exempla, quibus Cenſor aſſerta ſua adſtruere conatus fuit, & egregie oſtendit, quæ ſit differentia veræ fidei & pietatis a divina gratia productæ, ab illa cognitione, quæ ex rectæ rationis di-
137. ctamine naſcitur. Summam vero difficultatem non ponit in perceptione veritatis theoreticæ, ſed in defectu practicæ, quæ oritur ex profunda cæcitate & ſurditate noſtra ſpirituali, & ex ingenti diſtantia
145. inter facultates animæ noſtræ & objecta fidei. Huic remedium nullum eſſe, niſi Deus nobis dederit cor ad intelligendum, oculos ad videndum, aures ad audiendum. V. Sequitur diſputatio de impo-
148. tentia noſtra morali, cujus correctionem a divinæ gratiæ immediata operatione Autor accerſit. Cenſor, ut hac carere poſſe homines evincat, impotentiam illam quærit in depravatione corporis & cogitationibus perverſis, ob intemperiem corporis in anima exorientibus: hac igitur correcta & mutata, corrigi ſtatuit & mutari animæ inclinationes. Hic notat Autor, illam corporis intemperiem phyſicam potius eſſe quam moralem, & non niſi certo modo moralem dici
151. poſſe, quia arma, ut Paulus loquitur, injuſtitiæ & peccato ſuppeditat; monet autem, terminos hos, licet parum æſtimentur a Cenſore, non
154. confundendos, ſed accurate diſtinguendos eſſe. Negat impotentiam moralem conſiſtere in modo agendi aut cogitandi, ſed in naturali & invincibili per naturam indocilitate, obſtinatione & induratione adverſus res ſpirituales, ex peccato, ut malo morali, conſequenti & ideo ſedem, ex doctrina Chriſti, in corde habenti. VI. De peccato originali ita ſentit Criticus, ut conſiſtere id dicat in intemperie corporis &
162. in cogitationibus malis, ex corporis dyſcraſia orientibus. Ex his prius admittit Noſter eatenus, quia etſi ſedes peccati proprie non ſit corpus ſed anima, in hoc tamen conſummatur peccatum & perficitur, quia corpus eſt animæ domicilium: alterum rejicit; neque enim pravas cogitationes ex intemperie corporis potiſſimum, ſed ex corruptione facultatum animæ naſci, tanquam malos fructus ex mala arbore. *De corde exeunt &c.* Matth. XV, 19. Cum igitur de facultatum corruptione nihil loquatur Cenſor, prodere mentem ſuam dici-


tur,

tur, quod peccatum originale, sive corruptionem illam omnino neget, aut si verbis confiteatur, re tollat. Id pluribus urget, & peccati pag. 168.
originalis naturam describit, ut non solum sit privatio virtuti opposita, sed & habitudo injustitiæ & corruptionis, ideoque aliquid positivi habeat, ex doctrina *Thomæ* I. II. q. 82. art. 1. Addit & ex- 175.
plicat Scripturæ dicta, Gen. V, 3, VI, 5, VIII, 21. Ps. LI, 7. Joh. III, 3. Denique notat, peccatum originis malum universale esse, quod omnia corrumpit; quia ultimum finem mutat, qui erat amor Dei, & pro eo nobis substituit amorem nostri; unde necesse esse ait, ut non solum cogitationes, sed & facultates animæ corruptæ sint, cum omnes a fine aberrent. VII. In examen vocantur, quæ de viribus re- 183.
ctæ rationis Censor disseruit, & quicquid de illis jactatur, ad spiritualium cognitionem non sufficere ostenditur, ex dictis Eph. IV, 17. 18. Rom. I, 28. Tit. III, 3. Cum Pelagio itaque errare dicuntur, qui statuunt, rationem in se rectam mansisse; eo enim ipso peccatum originale & corruptionem per lapsum negari, ex quo omnis rationis in spiritualibus defectus ortum habet. Vehementer itaq; reprehendit Au- 189.
tor dictum Censoris p. 242. (*des Essais*) ubi concludit: ad regenerationem animæ & conversionem cordis nil requiri, quam ut *primo* cor- 185.
poris intemperies quocunque remedio corrigatur; *secundo*, ut ad vivum repræsententur objecta intellectus, & voluntatis, mendacium & veritas, vitium & virtus. Hæc, ait, Pelagianismum in summo gradu exhibent. Refutat inde quæ Censor statuit, quod ratio humana sal- 196.
tem per subreptionem fallatur, & ad lapsum Adami applicat. Impugnat iterum, quæ Criticus de immediata Dei operatione ad corrigendam intemperiem corporis admittit: ait enim, si ea sufficeret, necessariam non futuram fuisse missionem Jesu Christi in carnem aut
ejus mortem, nec operationem Spiritus Sancti, & hanc tantum phy- 208.
sicam fore, cum suo modo moralis dici debeat: fatetur tamen cum 210.
Augustino & Synodo Dordracena, non posse accurate & perfecte cognosci & definiri, cujus illa sit generis & naturæ, licet actio ipsa sit
verissima & credi debeat, sicut plurima alia etiam in rebus naturali- 214.
bus, quæ non comprehendantur: hyperphysicam dictam esse ait ab Amyraldo, sed post *Franciscum Cumuelem*, & sensum illius phrasis explicat. VIII. Concludit tandem Autor, Censorem nullam pla-
ne Spiritus Sancti operationem in conversione hominis admittere. 219.

pag. 225. Adducit loca quædam ex Critica p. 243, 252, 271 & 272, in quibus satis
aperte dicere videtur, sufficere ut temperamentum corporis emen-
detur, idque per causas secundas fieri posse, jejuniis & patientia affli-
ctionum. Refellit ista plurimis & egregiis rationibus, ostendens,
minime sufficere istam correctionem, in aliquibus etiam hominibus
231. bono temperamento præditis superfluam esse: ea admissa, conversio-
nem, adversus tot dicta Scripturæ, hominis viribus tribui: obstare
233. etiam exempla conversionum, quæ subito peractæ sunt, absque ulla
temperamenti corporis correctione, v. g. per conciones Johannis Ba-
ptistæ, & ipsius Christi, uno momento quosdam a telonio aut vita im-
pura revocantis. Nullum Scripturæ locum produci posse, quo Cen-
soris sententia juvetur; omnem potius conversionis causam in Dei
operatione, cor novum creantis, oculos intellectus illuminantis, &
nos regenerantis poni. Jejuniis conversionem minime dicit deberi,
239. ideoque in toto Novo Testamento nunquam præcipi, etsi encomia &
245. exempla habeant & corpus doment. Idem de afflictionibus monet. A-
criter deinde asserta Censoris insectatur, immediatam Dei operationē
contemtim rejicientis, unde pessimas consequentias elicit. Monstrat
256. etiam, ut Criticus Pajonii magistri sui sententiam in deterius verterit.
Ille enim ad potentiam moralē non solum correctionē temperamenti,
263. sed ut Censor ipse fatetur, illuminationem intellectus & cognitiones
salutares requirebat: hic vero in correctione temperamenti omnem
potentiam moralem consistere facit. Nihilo tamen magis Pajonii sen-
tentiam probat, quia istam illuminationem & cognitionem ex solo
verbo absque auxilio Spiritus Sancti accersebat; pejorem tamen
269. Critici errorem esse indicat, & potentiam moralem longe aliter cum
schola Theologorum definit, quam quæ in sola correctione tempe-
272. ramenti corporis consistat, quæ physica potius dici debeat, nec ab o-
peratione Spiritus Sancti immediata pendeat. Duo igitur requirit
ad conversionem hominis, primo instructionem ex verbo Dei, se-
cundo donum docilitatis ad recipiendam instructionem: illa, ait, per
verbi auditum & lectionem fieri potest; hoc a Spiritu Sancto immedi-
ate proficiscitur. Explicat hoc similitudine a lumine Solis, oculis re-
præsentato, qui aperiendi sunt, si lumen percipere velint. Aperire au-
tem oculos hominum, naturaliter ad spiritualia planę cæcorum, divi-
ni est

TAB. XII.

ad a. 1689. pag. 529.



ni est operis: ideo ex Esaia Salvator noster asseverat Joh. VI, 45. pag. 278.
Erunt omnes docibiles Dei.

EDUARDI BERNARDI DE MENSURIS ET Ponderibus antiquis libri tres.

Oxoniæ e Theatro Seldonio, 1688, in 8. Plag. 22.

ANceps semper fuit inter eruditos de ponderibus & mensuris antiquorum disceptatio, notique satis sunt circa hanc rem Pæti, Budæi, Alciati, Agricolæ, Villalpandi aliorumque labores: non tamen invenias facile, qui felicius in hoc argumento versatus fuerit clarissimo Eduardo Bernardo, qui quæ apud alios habentur varie dispersa, summo cum judicio in librum hunc congessit, ita tamen, ut ex instructissima sua penu multa addiderit de Talmudicorum, Arabum, Sinarum &c. mensuris, quæ frustra apud alios quærantur. Quamvis autem scriptum hoc ex editione priori, Eduardi Pocokii in Prophetiam Hoseæ Commentario subjuncta, & a nobis in Actis A. 1686. pag. 586 indicata, notum satis sit: non possumus tamen non monere, id & purius, & duplo locupletius altera hac vice in lucem prodiisse, adjectis binis epistolis, in quarum altera clarissimus Vir *Thomas Hyde* doctrinam de *mensuris & ponderibus Sinensium* explicat uberius; in altera vero Vir doctus, cujus nomen litteris initialibus, N. F. D. innuitur, structuram *maris ænei* Salomonis nova ratione exponit, atque TAB. XII. schemate quodam, quod & hic exhibemus, objicit oculis. Cum enim profanũ quoddam genus hominum multa de ἀγεωμετρίᾳ Scripturæ quoad hunc locum oggerere soleat, operam dedit, ut sua figura & explicatio non solum cum descriptionibus in libro Regum & Paralipomenon, nec non illis, quæ apud Josephum, & Eusebium ex Eupolemo, habentur, sed & cum optime constituta a clarissimo Bernardo bati magnitudine conveniret. Præterea se rationem decori atque verisimilis in hac delineatione aliquatenus quoque habere voluisse dicit, idque ab insignibus interpretibus iisque architecturæ peritissimis neglectum fuisse demiratur. Cum enim *Villalpandus* (quem verbis præcedentibus haud obscure petit) non solum ita in angustum cogat duodecim boves, quos Scriptura docet mari æneo subjectos fuisse, ut necesse sit eorum posticas partes simul confundi,

monſtrumque unicum ex duodecim bobus emergere, ſed etiam ampliſſimum vas & ponderoſiſſimum in altum extollat, interpoſitaque inter ipſum & boves exigua quadam baſi, ſuſtentaculo gracili imponat, ut tota ſtructura appareat labilis & lubrica; (*Vid. Schema, quod habet Villalp. Tom. II. Part. II. Explanat. in Ezech. p. 488.*) aliam proponit formam ex duabus partibus, cylindrica ſcilicet & hemiſphæroidica conſtantem, ita tamen ut neque hanc ſuam accuratiſſimam & prototypo ſimillimam eſſe pertinaciter velit contendere. Ipſum ſchema mare æneum a latere adſpiciendum exhibet ea projectione, quæ ſupponit oculum ad maximam diſtantiam remotum. In ſuperiore tabulæ parte ichnographia ejus adpoſita eſt ſuper horizontali plano projecti, ad dextram vero figuræ partem ſectio ipſius per axem. Quantitas autem linearum hæc eſt: *ab = 10 Cubit. c p = 5 Cubit. f g = 1 Cubit. ae* vel *dd = 9, 549 Cub. Semidiam. Circ. b i b = 9, 355 Cub.* Ex hiſce ſi inveſtigetur Geometrice corporis totius ſoliditas, reperietur ea 3000 batorum, prout vult liber II. Paralipom. IV, v. 5; ac proinde quoque 2000 capiet, uti in I. Reg. VII, 26 extat. Boves diſtant circuli parte decima ſexta, inter ternos quosque vero dupla intercedit diſtantia. Ipſum præterea mare columnæ innititur, cujus diameter cubiti unius, quam & fundi latitudo poſtulare videtur, & per ſpiram in helices decem circumductam a Joſepho intelligi Auctor Epiſtolæ conjicit, qui etiam hinc circa eam ſpiram unicam in helices decem complicatam delineavit. Plinthus, quæ in columnæ capitulo cernitur, non contigua eſt cum maris ænei fundo, ſed ab eo remota dimidia parte cubiti, intercedente corpore quodam rotundo, ne capitulum intra baſis orbem occultaretur. In circulis *n n* delineati ſunt duo ordines nodorum ſeu capitum bovinorum, quorum decem in unoquoque cubito continentur, & trecenti in tota colli circumferentia. Cætera fere addita ſunt ornamenti cauſa, & ad quinos quosque nodos diſtinguendos, qui cum eſſent minores & in una linea diſpoſiti, inelegantem alioquin & nudatam formam præbuiſſent. Nihil addimus, niſi quod iterum Bernhardo celeberrimo otium atque vires apprecamur, ad novam operum *Flavii Joſephi* editionem, quam dudum molitus eſt, & ante hos novem annos jam auſpicatus, propediem abſolvendam. Ejus enim deſiderio non poterunt non incendi, quotquot vel ex hoc de menſuris & ponderibus libello ingenium Viri & eruditionem cognoverint.

DISCUS-

DISCUSSIO QUÆSTIONIS, AN FILIA-FAMILIAS a nexibus patriæ potestatis, etiam adversante Jure Communi Justinianeo, in omnibus provinciis Germaniæ indistincte, præsertim autem in Ducatu Brunsuico-Luneburgico Wolferbytanæ partis, per Nuptias ita liberetur, ut statim in solius Mariti potestatem transeat? Negative facta atque edita a D. Hieronymo Andreæ.

Helmestadii, apud Frid. Ludervvald, 1689, in 4.

Constat plagulis 13.

TRactatum hunc non ita pridem ad nos transmisit Nobilissimus Autor, Ducalis Fisci & Cameræ Guelpherbytanæ Advocatus, humanissime simul rogans, ut calculum judiciumque nostrum super eodem ipsi aperiremus. Quandoquidem vero judicum partes nobis sumere haud solemus, utpote qui recensere quidem libros, non censere suscepimus, contentum fore eundem speramus, si, quod potuimus, scripti argumentum nude & quam brevissime pro instituti ratione retulerimus, epicrisi aliis in totum relicta. Quæstionem itaque hanc, cujus tenorem ex rubrica repetere non erit opus, pertractavit secundum methodum in consiliis juridicis plerumque adhiberi solitam, per rationes nempe tam dubitandi, quam decidendi; ita quidem ut has primo loco perhibeat, illas vero dein proponat, & aptis tandem responsionibus diluere satagat. Ante omnia ergo ex jure communi deducit, nuptias non esse modum dissolvendi patriam potestatem, utut non inficietur, quosdam ejus effectus per illas alterari, nuptæ domicilium, forum, operas & similia potissimum concernentes: hinc porro ex diversis ordinationibus provincialibus Serenissimorum Ducum Brunsuicensium probat, strictam juris communis Cæsarei observantiam illis in terris introductam, usum vero juris Saxonici ibidem expressis verbis abrogatum esse: id quod vi juris territorialis, facultatem puta legislatoriam simul annexam habentis, valide fieri potuisse evincit: unde tandem concludit, modum hunc solvendi patriam potestatem, tanquam Saxonici juris inventum, illo in Ducatu plane pleneque cessare debere. Inde progressum facit ad rationes dubi-

dubitandi ab adversa parte allegatas, quæ quidem in his maxime consistunt: initio urgetur, in Germania vigere notorie consuetudinem generalem, quod per matrimonium fiat emissio a nexibus patriæ potestatis, eamque in rem, (præter etymologiam vernaculæ vocis freyen/ propria vi jamjam *liberationem* involventis) ingens JCtorum, Germanorum potissimum, cumulus adducitur hoc de negotio testantium: quin & idem apud omnes fere moratiores nationes & gentes (speciatim vero in regionibus Ducatui vicinis) communi assensione introductum esse; ipsique societatis conjugalis proprietati divinæque institutioni congruere; ex natura quoque dominii fluere, quod nempe in eandem personam duobus in solidum, patri & marito, competere nequeat: denique patriæ potestatis, ex jure Romano resultantis, multorum judicio vix umbram in Germania superesse, adeoque quæstionem tantum non penitus pro otiosa reputandam. Singula hæc jam refutare occupatus est Noster: & primo quidem allegatam consuetudinem nec intuitu generalitatis, nec ratione notorietatis satis probatam autumat; autores quoque allegatos aut inidoneos testes esse, aut aliud plane sibi velle, facto singulorum examine demonstrare nititur; argumentum ab aliorum populorum, vicinorum etiam, observantia insufficientiæ arguit, cum inde nulla jurium dependentia aut legum consuetudinumve identitas inferatur; rationem vero ex etymologia vocis freyen petitam, non fragilem modo credit, sed plane falsam: cum ejus origo rectius deducatur aut a *Freia*, Germanorum priscorum Venere, aut a vocabulo frygan/quod *amare*, aut a fryan/quod *eligere cum affectione quadam singulari*, antiqua Gothorum lingua significet. Nec minus in reliquarum objectionum discussione suam in causis perorandis dexteritatem atq; promtitudinem ostendit; cujus tamen vis ex ipsius scripti perlectione melius percipi poterit, quam quidem ex compendiaria, quæ nobis familiaris est, relatione; ubi nempe periculum est, ne argumentorum pondera, concisa nimis verborum brevitate minuantur.

ANTONII MATTHÆI, ANTECESSORIS Lugdunensis, Tractatus de Jure Gladii, & de Toparchis qui exercent id in Diœcesi Ultrajectina.

Lugduni Batavorum, sumptu Autoris, 1689, in 4. Plag. 91.

In

IN Procemio Clarissimus Autor affectum fidemque eorum collaudat qui acta & monumenta, nunquam antea præter unum aut alterum publicata, veritatis stabiliendæ gratia ipsi communicarunt; sententiam deinde suam, qua in Tractatu *de Nobilitate*, anno 1686 edito & a nobis in Actis illius anni pag. 460 seqq. recenso, l. 2. c. 1. Ultrajectum a Wiltis etiam Wiltenburch appellatum esse dixerat, Historica fide confirmat; & locum denique, ex quo probari potest, Frisones olim corpus occisi terræ non mandasse ante, quam homicida vel aliquis ex ejus familia vindictæ nomine vicariam quasi mortem perpessus esset, in ipsa tractatione c. 38 omissum supplet. Hinc ad materiam ipsam conversus, in cap. 1. quid sit jus gladii, quid merum mixtumve imperium, quid notio & jurisdictio, explicat. Cap. 2. tradit, in qua re merum imperium consistat; ubi inter alia pœnarum genera, a diversis gentibus usurpata, etiam quid sartago cinerumque supplicium fuerit, commemorat, & in cap. 3. præter reliquos gravius coercendi modos de excæcatione, membri mutilatione, & exilio tractat, atque hoc moribus proxime ad relegationem accedere, per se autem nec bona nec civitatem auferre asserit. Cap. 4. exhibet eos, qui jure gladii apud Romanos usi sunt, & iis non semper jus gladii in universum, sed nonnunquam pro parte tantum, concessum fuisse docet. His pro instituti ratione præmissis, ad mores hodiernos accedit, & c. 5. jus gladii adeo in commercio & patrimonio esse confirmat, ut vendi, donari, in feudum dari & quovis modo in alium transferri possit; unde contra *Vinnium*, Toparchis jus mandandi aliis merum imperium denegantem, disputat. Præterea c. 6. Toparchis jus constituendi præfectum, prætorem, scabinos, edicta proponendi, mulctas statuendi & exigendi &c. largitur; cognitionem vero de causis venaticis, publicam securitatem respicientibus, similibusque gravioribus negotiis, non æquali ratione omnibus concedit, sed potestatis amplitudinem hac in parte ex singulorum usurpatione & speciali concessione colligere jubet. Cap. 8. illi, quem Toparcha tanquam superiorem agnoscit, jus capiendi reum in illius territorio denegat: Toparcham nulla necessitate ad superiorem ejusve milites præsidiarios in castrum suum admittendos cogi affirmat, & pacti, quo dominus superior hoc jus sibi reservat, utilitatem commendat, atque exemplis declarat. Sequentia capitula ab octavo ad trigesimum

mum tertium usq; , solicite recenset Toparchas diœceseos Ultrajectinæ, eosq; qui in ea jure gladii fruuntur, in qua tractatione initiũ facit a Præpositis Ecclesiarum S. Johannis, S. Martini & S. Salvatoris, hanc potestatem in tractu inter Isalam & Leccam interjacentę habentibus : ab his progreditur ad Dominos de Dyckvelt, Montfoort &c. Toparcham de Amerongen, Vreesvvyk, Zuylestein, Vseland, Oudegein, Baern, Eem, Soest, Emmenes, Rensvvoude, Odyk, Seyst, Gasbeek, Wyck, Abcoude, Nyenrode, Amstel, Woerden, Yselstein, Jaersvelt, Zuylen &c. Groningæ olim jus gladii majori Ecclesiæ competiisse, ejusque facto id aliis concessum esse, c. 28 probat, & altam jurisdictionem habenti mediam plerumque etiam competiisse commemorat, c. 29. Qua ratione Episcopo per diœcesin suam jus gladii datum fuerit, c. 30. explicat, interq; reliquos coercendi modos *studiũ pœnale*, vi cujus pœnam hanc meritus per aliquot annos studiis in certa Academia vacare jussus est, c. 13. refert. Quin etiam Chomarchis in c. 32. merum imperium non omnino denegat, & de re venatica quis cognoscat, c. 33. exponit. De militari judicio c. 34. loquitur, & c. 35. determinat, quousque se Magistratus Ultrajectini jurisdictio oppidana extendat. Sicut autem Ultrajecto plenissimam jurisdictionem & jus gladii quoad omnes partes largitus est, ita reliquis ejusdem diœceseos oppidis paria jura tribuere non audet c. 36. Tandem a c. 36. ad finem usque hæc præcipue circa meri imperii explicationem reliqua, persequitur: in quos jus gladii exerceatur? quinam sit procedendi modus? quid circa confiscationem bonorum, quam juri gladii non adhærere tradit, Ultrajecti & in vicinis locis observetur? quatenus condemnato salvum sit appellationis remedium, & quomodo rei mors interveniens, pœnæ remissio, & præscriptio crimina extinguant? cui postremo crimina tollendi modo circa finem capitis ultimi prohibet inquisitionem annumerari.

THEODORI CRAANEN PHIL. ET MED. D. &c. Tractatus Physico-Medicus de Homine, in quo status ejus tam naturalis, quam præternaturalis quoad Theoriam rationalem mechanice demonstratur. Edente Theodoro Schoon, M. D. Hagiensi, cum Figuris æneis & indicibus tam Capitum quam Rerum & Verborum locupletissimis.

Lugdu-

Lugduni Batavorum, apud Petrum van der Aa, 1689, in 4.

Constat plagulis 104. præter figuras.

DE Homine equidem *Nobilissimi des Cartes* jamjam inclaruit Tractatus: hunc tamen, si ullibi, certe hic ingenio magis, quam veritati litasse, quod experientia exactiori, Anatomica cumprimis destitutus, structuram Hominis tantum non meris adaptarit ideis, omnes inter, ad experientiæ pariter atque rationis lydium lapidem res physicas & medicas libere examinantes, videtur convenire. Tanto majorem proin præsens de Homine opus merebitur applausum, etiamsi Recentioris præmemorati Philosophi potius, quam Veterum methodo insistat, quo minus præsumi poterit eum, qui Autor ab Editore perhibetur, multa, dum viveret, experientia pollentem, ad eundē allisisse scopulū. Et omnino in capitibus fere singulis, numero CLVI, quibus corporis nostri status & naturalis, & præternaturalis, nec non multa ad manus huic auxiliatrices ferendi rationē spectantia edocentur, adeoq; Physiologia, Pathologia & Therapeutica propemodū absolvuntur, Experientiam Rationi prælucere, vel perpauca subsequentia e multis annotata sufficienter attestabuntur. Scilicet cum non nisi in adultis Anatomica hauriri possit cognitio, qua demum perspecta tum pag. 4.
generationis negotium, tum morborum natura commode explanari possunt, adulti potius hominis, quam infantis fabrica automatica primum consideranda proponitur, secus quidem ac *Cartesio* ex primis initiis mundi hujus sensibilis machinam deducere fuit visum. In hac 11.
pinguedinem ad salivæ essentiā nihil conferre censetur, quia ob pinguedinem intermixtam minus evaderet penetrans, gladii instar vagina reconditi ad secandum & pungendum prorsus inepti. Loco pulveris 15.
dentifricii, tartarus vitriolatus deprædicatur præstantissimus. Alimen- 29. 47.
torum diversitati concoctio ventriculi maximam adscribitur partem, in quantum in translatione tam diversorum & discrepantium particularum, diversi relinquantur & efformentur pori, diversæ magnitudinis & figuræ, ad quos vacuo omni exulante replendos materia ætherea pariter requiratur diversa, pro magnitudinis & figuræ diversitate ubique sese accommodans, eoque ipso alimenta ingesta ulterius comminuendo & fermentando concoctionem in ventriculo absolvens. Acidum æque ac salinum sanguini nostro inesse, ex iis, quæ solent assumi, colligitur, nam non solum condimenta inter obser- 39.

vatur acetum, sed & multa alia facile v.g. cerevisia, acescunt, aut aci-
Pag. 53. dis particulis abundant, e. g. panis secalinus. Lac ab acido Ventriculi
fermento, aliisque quæ ingeruntur, semper coagulari, adeoq; lactis
in Ventriculo coagulationem vix, nisi excessivam, metuendam esse
traditur, inprimis cum æstate lac ab acido ventriculorum vitulino-
rum succo coagulatum, aliisque temporibus caseus sine detrimento
71. assumi soleant. Medicamenta vero Ventriculo extrinsece applican-
da non tam regioni epigastricæ, quam dorso debere admoveri, quia
dorsum facilius, quam tot integumenta abdominis, a medicaminum
83. spiritibus penetrari queat. Circa vermium in corpore nostro pro-
ventum ova præsertim in aere volitantia, & vel cum alimentis, vel
cum aere ipso inspirandum inter haurienda, perpenduntur; dari si-
quidem ova ejusmodi subtilissima, intuitu insectorum adeo exiguo-
rum, ut in oculum nisi microscopio armatum haud incurrant, decla-
ratur. Clysteres tum ratione, tum experientia affirmantur nutrien-
93. tes: primo namque hominem phrenitide laborantem per decem di-
es solo clysteris nutrientis usu in vita fuisse servatum, item angina la-
borantibus vix nisi iisdem succurri posse; deinde intestina crassa la-
cteis vasis non penitus carere, cuniculorum exemplo, in quorum re-
95. cens mactatorum intestinis crassis lactea apparuerint. Quin etiamsi
vasa lactea in crassis intestinis deessent, operari nihilominus adhuc
posse clysmata nutrientia, per poros intestinorum blandos vapores ad
sanguinem emittendo, simili prorsus ratione ac clysteres anodini &
109. emollientes in dolore colico deprehenduntur proficui. Vapores ali-
as in cavitate abdominis obvolitantes, aliquam ad minimum urinæ in
vesica contentæ partem reputantur constituere, quod poros vesicæ
foras intro spectantes facile ingredi, ob valvularum vero impedimen-
tum minus regredi, sed coagulari potius & condensari in urinam pos-
133. sint ac debeant. Lien in thorace aliquando repertus simul annota-
135. tur. Sanguinis arteriosi major præ venoso fluiditas chylo cumpri-
173. mis tribuitur admixto. Fixorum in genere triplex constituitur diffe-
rentia, ratione vel ad ignem, vel ad aerem, vel ad nostrum denique
184. corpus habita. Omnes interim morbi cum ab obstructione primum
oriri videantur, panaceæ vel medicamenti alicujus universalis ad-
struitur possibilitas, attendendo una, remediorum efficaciam non
solum a particularum subtilitate, respectu cujus sæpius reflexa mox e
corpore

corpore avolant, sed a stabilitate quoq; pororum, certam, stabilem & copiosam primi elementi materiam sanguinis nostriætheri amicam secum vehentium, dependere. Febres omnes censentur putridæ, pag. 226.
quatenus putredo tum introduci dicatur, quando ordo rerum compositarum turbatur & tollitur a causa levi, sensim atq; sensim particularum nexum destruente. Viæ ubi adsignandæ, per quas materia purulen- 258.
ta e pulmonibus ad vesicam possit deferri & cum urina excerni, par- 692.
tim pori venarum pulmonalium subtiliorem puris partem recipientium, circulationis beneficio dehinc in renibus cum urina secernendam, partim diaphragmatis pori vaporibus purulentæ materiæ in thorace e pulmonibus extravasatæ transitum ad abdomen concedentes, quo in hujus cavo oberrantes vesicæ tandem poros foras intro spectantes subintrent, proferuntur in medium. Anastomoses sive 292.
inosculationes arteriis cum venis intercedere, ex celeri sanguinis effluxu e vulnere vasi inflicto demonstratur, propterea siquidem, quod Anatomico cultro minus detegi queant, existentiam earum haud negandam esse. Causa fontium vera in diurno telluris nostræ motu 297.
constituitur, quo rapidissime ab occidente in orientem procedente tellus sine negotio ab aliis separetur, præsertim iis, quæ nexu parum firmo gaudent, uti aqua copiose tunc superficiei ipsius adhærens. Arteriotomia ob periculum, cui exponitur, dissuadetur; arteria 326.
enim in cephalalgia secta quod opem tulerit, non arteriotomiæ simpliciter, sed repetitæ potius sanguinis eductioni venire adscribendum. Quemadmodum inter omnes constat, in membris vulneratis male 382.
denuo consolidatis sæpius variam aeris percipi mutationem, ita hæc omnis diversitati pororum certam saltem aeris materiam transmittentium adsignatur. In animi deliquio homines, ut citius ad se redeant, 416.
supini poni censentur, quo in situ tali corporis horizonti parallelo sanguis promtius & copiosius ad caput assurgens majorem separationi spirituum, a quorum novo influxu omnis recreatio, suppeditet ansam. A remediis autem somniferis, v. g. opio & camphora, somni- 440.
um conciliari propter coagulationē in sanguine & humoribus horum auxilio introductam, similem ei, quæ a spiritu urinæ rectificatissimo alcohol vini addito fieri deprehenditur. Item ex acidorum usu 477.
dentes stupere, quatenus nervorum radicibus dentium insertorum fibrillæ solvantur, ut tensione ad tempus amissa sensationi haud inser-

viant, æque ac narcotica nervorum quasdam fibrillas ſolvendo ſtu-
porem inferre ſoleant. Reſpirationem a diaphragmate, tanquam
pag. 485. vero inſtrumento ejus activo, dependere, vel ex ſola reſpiratione diffi-
ciliori, cum quis ſe ingurgitaverit, comprobatur, ventriculo tunc ab
ingeſtis diſtento diaphragma ſurſum urgente, ut non niſi majori
588. cum vi deorſum ferri queat. Medicamenta multis pro memoria con-
fortanda extolli ſolita flocci penduntur, quod omnia talia aſſumpta
in primis viis ac maſſa ſanguinea ita invertantur, ut ad cerebrum de-
lata, nec humiditatem hujus nativam corrigere, nec fibras ſiccas flexi-
629. les reddere ullo modo valeant. Sapor fumi tabaci perquam gratus
fertur ei, cujus lingua oleo vel ſpiritu vitrioli fuerit imbuta, indicio
manifeſto, ſaporum diverſitatem ac mutationem a rerum proficiſci
mixtura. Ligaturæ in affectibus ſoporoſis ſupponuntur conferre,
638. in quantum nervorum tubuli a materia viſcida obſtructi, dum in una
parte vinculo arcte ad ſe invicem comprimuntur, in extremitate alte-
ra magis ab invicem recedant, adeoque apertiores evadant, ut ſpiri-
tus novi a cerebro adfluentes pituitam removere ipſumque ſoporem
666. tollere poſſint. Bilis ad ventriculum in bilioſis deferri dicitur, non
quod per pylorum e duodeno regurgitet, ſed potius, quod ab arteria
gaſtrica ad ventriculum eodem modo deponatur, ac in hepate ab ar-
teria hepatica fieri animadvertitur. Fœtus reſpiratio in utero ma-
741. terno aſſeveratur neceſſaria, quo pulmonum cellulæ exiguæ conſer-
vari poſſint cavæ, neque nervi phrenici intuitu obſtructionis omni-
no ob quietem ſuppoſitam ſubſequentis inutiles emergant, ita tamen,
ut loco aeris aqua potius, cui fœtus innatat, quemadmodum in pi-
ſcibus inſpiretur, hinc & pulmones fœtus propter cellulas aqua re-
pletas graviores eſſe & fundum aquæ petere, ſecus ac ubi in lucem e-
761. dito aer jamjam inſpiratus fuerit. Infantibus alimenta potius liquida
exhibenda ſuadentur, quam ſolida, ne horum aſſumptione oſſa tam
cito ad ſtatum perfectæ duritiei perveniant, adeoque in longiorem
excreſcere ſtaturam impediantur. Tandem cum Carteſio ex eo nos
765. mori ſtatuitur, quod corpus ab anima recedat, i. e. tum animam co-
gi a corpore ſecedere, quando ineptum hoc ad illi amplius inſervien-
dum exiſtit; animam quippe immortalem omniſque varietatis exper-
tem nequaquam mortis poſſe dici cauſam, ſed corpus potius, vel per
morbum, vel per meram ſenectutem labefactatum.

THEO-

THEODORI CRAANEN, PHIL. ET MED. D. Prof. olim Leidensis, ac Consiliarii & Archiatri Brandenburgici &c. Observationes, quibus emendatur & illustratur Henr. Regii Praxis medica, medicationum exemplis demonstrata.

Lugduni Batavorum apud Petrum vander Aa, 1689, in 4.
Constat plagülis 100.

INter illos, qui artem nostram a scholasticis erroribus vindicare conati sunt, primus fortasse fuit Henricus Regius Professor Medicinæ Ultrajectinus, qui secundum Cartesii placita artis Asclepiadeæ emendationem aggressus est. Et quamvis celeberrimi hujus philosophi testimonio rem mascule nec sine fructu gesserit, non tamen omnimode perfecit. Partim enim Cartesii dogmata sponte reliquit; partim qua semel imbutus erat a teneris, pristinæ philosophiæ præjudicia omnino exuere non potuit. Itaque memoratæ hypotheseos celeberrimus patronus Craanius in Collegio quodam Praxin Regii, quam Institutionibus suis, sub Medicinæ nomine olim jam publicatis, adjunxit, notis suis nunc emendavit, nunc illustravit. Tanto hoc factum auditorum fuit applausu, ut non tantum ipsi eas innumeris vicibus, nec sine gravibus impensis describi curaverint, & vix cum aliis nisi amicissimis communicare dignati fuerint, sed alii etiam earundem publicationem avide desiderarint. Verũ quia hæ Craanii notæ non conceptis ab ipso verbis propositæ, sed pro Auditorum ingenio ex ejus sermonibus collectæ fuerant, non potuerunt non illæ quandoq; mutilæ, & invicẽ diversæ existere. Precibus igitur quorundam intimioris admissionis discipulorum fatigatus Craanius favit, & quæ conceperant calamo suo, corrigere aggressus est, sed solum ut auditoribus de sententia sua rectius constaret, non vero ut unquã ea prælo committenda expeteret. Desiderio nihilominus plurium satisfacturi alii has Craanii in Regium animadversiones, diverso tamen sub schemate, in publicum emiserunt. Quamobrem jam A. LXXXVI Medioburgi Praxis Medica Reformata Henrici Regii, sub Luminis Rationalis Medici titulo prodiit in lucem, uti in Actorum ejusdem anni mense Novembri p. 555. recensuimus. Atque

que hæc editio, ex ſententia genuinorum quorundam diſcipulorum, cum emendatis a Craanio notis inprimis convenire perhibetur. Jam vero induſtrius ille Lugdunenſium Bibliopola, poſtquam theoriam Medicam in tractatu de Homine exhibuit, practicam quoque partem, adeoque Craanii obſervationes Regii ipſius praxi interſperſas tradere non incongruum exiſtimavit. Verum enimvero hæc bina ſcripta non ubique Craanianam exprimere hypotheſin, Bibliothecæ Univerſalis & Hiſtoricæ Collectores teſtantur. Sed ad inſtitutum. Regius medicationibus CXXX totidem ægrotantium caſus proponit, in libros quatuor diſtributos. Primus morbos capitis, ſecundus pectoris, tertius abdominis, quartus qui habitum & artus corripiant, recenſet. Poſt hiſtoriam, in morbi denominationem, partem affectam, cauſas procatarcticam & continentem, & per has in *ſymptomatum* rationes, prognoſin tandem & curam inquirit. Craanius vero quæ minus apposite dicuntur, aut a ſua ſententia recedunt, interjectis notis emendat; quæ autem cum ratione & experientia conveniunt, ſuis obſervationibus illuſtrat. In genere vero nullam intemperiem calidam aut frigidam partium ſolidarum, v. g. hepatis, cordis, admittit; humidum qua humidum peccare negat; venæſectionem ubique purgantibus, etiam clyſteribus quandoque præmittit; venarum ſelectum ſuperſtitioſum rejicit, cum concedens, quo in ſanguine ſubtiliore educendo vena in brachio, in craſſiore in pede ſecatur. Partibus ſolidis nulla corroborantia tribuit; cucurbitulas & ſcarificationes improbat; veſicatoria evacuandi cauſa damnat, in apoplexia excitandi ergo præcipit. Magnam fiduciam in decoctis ſudoriferis ex lignis paratis reponit, omnem apozematum purgantium uſum detrectans. Aſt in ſpecie, ubi animus eſt motum ſanguinis impetuoſiorem refrænare, lapidem prunellæ, ſaccharum Saturni, imo & camphoram ſæpius exhibet, adeoque horum uſum in cephalalgia a cauſa calida, mania, phrenitide, inflammationibus, ſynocho, febre &c. iterum iterumque commendat. Nimias vigilias caute opiatis debellandas eſſe aſſerit; pulverem vero ſequentem extollit, quod & bilis motum infringere, & ſanguinis impetum coercere valeat: Rec. tartari vitriolati gr. XV, laud. opiat. gr. j vel ij, camphoræ gr. iij vel jv. M. F. pulvis. Similiter tincturam ſuam opii hic & ſæpius alibi deprædicat; quæ eſt ſolutio opii leviter toſti in ſpiritus vini tartariſati
inſigni

insigni quantitate, creberrime repetitis filtrationibus depurata. In catalepsi non spiritus animales congelari, sed glandulam pinealem fortuito catarrho obsideri pronuntiat. Quippe hanc cum Cartesio primarium mentis instrumentum agnoscit, quo & corporis motus illa percipiat, & suos cum corpore communicet. Sic etiam quod hac ratione nec a spiritibus commoveri, nec hos ad partes determinare valeat, objecta externa non tantum non percipi, sed etiam motus voluntarios quiescere. Epilepsiæ, in qua viscidítatem cum acrimonia conjunctam accusat, mederi tanquam specificum affirmat pulverem secundinæ humanæ in umbra exsiccatæ, a scrupulis duobus ad drachmam unam. Febrium naturam in eo consistere arbitratur, quod ad sanguinem aliqua deferatur materia per suos poros trajiciens æthe-rem non convenientem cum eo, qui per poros nostri sanguinis fluit, sive illa ab erysipelate, & inflammationibus, sive ab aliis causis suppeditetur. Adeoque sudorifera sola appropriata remedia asserit ante paroxysmum propinanda, inprimis e mineralium classe, utpote quæ fomitem in partibus hærentem eluere & eliminare valeant. His tincturam croci, opii, item camphoram pro circumstantiarum diversitate admiscet. In quartana magni facit decocta sudorifera diebus a paroxysmo vacuis, eidem vero obnoxiis sudoriferum, cui cortex Peruvianus additur, ante paroxysmum commendat: uti hic pariter radici ostrutii splendenti dum frangitur, tam in decocto, quam in forma pulveris singularem efficaciam tribuit. Hypochondriaci mali exstirpationem per decocta sudorifera attenuantia, cum purgantibus ex melanagogis & mercurio dulci compositis, atque venæsectionibus alternata aggreditur. Et simili fundamento reliquorum affectuum resolutiones innituntur.

RUDIGERI CHRISTIANI DE VVEDEL Elogia Sacra, ad ductum Evangeliorum concepta.

Coloniæ Brandenburgicæ, typis Ulr. Lieppert, 1689, in 4. Plag. 59.

I*Nscriptionum*, quæ & *Elogia* appellari solent, longe feracissimum fuit hoc seculum. Originem illarum ex remotissima Græcorum ac Romanorum antiquitate, imo ex ipsis legum tabulis, sepulcrali-

busque atque aliis monumentorum inscriptionibus, quales post *Jacobum Beyellium, Petrum Apianum, Martinum Smetium*, & *Justum Lipsium, Janus Gruterus* & *Th. Reinesius* ad posteritatem transmiserunt, arcessit vir clarissimus *Christianus Weisius*, qui & primus ex professo de hoc scribendi genere libris duobus, quos *de Poesi hodiernorum Politicorum* sive *de argutis inscriptionibus* inscripsit, fuit commentatus. Est autem Inscriptio, finiente illam eodem Weisio, *Oratio verbis solutis Poesin imitata, argutis sensibus laudem aut vituperium alicujus referens.* Est enim medium quid Inscriptio inter Oratoriam & Poesin, & ab Oratoria quidem dicendi libertatem illigatam, nec pedibus metricis adstrictam, a Poesi luxuriem verborum, lususque poeticos, unde & libera Poesis *Juglari* dicitur, veluti mutuatur. Inter artifices Inscriptionum ejuscemodi, *Emanuele Thesauro*, Patritio Turinensi, nemo temere est superior, sive sacri, sive profani argumenti Inscriptiones contempleris. Et sacra quidem quod attinet, scripsit is *Elogia Patriarcharum* ab Adamo usq; ad Christum, quos in pastores, milites, duces, reges, solitarios ac sanctos distinxit; stylo certe ut conciso, ita arguto admodum ac peracuto. Hunc non infeliciter æmulatus est *Aloysius Juglaris*, Jesuita & popularis Thesauri; quippe qui præter XL *Elogia*, quibus Ludovici XIII Galliæ Regis vitam virtutesque complexus est, centum Inscriptionibus universam CHRISTI vitam comprehendit. Libri titulus sic habet: *Christus Jesus, h. e. Dei Hominis Elogia*, qui Genuæ A. 1641 in 4. Moguntiæ A. 1665 in 8 cum Elogiis Patriarcharum Thesauri prodiit. Fallimur? an Duum-Virorum horum vestigiis insistere voluit Vir generosissimus, *Rudigerus Christianus de Wedel*, qui hodieque Potentissimo Electori Brandenburgico a consiliis est judicialibus. Sane & ipse Elogia ejusmodi sacra scripsit, eaque, ut titulus præ se fert, ad ductum Evangeliorum concepta. Ostendere autem hoc ipso Autor voluit, in Aulis quoque, sub probo inprimis Principe, non frigere plane pietatis studium. Et vero non doctum tantummodo atque argutum, sed pium quoque ac devotum his ipsis Elogiis legenti cuique se Autor approbat. Non diffitetur autem ipsemet, stylum non per omnia esse æqualem, nec totidem super eadem materia reperiri in hoc libro meditationes; scribendi etiam venustatē hic adhibendā desiderari posse, eo quod a XXIV anno ætatem in judiciis, aliisque publicis functionibus transegerit;

facilius

facilius etiam laborem cessisse sibi, quoties de Salvatoris miraculis & factis, quam ubi de dictis ejus ac parabolis consignandum quid fuerit. Sed de his ipsi lectores viderint. Cæterum uti sacra hæc Elogia *Friderico Wilhelmo Magno*, Domino suo indulgentissimo, consecrare instituerat nobilissimus de Wedel, ita, hoc spe citius terris hisce erepto, felicissimo ejus successori Friderico III non dedicare ea non potuit. Et hinc duplex dedicatio præmissa Elogiis deprehenditur.

CAPITA DOCTRINÆ ET PRAXIS CHRISTIANÆ insignia ex LIX illustribus Novi Testamenti dictis deducta, & Evangeliis Dominicalibus in concionibus A. 1677 Francofurti ad Mœnum habitis applicata a Philippo Jacobo Spenero D. & Seniore Evangelici Ministerii Francofurtensis.

Francofurti, impensis Joh. Dav. Zunneri, 1689, in 8.

Constat plagulis 30.

HUnc libellum ob argumenti similitudinem priori haud immerito jungimus. Continet enim selecta quædam religionis Christianæ capita, quæ Theologus Summe Reverendus Dn. *Philippus Jacobus Spenerus*, hoc tempore Potentissimo Saxoniæ Electori a concionibus aulicis primariis, & consiliis ecclesiasticis, dum adhuc Francofurtensi ad Mœnum ecclesiæ præesset, ex illustribus nonnullis Novi Testamenti dictis deduxit & in concionibus publicis A. 1677 habitis ad pericopas Evangelicas, quæ diebus dominicis & festis explicari in publicis ecclesiæ conventibus solent, applicavit. Equidem hæc ipsa doctrinæ & praxis Christianæ capita jam A. 1680 Germanice, prout a Venerando Autore concepta & populo proposita fuerant, typis impressa & operi majori integras homilias continenti, quod inscribitur: des thätigen Christenthumbs Nothwendigkeit und Müglichkeit/ i.e. *Christianismi actuosi necessitas & possibilitas*, inserta novimus. Verum cum Vir quidem haud minus incomparabili doctrina quam natalium splendore & meritorũ in rem publicam gloria Perillustris, cujus pietatem & modestiã tacite vene-

rari, quam celeberrimum Nomen contra nutum evulgare malumus, haud exiguum cœlestis sapientiæ gustum inde percipi sentiret, operæ se pretium facturum censuit, si has meditationes ex majori concionum opere excerptas, in gratiam eorum, qui Germanicæ linguæ minus periti sunt, vel majori illo opere carent, Latine redderet. Nec improbavit hoc consilium Magnificus Autor, sed versionem sibi communicatam luci publicæ exponendam duxit, in præfatione monens, generosissimum Interpretem, etsi augustioris & nitidioris styli facultate polleat, simplicius tamen dicendi genus, & quod huic materiæ aptius esset elegisse; dicta vero Scripturæ juxta Vulgatum adduxisse, indeque nonnunquam fieri, quod sententiarum, quibus probandis adhibentur, sensum haud satis exprimant; nonnunquam tamen, ubi Vulgatus a scopo nimis aberravit, Lutheri versionem Vulgatæ subjungi.

HISTOIRE DES REVOLUTIONS D'ANGLEterre sous le Regne de Jacques II. &c.

id est,

Historia Mutationum Angliæ sub Regno Jacobi II. usque ad coronationem Guilielmi III.

Amstelodami, apud Henr. Desbordes 1689, in 12.

Constat plagulis 20.

Simili Historiæ in Gallia, a cujus Scriptoribus hodiernis nonnisi
pag. 1 satyræ vel panegyrici expectandi dicuntur, adornandæ, libello hoc, qui majori veritate nitatur, obviari Præfatio innuit. Primitus ostenditur, quomodo Anglia tragicorum semper eventuum theatrum fuerit, nec, nisi Pontificii omni ibidem potentia exuantur, tale & deinceps esse desiturum sit: quomodo etiam ab *Henrici VIII* temporibus Romano-Catholici, ut Pontificio jugo illam denuo subde-
3 rent, nihil non tentaverint. Eo tendisse *Caroli I* matrimonium cum Galliæ Regis filia contractum, & inspirata *Carolo II* & *Jacobo II* tunc exulibus Jesuitarum dogmata, eoque fratrem eorum tertio genitum *Glocestriæ* Ducem brevioris fuisse vitæ, quod aures illis præbe-
5 re noluerit. Apparuisse idem consilium ex conspiratione in *Caroli II* præter

præter ſpem diutius viventis caput A. 1678 conflata, ſed a D. *Tito Oa-*
tes tempeſtive detecta, quam Parlamenti decreta de Pontificiis a
ſeſſione jureque ſuffragii, & *Jacobo* tunc *Eboracenſi* Duce a ſuc- pag. 7.
ceſſione in perpetuum excludendis inſecuta fuerint, qui favore Regis
ſignationem Decreti impedientis ad ſedandos Scotiæ motus miſ-
ſus, rebus etiam feliciter geſtis, Anglis nihilominus ſuſpectus man- 17.
ſerit. Poſt novam, quam Jeſuitæ machinati fuerint, conſpirationem
de Rege & Fratre (etſi quoad hunc totius negotii probe conſcium,
omnia ſimulate agi debuerint) pugione ſimul confodiendis revelatâ,
multis innocentibus in ſocietatem ſupplicii tractis, & intra 5 annos
67 Proceribus capite plexis, Angliam cruento macello parum abſi-
milem fuiſſe. Rege d. 16 Febr. 1685 non ſine veneni ſuſpicione vivis 20.
exempto, & Fratre ſucceſſore variis gratulationibus (inter quas *Qua-*
kerorum Oratiuncula e Jeſuitæ cujusdam cerebro prodiiſſe dica- 27.
tur, veluti jam dudum multi hujus Societatis inter illos latere credan-
tur) excepto, & ſtatu tam civili quam militari firmato, in D. *Oates* 35.
Jeſuitarum calumnia ſententiam dictam eſſe, ut præter fuſtigationem,
& perpetuum carcerem, quotannis ignominioſo conſpectui publice
exponeretur. Qua occaſione idem *Oates*, jam ſeptuagenarius, ex 29.
Miniſtro Eccleſiaſtico Jeſuita antehac evaſerit, paucis hic ſimul at-
tingitur. Hinc Ducis *Montmouthenſis* (antea *Arkenii*) filii natura- 36. — 71.
lis *Caroli II.* ex puella quadam *Wallienſi* ſub matrimonii, uti quibusdam
creditur, promiſſione procreati, multisque dignitatibus a patre,
tenerrimo præ reliquis affectu eum proſequente, decorati infelicia
fata recenſentur, quomodo jurisjurandi ſui de ſolo patrio mutando,
& armis contra Regem aut ejus Succeſſorem nunquam arripien-
dis præſtiti immemor, *Malecontentis* ducem ſe præbuerit, ſed a ſuis
deſertus, & proprii canis indicio captus, rebellionis non minus quam
imprudentiæ pœnas dederit; quomodo etiam Comes *Argile* (qui
A. 1680 inter motus Scotiæ Edinburgi cuſtodiæ datus, ſed cum filia 56.
ipſum viſitante, cum cujus pediſſequo ſagum permutaverat, ſimul e-
greſſus, & ſyrmatis, quod ſervili miniſterio portatum in lutum delabi
ſiverat, a filia ex ſimulata indignatione in faciem impacti beneficio
elapſus, nullibi hactenus apparuerat) eodem tempore novarum rerum
in Scotia auctor, æque triſtem vitæ exitum expertus fuerit. Comme-
morata hinc ſevera in geminæ hujus ſeditionis intra bimeſtre repreſſæ

complices animadversione, qua se unum plures carnificis manu sus-
pag. 73. tulisse, quam omnes a *Guilielmi* Conquæstoris tempore judices, *Ge-*
orgius Jeffrey, cui Cancellarii munus inde præmii loco obtigerit, glo-
riatus sit; complures violenti & in despoticum plane arbitrariumque
degenerantis, quod *Jacobus* exorsus sit, imperii actiones longo filo
104. 76. deducuntur. Inter has præ aliis eminent interdictum de festo anni-
versario, in memoriam *Elisabethæ* & conspirationis pulverariæ, non
celebrando: Jesuitarum in consilium vocatio & Monachorum in-
88. troductio: quæsita modificatio, quin totalis abolitio legis *Test*, de
qua in Actis anni superioris pag. 569 seqq. uberius diximus: septem
98. item Commissariorum, qui rerum ad Jurisdictionem Ecclesia-
sticam pertinentium curam gererent, constitutio, eorumque violenta
167. satis, quam passim & imprimis contra *Collegium Magdalen*[...] Oxoni-
ense exercuerint, functio: nec non *Curiæ honorum*, Nobilitati non pa-
132. 215. rum formidabilis, instauratio: *Libertatis Conscientiæ* proclamatio:
169. 236. Nuntii Pontificii admissio: legum & privilegiorũ violatio: *Burne-*
211. *ti* ob Historiam Reformationis Anglicanæ, & septem Episcoporum
219. ob detrectatam Regiæ Declarationis, de libertate conscientiæ, recita-
tionem persecutio: Membrorum futuri Parlamenti Regi addictorum
selectus, & complures alii, quos consulto præterimus, violenti regimi-
nis & Papismi introducendi nimium evidentes prodromi. Quibus
omnibus populus non potuerit non irritari, ita ut militia etiam ad
249. *Testi* legumque pœnalium abolitionem promovendam sollicitata, ob-
sequium detrectaverit. Et licet Rex ab uno extremo ad alterum pro-
265. gressus, 4 annorum telam intra 20 dies retexens, Commissariis ec-
clesiasticis abdicatis, Collegio Magdalenæo restituto, privilegiisque
Civitatum redditis, proximo Parlamento plenam de revocatione
Testi statuendi libertatem promisisset, tantum tamen abfuisse, ut dif-
273. fidentiam omnem eximere potuerit, ut potius Principis *Orangii* clas-
sisque Hollandicæ adventus summo desiderio expectari cœperit,
293. postquam peculiari libello *septem* querelarum capita pluribus ex-
posita essent. Narratur inde, quomodo animosissimus Princeps,
Schombergio comite, cum 65 navium classe 21000 hominum transve-
ctura d. 30 Oct. superioris anni ex Hollandia solverit, & licet adversa
tempestate, quæ in Gallia aculeatis scommatibus, ingeniosa tamen
ab aliis inversione refutatis, in triste omen versa fuerit, portum repe-
tere

tere cogeretur, denuo inde egressus d. 15 Nov. memoriæ *Conspirationis pulveraria* sacro, in littore occidentali exscensione facta magno ubiq; applausu exceptus fuerit. Rationes, quæ tam Principem ad trajiciendum in Angliam, quam Status Fœderati Belgii ad assistendum Principi permoverint, ex subjectis eorundem *Declarationibus*, quibus justitia instituti, *tranquillitatem Regni* unice respicientis, prolixe asseritur, clare satis addiscere est. Refertur porro, ut Rex *Jacobus*, adventu successuque Principis intellecto, Parlamentum quidem indixerit, sed animi anceps, literis circularibus revocatis, Reginam cum filio in Galliam præmissam & ipse sequi constituerit: ut venti contrarii vi retro actus, & *Feversbamii* a rusticis, sub ementita veste Jesuitam latere & argento gemmisque onustum fugam meditari credentibus, detentus fuerit: ut libera, quorsum vellet, se recipiendi facultate a Principe promissa, primum *Londinum*, hinc *Rochestriam*, & inde literis, quibus fugæ causæ explicantur, ibi relictis, mense Januario hujus anni in Galliam trajecerit, ubi Rex confœderatus benigne regium advenã exceperit, & in propensi affectus signum monetam, quæ Anglum dextræ Galli assidentem cum verbis: *sede a dextris meis &c.* primæ quoque concionis coram illo habitæ argumentum suggerentibus, exhibet, cudi, & paulo post paucis navibus instructum in Hiberniam, ubi *Tirconellum* sibi adhuc addictum habebat, transvehi curaverit. Memoratur inde, quod post Regis fugam in *Conventione* Proceres quidam Angliæ, & *Consilii* Scotiæ Deputati, negotiorum publicorum administrationem Principi obtulerint, qui summa eam cura exorsus Nuntium Pontificium honeste habuerit, & ne Jesuitis vel cuiquam religionis causa molestia crearetur, omnesq; vel discedere vel remanere cupientes securitate publica gauderent, maximopere caverit, & quia Parlamentum non nisi a Rege convocari potest, aliam interim *Conventionem* indixerit, in qua Proceribus congregatis, articulisque certis, qui correctionem præteriti, & futuri regiminis formam respiciunt, consignatis, Principi ejusque Conjugi ex Hollandia accersitæ Regia dignitas, cui Jacobus actionibus suis renuntiasse intelligendus esset, addicta fuerit, ita ut Regina sine liberis decedente, successio ad *Annam* Georgii Principis Daniæ Conjugem ejusque liberos devolveretur, & post illos ad Principis Orangii liberos, si ex alia conjuge tales eum suscipere contingeret, reverte-

pag. 364.
310. 315.
344. 376.
361.
382.
388.
401.
390.
447.
392. 404.
398.
410.
422.

verteretur, Principi administratione rerum per vitam relicta. De alia quoque *jurisjurandi fidelitatis* formula conventum esse perhibetur, qua Regi Reginæque fidelitas & obsequium promittitur; doctrina, a Papa excommunicatos Principes deponi vel necari a subditis posse, damnatur; & ulli Principi, Præsuli vel Statui extraneo, ullam jurisdictionem, superioritatem, præeminentiam, seu autoritatem secularem vel ecclesiasticam in Regnis competere debere, negatur. Ipso
pag.429. proclamationis regiæ actu subsecuto, *Conventio* autoritate Regia in *Parlamentum* transmutata dicitur, & haud obscura de *Episcopalibus* & *Presbyterianis* uniendis spes concepta. Nervosa etiam Regis
431. *Oratio* de ratione stabiliendi regiminis, & sumptuum in expeditionem Hibernicam Gallicamq; erogandorum necessitate habita, eum effectum consecuta narratur, ut magna vis pecuniæ promte promitte-
457. retur. Refertur denique quo modo coronationis cerimoniæ ab Episcopo Londinensi, *Burneto* Episcopo nunc Salisburiensi & Cancellario ordinis periscelidis verba faciente, peractæ fuerint, Principique Daniæ Baronatus *d' Okingham*, Comitatus *Kendall*, & Ducatus *Cumberlandiæ* axiomata, Duci vero Schombergio jus indigenatus & primaria rerum bellicarum cura decreta. Ut mira adeo rerum in
419. Anglia catastrophe fidem fecerit, præsagium Poetæ cujusdam Flandrici, Principi, dum nasceretur, eum defensorem legum, Regem, potentissimorumque Regum terrorem futurum, prænuntiantis, item
420. phænomenon illud coronæ Arausione, teste *Chambrunio* Theologo, A. 1665 visæ, & A. 1688 VI Maji iterata vice conspectæ, *Zulychemiique* Epigramma eo alludens omine tunc non caruisse.

LIBRI NOVI

Horti Malabarici pars IX, de herbis & diversis illarum speciebus. Amstel. 1689. fol.

Joh. Munnicks Chirurgia ad praxin hodiernam accommodata. Trajecti ad Rhenum, 1689, in 4.

Joh. Marckii in Apocalypsin Johannis Commentarius. Amstelod. 1689, in 4.

Parallela Sacra & Profana, seu Notæ in Genesin, authore Joh. Bompartio. Amstel. 1689, in 4.

Henrici Hulsii de Molitione, Opere ac Sabbatho Dei Liber unus. Lugdun. Bat. 1689, in 8.

Cornelii von Eck Principia Juris Civilis secundum ordinem Digestorum. Franequeræ, 1689, in 8.

Frid. Spanhemii Summa Historiæ Ecclesiasticæ. Lugd. Bat. 1689, in 12.

L' Apocalypse avec une Explication par Mr. J. B. Bossuet. A Paris 1689, in 8.

Explication des quelques Difficultez sur les Prieres de la Messe; par Mr. J. B. Bossuet. A Paris, 1689, in 12.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris Anno M DC LXXXIX.

Die Ehre des Hertzogthums CRAIN/ außgebreitet von Johann Weichart Valvasor/ Freyherrn ꝛc.

sive,

Gloria Ducatus Carniolæ, explicata per Johannem Weichardum Valvasor, Baronem, ditionis Carniolensis in Inferiori Districtu Capitaneum & Societatis Regiæ Anglicanæ Sodalem.

Laba[illegible] apud Wolfg. Maur. Endterum, Bibliop. Norimb. 1689. in fol. Tomus I.

Constat plagulis 186.

CArniolam, inter ditiones Serenissimæ Domus Austriacæ haud postremam, qua ratione e tenebris, (queis hactenus non sua, sed Cosmographorum culpa, parce nimis de ea dicentium, involuta latuerat,) in lucem proferre sategerit *D. Joh. Lud. Schönleben*, retulimus jamjam *in Actis anni 1682, pag. 380 seqq.* Ejus exemplum secutus, eodemque, quo ille, patriæ amore stimulatus alius nunc se nobis commemorandum sistit scriptor, nempe perillustris *Valvasor, Baro de Galleneck & Neudorff, Dynasta in Wagensberg & Lichtenberg:* qui cum animadvertisset, Schonlebium in egregio suo, cujus mentionem modo fecimus, opere exteras fere res magis, quam indigenas curasse, laborique præterea huic immortuum multum in eo imperfectionis reliquisse, uberiorem mox de Ducatu hoc tractationem moliri cœpit: cumque antea jam in animo habu-

isset, Carniolæ chronicon provinciale, nec non miracula naturæ ibi terrarum obvia tantum describere; mutato mox proposito, plenariam hujus Ducatus historiam tam naturalem, quam civilem consignare suscepit, tandemque non sine maxima opera & industria ad umbilicum perduxit. Nimirum omnibus ad ingens hoc opus absolvendum adminiculis destitutus, præter documenta nonnulla ex Cancellaria ipsi communicata, & paucula ista, quæ ex magno autorum cumulo hanc in rem delibare ei licuit, necesse habuit pleraque ex propria experientia ac indefessa indagatione haurire atque sibi comparare: proindeque ipsemet passim montes atque valles hujus regionis peragravit, ac singula notatu digna perquisivit, situmque locorum utplurimum propria manu delineavit, suis potius quam aliorum oculis confidere edoctus: quemadmodum & antehac laudabili curiositate ductus, non Europæ modo provincias, sed ipsam quoque Africam longe lateque pervestigavit, nec uspiam viæ longinquitate a desiderio res rariores, naturales potissimum persequendi deterritus est. Vol. I. pag. 417. Quo vero nitidius præsens hoc suum opus, maxime quoad styli Teutonici puritatem, evaderet, expoliendum illud commisit *Dn. Erasmo Francisci*, *illustrissimorum Comitum de Hohenlob & Gleichen Consiliario*, scriptis quamplurimis in Germanica lingua hactenus editis inclyto; qui proinde non solum stylo suam adhibuit limam, sed & librum ipsum, Autoris bona cum venia, passim relationibus ac historiis parallelis, nec non observationibus & annotationibus, tam naturalibus quam moralibus, elucidare ac amplificare sategit; quemadmodum etiam *Liber I & V.* in præmissa dedicatione eidem ex toto accepti feruntur. Nimirum *quindecim* in universum *libris* labor hic absolvitur; qui in *quatuor Tomos* ita dispescuntur, ut trium anteriorum unoquoq; quaterni, postremo vero tres libri comprehendantur, quorum singulis quid pertractetur, paucis exponemus.

Ac *primus* quidem liber fere circa solam nomenclaturam tam provinciæ ipsius, quam incolarum antiquorum modernorumque occupatus est. Tom. I. pag. 38. De provincia, quæ hodiernis habitatoribus *Krainska des Kela* vocatur, refertur, eam quondam sub variis per temporum intervalla nominibus venisse, Japydiæ puta, Pannoniæ, Tauriscíæ, Norici, Istriæ, quarum nempe regionum partem una fecisse haud obscure videatur: novissimum vero *Carniola* seu *Carniolia* nomen vix

vix extare ante Paulum Warnefridum Diaconum, qui tempore Desiderii, ultimi Longobardorum Regis floruerit circa annum 760, & Eginhardum, Ludovico Pio coævum. Incolæ antiquissimi sub populis Chittim, item Hyperboreorum, Scytharum, Celtarum, Gallorumque priscorum appellatione latere perhibentur: qua occasione, ne materia libro deesset, interpres *Francisci* in varias antiquitates nostræ Germaniæ evagatur, de quibus dicere hic nil attinet, maxime cum plurima ad rem magis facientia suppetant.

Liber *secundus* lectori sistit Topographiam Carniolæ generaliorem, & velut prægustum præbet specialioris illius & singula loca sigillatim pertractantis, quæ in libro undecimo subsequitur. Hic nimirum initio exponuntur limites hujus Ducatus & regiones ipsi conterminæ, a quibus undiquaque cingitur; tum summaria sequitur consideratio incolarum hujus temporis; qui intuitu externi habitus sat robusti, & ad labores, frigora aliasque molestias perferendas adsueti, adeoque ad militiam subeundam perquam idonei, victu etiam simplicissimo contenti prædicantur: religionis vero pro- pag. 102.
fessionem quod attinet, fidei Romano-catholicæ addicti sunt; cui & ipse Autor noster semet adscribit, solenniter hinc in præfatione protestatus, se pro non scripto ac nullo declarare, si quid hoc in opere contentum sit, quod ulla ratione in sanctiones Ecclesiæ Catholicæ impingat iisve adversetur: ea tamen incolarum pars, quæ sub nomine *Usgokorum* venit, Græcæ communionis ritus maxime servare fer- 104
tur. Porro subnectitur partitio universi Ducatus, civitates omnino 21, oppida 39, pagos plusquam 4000, arces 254 comprehendentis; 115. & 539.
non connumeratis tamen illis locis, quæ sua lingua *Tabor* nuncupant, suntque rudera munitionum in montibus quondam excitatarum, quo refugium adversus hostium irruptiones præberent. Ipsam regionis divisionem quod concernit, improbatur eorum scriptorum traditio, qui eam aut bipartiuntur in Carniolam irriguam & siccam, aut in tres portiones distinguunt, nempe superiorem, inferiorem, & tractum Laybacensem: utramque enim hanc fundamento destitui noster arguit: rectiorem vero & normæ regiminis descriptionique in 101.
actis publicis congruam tradit eam, qua in *quinque* partes dispescitur, Superiorem puta, Inferiorem, Mediam, Interiorem, ac denique Istriensem portionem; harum enim quamlibet in publicis, quæ subinde

fiunt, subditorum evocationibus separatim considerari proprioque subesse Capitaneo perhibet. Tandem quamlibet harum regionum seorsim pertractat, & cujusvis fines, urbes, vicos, arces, monasteria, parochias, postarum stationes, pagos praecipuos, montes, valles, sylvas, vineta, fontes, lacus, thermas, quas ibi locorum
pag. 149. generali appellatione *Töplitz* vocitant, rivos, specus, speculas deni-
227. 172. que distinctim enumerat. Per speculas vero significamus loca eminentiora maximis lignorum acervis instructa, quos extemplo speculatores, cum primum vicinos Turcas irrumpere sentiunt, explosis simul aliquot mortariis majoribus incendunt; quo sic signo hoc per vicinorum montium incendia similiter propagato, rumor mox totam ditionem pervadere, & intra trihorium circiter omnes incolae de hostium incursione certiores fieri, & semet aut ad pugnam aut ad fugam parare queant, quae loca communiter *Kreutt*- sive *Creutz-feuer* nuncupantur. Haec inquam singula distinctis capitibus ac nominatim recenset Autor; facta simul in transitu mentione, quaenam singulis in locis naturae miracula occurrant; de quibus tamen, cum in sequentibus duobus libris plenius repetantur, hic nihil opus est dicere.

Nimirum continet liber *tertius* potissimum historiam Carniolae physicam, & quid quoad singula naturae regna istic memorandum veniat. Ubi primo quod situm attinet, montosam valde regionem esse apparet, non exiguam Alpium portionem complectentem;
302. tem; quas inter aliquae *Feistricenses* a vicino tractu dictae, juxta dimensionem a nostro institutam, 10274 pedes geometricos altitudine adaequant: unde erroneam evincit eorum opinionem esse, qui montium nullum ultra 8000 pedes adscendere tradiderunt. Potiores ejus montes nec antiquis Geographis ignoti celebrantur Carvan-
299. ca, Carusadius, Cetius, Ocra, Albius, Phlygadius, Alpius, Picis, quorum singulorum situm determinare laborat Autor; speciatim
301. Cetium ait esse longissimum jugum, & Laybacum cum Vienna, utut 50 milliaria Germanica distante, jungere, adeoque Austriam cum Carniola continua veluti catena connectere, cujus certa portio hodie nuncupetur *der Kalenberg*. Inter fluvios ducatum hunc pervadentes, qui porro enarrantur, agmen ducit *Savus*: qui hoc in tractu
157. ob saxa cursum ejus subinde sufflaminantia, tanta rapiditate ferri dicitur,

tur, ut Rheni aquas prope cataractam Schafhusiensem adhuc superet impetu, nec adeo navium patiens sit, nisi ex unico arboris trunco excavatarum. Flumen *Wipach* etiam non incelebre est, Romanis Pag. 305.
antehac sub nomine *Frigidi* non ignotum: quam ipsam appellationem a Nic. Heinsio pro mero epitheto perperam acceptam fuisse, obiter notatur. Non vulgare est, quod de rivo, cui *Reka* nomen, ad- 275.
ducitur, eum aliquoties post primam scaturiginem intra terram semet abscondere, iterumque emergere, tandemque emenso quatuor milliarium itinere subterraneo, denuo erumpere, sub alio tamen *Ti-* 273.
mavi titulo; de cujus fontium numero haud exigua inter antiquos scriptores discrepantia adducitur ac quodammodo deciditur. Progreditur hinc Autor ad aeris Carniolensis temperiem, quam quidem non ubique eandem, sed pro locorum, etiam non ita dissitorum, diversitate multum variare ait: sic ut eodem tempore, quo in parte Ducatus Interiore jam mala persica & uvæ maturescunt, e contra in 108.
Superiori Carniola vix cerasa ad perfectionem pertingant, ut quæ nonnunquam circa festum Michaelis demum de arboribus decerpantur; cum tamen inter utrumque hunc tractum nonnisi sylva inter- 135.
jaceat tria circiter milliaria latitudine continens. Porro tempestuosum valde clima hujus regionis esse oportet, dum non tantum singulis prope per æstatem diebus tonitrua istic audiuntur; sed & grandi- 321.
nis imbres tam frequentes irruunt, ut inde quotannis minimum quinta frugum nascentium pars, variatis modo locorum vicibus, regulariter perdatur: quod quidem a vulgo communiter sagarum, non infre- 310.
quentium, malitiæ tribuitur: unde & familiare ipsis est, ut quamprimum nubem obscuriorem suboriri cernunt, mox ad campanas templorum accurrant easque magna vi exagitent: (ex quo continuo nolarum sonitu Autor fieri ex parte arguit, quod pluviæ quandoque, dissipato scilicet nubium agmine, diu satis nonnullos istorum tractuum destituant:) quod si ne sic quidem tempestatem ingruentem dispelli animadvertant, vocatur in subsidium parochus, qui ante templum stans nubes exorcismo ferire jubetur: qui ipse tamen omni li- 180. 312.
cet opera adhibita, quandoque vix a verberum grandine tutum se præstat, a furibunda rusticorum plebecula ipsi intentatorum, utpote quæ damnum nimbi talis violentia agris illatum magna ex parte istius imperitiæ imputat, quod nempe diris non satis efficacibus nubes

incessere didicerit. Cæterum aerem Carniolensem robustum satis
ac vegetum corporis habitum indigenis conciliare, vel inde evidens
est, quod ibi senes, utut nonnunquam centenarii prope, raro tamen
plene canescant, sed plerumque externam servent speciem, ac si vix
pag. 322. 50 aut 60 annos explevissent: quodque regulariter, per omnem fere
Carniolam, plures per annum nasci, quam denasci soleant. Rustici
præprimis tam durato corporum robore esse perhibentur, ut rivos
152. sat rapidos nec parum profundos media etiam hyeme non solum ipsi
vadando transeant, sed & viatorem una cum sarcinis suis transvehant
humeris impositum: tametsi & alicubi flumina superare grallis insi-
stentes consueverint. Quod si tamen contingat, ruricolarum ali-
quem morbo corripi, remedia sponte nascentia facileque parabilia
373. adhibere norunt; cujus generis varia ab Autore communicantur,
speciatim oleum olivarum aceto mixtum & potu adsumtum; imo non
raro acetum solum panaceæ loco ipsis æstimari dicitur. Non mi-
rum, si huic cœli salubritati pariter & soli fertilitas respondeat: hæc
etenim tanta esse prædicatur, ut arva quotannis binas messes culto-
304. ribus suis largiantur; alteram quidem siliginis aut tritici legumi-
numve, alteram fagopyri: hoc etenim frumenti genus, quod ipsi *Ha-
den* seu *Aida*, Germani *Heidelkorn* & *Buchweitzen* vocant, commu-
347. nissimum plebi panem ac victum præbens, mox post collectam pri-
mam illam segetem agris committitur, quo adhuc ante hiemis adven-
tum pariter maturescere possit: ac ne fortean prior illa messis ob hu-
midam tempestatem in longum protrahatur, adeoque secundariam
hanc sationem retardet, frumentum a solo separatum non relinqui-
tur in campis, donec plene siccum evadere queat; sed extemplo ma-
nipuli convehuntur, ac in certum pegma ligneum, quod ab aliquali
figuræ similitudine *Citharam* seu *Harpfen* nominant, simplici ordi-
ne in struem componuntur, ubi nempe a pluvia tuti, & libero nihilo-
minus aeri perflabiles, satis ad siccandum spatii habent. Depictam e-
jusmodi Citharam rusticam exhibet *pag. 105*, quemadmodum & ali-
as figuræ æneæ sat magno numero totum huncce librum passim de-
clarantes partim, partim exornantes adimplent. Nec exiguum porro
347. fertilitatis argumentum præbet, quod unus milii sati modius aliis o-
ctoginta modiis messorem beare soleat. Inter reliquas fruges, in qui-
bus recensendis non erimus prolixi, vinum eminet, cujus varia ge-

nera

nera hic locorum ubere proventu crescunt; quæ quidem limpiditate alicubi aquæ puræ nil quicquam cedunt, at nihilo secius gustui generositatem suam abunde probant. Reperitur quoque nonnullis in pag. 352.
sylvis genus quoddam uvarum agrestium baccis nigris & parvis, sed acidissimis; quæ utut collectæ temporis successu dulcescant, rarius tamen in usu habentur. E reliquis hujus terræ vegetabilibus notamus adhuc *Hederam*, tanta ibi subinde crassitie conspicuam, ut facile tres cubitos circumferentia trunci adæquet; item *Juniperum*, 354.
baccas maturas coloris perfecte coccinei seu scarlatini ferentem; qualis in tractu Istriensi potissimum reperitur, cum in aliis hujus Ducatus partibus nigros modo, ut alibi, fructus gignat. Præter alios, quos præbent, usus baccæ hujus fruticis, adhibentur ab incolis mediocris fortunæ ad conficiendum potum quotidianum, quem hoc modo parant: vasculum ligneum media parte baccis juniperi replent, reliquum spatium aquæ superinfusæ relinquunt; ita duas vel tres hebdomadas obturato orificio macerari eas sinunt, quibus exactis vas in fundo perforant, ex quo quantum lubet quotidie extrahunt, tantum aquæ recentis superius reaffundentes, quantum qualibet vice liquoris infra effluit; id quod ad sex aut septem menses continuare licet: qui potus non linguam solum grata acrimonia afficere, sed & sitim egregie extinguere per æstatem dicitur. Flores quoque in Carniolia multiplici varietate luxuriare hinc evidens
est, quod ibi *anemonum* triginta quinque diversæ species, *ranun-* 372.
culorum plusquam octodecim, *hyacinthorum* ultra septuaginta
numerari feruntur. Inter mineralia hujus regionis eminet cum fer- 381.
rum, cujus variæ fodinæ indigitantur, ac fabricæ delineantur; tum
argentum vivum maxime, cujus fodina *Hydriensis*, anno 1497 pri- 397.
mum casu fortuito detecta, pluribus describitur: quam in rem communicatur non solum antiquum carmen Germanicum, rythmi simplicitate seculi istius genium satis referens, qua historia inventionis pluribus continetur; sed & adducitur descriptio hujus fodinæ a *D. Gualtero Pope* concepta, quæ jam tum *in Actis Societatis Anglicanæ anni 1665 mens. April.* reperitur, prætereaque varia ad pleniorem ejus cognitionem facientia ex propria Autoris experientia adjiciuntur;
qui etiam vulgatam istam fabulam refutat, qua creditur Hydriæ pa- 413.
rari argentum ex Mercurio; qua occasione obiter vanitatem jactati toties

toties lapidis Philosophici perstringit, utut non diffiteatur, propriis nempe experimentis convictus, alia metalla in aurum tingi posse, verum non aliter, quam ope concentratæ cujusdam extractionis auri,
pag. 435. sed quæ majori cum damno, quam lucro paranda prius sit. *Marmor* insuper Carniolensis terræ viscera magna satis quantitate continent, cujus *tredecim* distincta genera variis coloribus conspicua enarrantur. Sicut autem ex hactenus dictis videre est, naturæ regnum tam vegetabile, quam minerale sat dives esse, ita non minus regnum animale
443. varia continet non alibi facile obvia. Sic v. g. *aquilæ* in Carniola non infrequentes reperiri feruntur, tantæ sæpius magnitudinis, ut integras oves, unguibus comprehensas, vivas per aera absportare vale-
450. ant; item numerosæ *columbarum* turmæ, in spatiosis montium cavernis hybernacula quærentes, at vere redeunte uno agmine multis myriadibus rursum evolantes ac per totã regionem semet dispergentes;
230. 684. *lucii* pisces 20 aut 30, imo nonnunquam 40 libras pondere adæ-
715. quantes; *trutta* coloris purpurei, quæ viginti quinque non raro li-
200. bras pendunt; *cancri* fluviatiles tam ingentes, ut eorum quinque una sumti procerum virum longitudinis mensura superent, de qui-
453½. bus præterea refertur, eos alicubi fistulæ sono e latebris prolici atque sic magno numero capi; porro pisciculi tam minuti, ut ipsorum vi-
236. ginti aut triginta facile uno bolo deglutiri queant, quos *Pfrillen* vo-
143. citant; *viperæ*, crassitie brachii humani, utut vix tres spithamas lon-
459. gæ; *scorpiones* item ingenti numero sub Alpium saxis latitantes, ac inde in exteras terras venum exportari soliti; (contra quorum ictum, familiare Carnis præservativum simul communicatur, nimirum jubetur quis de herba Persicaria tria folia jejunus comedere die pentecostes, atque sic in perpetuum ab eorum noxa tutus fore creditur;)
458. denique vermes in senticetis fere reptantes, longitudine dimidii digiti & calami scriptorii crassitie, splendidam nocturno tempore lucem de se spargentes, & quidem non aliqua tantum sui portiuncula, uti cicindelæ solent, sed toto corpore. Peculiarem vero considerationem merentur animalcula Carniolæ fere propria, quæ incolarum lingua *Pouh*, Germanice *Pilich* sive *Bilch* vocantur, glire nonnihil majora, coloris cinerei, sciuris non absimilia, totam hiemem intra terram latitantia, (quo tempore certum modo lapidis genus lambere ac cæteroquin absque alio cibo vivere dicuntur,) æstate


vero

vero tanto numero, in sylvis maxime fagineis, conspicua, ut aliquando eorum aliquot millia ex uno antro prodeant. Vulgo creduntur a diabolo ad pastum educi, & ad hunc finem scuticæ aut fistulæ sono ab eodem convocari, Sabbathi præsertim vespere aliisque festis diebus: addit fabula, eorum quodlibet ab infernali hoc pastore, ad primam comparitionem, incisura unica in alterutra auricularum velut signari; ac certe mirum est, incisuram talem (& quidem unam, non plures) in singulis conspici, quæ semel in apricum venerunt; juniora vero, utut jam fere adulta, quæ nondum ex arborum foraminibus, in quibus nidulantur, prodierunt, ea semper carere. Modos ea capiendi varios pluribus Autor exponit; non enim esui solum adhibentur, dum ob insignem, qua pollent, pinguedinē sale condiuntur ac in deliciis habentur, (nisi quod nonnulli ob vulgatam istam traditionem iis vesci recusant:) sed & pelles ipsorum, quibus adspersa calce nigræ conciliantur maculæ, magno numero divenduntur & ad fulciendas vestes inserviunt. Hactenus de libro hujus operis tertio.

Quartus, qui sequitur, non dissimilis argumenti est, nisi quod hic ad specialiora descendat naturæ opera: dicatus etenim unice est recensendis & plenius repetendis (pleraque enim jam in anterioribus libris citata fuere,) naturæ miraculis, seu rebus rarioribus, quas Carniola præ omnibus aut saltem plerisque aliis regionibus præcipuas nacta est; in quibus tamen, ne in immensum excrescat relatio, brevissimi erimus, pro pleniori talium cognitione ipsam jucundissimi hujus scripti lectionem curiosis commendantes. Et primo quidem loco commemorare lubet *Glossopetras* seu lapides in perfectam pag.144.
linguæ viperinæ similitudinem a natura efformatos, utpote quos non 467.
Malta solum gignit, ut vulgo creditur, sed Carniola quoque in quatuor distinctis locis; diversa quidem magnitudine, dum plerique unius circiter drachmæ sunt, alii vero ad decem prope uncias pertingunt. Sequuntur *cochleæ*, ostreæ, aliæque res *petrefactæ*, quæ variis 475.
in locis hujus ditionis reperiuntur; porro mons una cum rivo certis temporibus eructans *anaticulas* nigricantes ac prope implumes, nec 479.
ante 14 post eruptionem dies ad volandum aptas, admodum tamen pingues & gustui suaves; alius mons per cujus medium navigare licet, 481.
anfractuoso tamen & obscuro itinere; variæ *specus* diversis naturæ artificiis mirandæ, uti specus prope S. Servuli arcem, ubi inter alia mi- 497.

randa fons prosilit, qui res immundas non patitur, sed quam primum
talibus adhibetur, mox evanescit, & non nisi post aliquod temporis
spatium renascitur; & alia caverna prope *Podpetschio* tantæ capaci-
tatis, ut in ea chilias equitum commode in aciem disponi queat; la-
cu insuper ingenti subterraneo ac diversis siphonibus a natura fabre-
pag. 518. factis insignis; item *specus Adelspergensis & Luegensis*, quarum utra-
531. que Autore judice Baumannianam, celeberrimam licet, curiosa rari-
243. 553. tate longe vincit, prout ex prolixa utriusque descriptione latius vide-
re est. Speciatim de Adelspergensi refert noster, se iter duorum mil-
liarium in ea emensum, adminiculo facium accensarum, ast nemi-
nem adhuc ad ejus terminum pertigisse; cæterum locum ibi pro in-
tegris pagis extruendis sufficientem suppetere; præcipitia quoque
278. tam horrenda in eadem extare, ut lapis inde delabens vix binam post
recitationem orationis dominicæ sonum edere audiatur; præterea
simulacra amphitheatrorum, alicubi velut columnis ornata, variis-
que imaginibus serpentum, animalium, larvarum conspicua; pon-
tem quoque lapideum ibi reperiri, sub quo aqua profundissima præ-
terlabatur. Ulterius commemorantur quinque *antra* subterranea,
142. 541. quæ horridas tempestates subinde gignere feruntur; præsertim si quid
in ea projiciatur; (id quod de lacu Pilati in Helvetia olim creditum,
moderna diversorum experientia fabulosum esse comprobavit.) un-
165. de & mos est quotannis solenni supplicationum ritu eadem expiare:
562. quemadmodum & de monte *Kerma* perhibetur, quod circa istum, ad
excitatum scuticæ sonum, tempore meridiano mox tonitru cum gran-
171. 560. dine suboriatur. Aliæ porro *cavernæ* indigitantur naturæ lusibus
214. conspicuæ, una v. g. quæ irrepentes ab aurium vitiis, alia quæ a dorsi
273. 517. doloribus liberat; alia quæ per totam æstatem glacie riget; alia fri-
283. gidissima quidem, sed quæ vinum in lagenis ad refrigerandum illuc
reconditum mox vappescere & fœtere facit. *Rivi* etiam diversi singula-
595. ribus pollentes proprietatibus commemorantur, quorũ alius regula-
riter non nisi hora 9 antemeridiana & 12 nocturna, nec qualibet vice
ultra quadrantem horæ fluens, quandocunque tamen prope scaturi-
ginem conto irritatur, cum impetu erumpit & sic aliquandiu manat,
cujus aqua scabiosis ut & parturientibus conducere creditur; alius
600. linteaminum sordidorum impatiens, uti alius pecorum ad aquandum
appulsorum, fonte utrobique aliquandiu aquas retrahente; alius in
quo

TAB. XIII. ad A. 1689. pag. 55



quo pisces cancrive injecti mox emoriuntur, licet aqua hominum u- pag. 238.
sibus in cibo ac potu inserviat nec insalubris sit; alius qui molæ, quam 606.
impellit, rotas crusta lapidea sensim obducit. Nec *stagna* desunt mirabilibus rebus insignia, quale est quod molam in medio sui rarissimo artificio ædificatam habet rapidissimam, & una hora plus grano- 609.
rum comminuentem, quam aliæ intra quadrihorium faciunt, exemtilem tamen ob undas ex profundo, ob maris viciniam, subinde regurgitantes; aliud, quod parvam insulam natantem sustinet; aliud 588.
cujus pisces musco obsiti deprehenduntur; aliud nigras alens truttas, 611.
sed insalubres & febrim gignentes. Ex reliquis Carniolæ cimeliis 612.
physicis adhuc notamus *thermas Falckenbergenses*, continua vicissi- 614.
tudine fluxum & refluxum maris imitantes; *juglandem* prope pagum 579.
Loque, quotannis regulariter usque ad vigilias S. Johannis externa specie aridam, sed ipsa festi istius nocte & folia, & fructus mole illis nil quicquam cedentes, quos vicinæ arbores ferunt, uno velut impetu protrudentem; *cochleas* nigras, pugni magnitudine, sapore non 565.
inferiores ostreis, quæ in medio petræ durissimæ, cavernosæ tamen, viventes reperiuntur, postquam ea malleis comminuta est. Superesset adhuc indicandus famosissimus ille & inter maxima dubio procul naturæ miracula reponendus *Lacus Circknicensis* (cujus miræ proprietates jam antehac in relatione supradicti operis *D. Schönlebii* paucis verbis indigitatæ fuerunt,) quem scilicet Autor, non secus ac pleraque hactenus recensita, propria experientia plene percognoscere, rarorumque ejus effectuum causas ex principiis physicis & mathematicis adsignare fategit: sed cum nimiam inpræsentiarum prolixitatem merito vereamur, horum communicationem in aliud tempus differre cogimur, lectorem rogantes, ut accurata Lacus illius delineatione, qualis hactenus nondum extitit, quamque hic, prout propria Autoris manu confecta, & *pag. 631* inserta est, apponimus interim, contentus esse velit: quemadmodum & ea, quæ reliquis *undecim* hujus Tab. XIII.
Operis *libris* pertractantur, alia vice, volente Deo, recensebimus.

JOHANNIS DOLÆI MED. D, POTENTISSImi Hassiæ Principis Consiliarii ac Archiatri, S. R. I. Curiosorum Collega, Encyclopadia Chirurgica Rationalis &c.

Francofurti ad Mœnum. Sumtibus Friderici Knochii, 1689, in 4.
Conſtat plagulis 214.

INter Recentiores, qui Praxin non ſolummodo Medicam, ſed & Chirurgicam ad evidentiora Phyſices & Anatomes principia ſedulo reformare fuerunt annisi, apud Batavos cumprimis *Bontekoe*, *Overkamp*, *Blancardus*, *Muys*, *Solingen &c.* hactenus eminuere. Palmam tamen hiſce ſi non præripit, dubiam ſaltē facit Autor noſter Clariſſimus, qui haud contentus interna corporis noſtri pathemata morbida ſexennio abhinc in *Encyclopædia Medica* A. 1685 p. 131 a nobis recenſita dilucidaſſe, in Encyclopædia præſenti Chirurgica, quo fidem tunc datam coacervata inter Praxeos & Aulæ negotia liberet, ſimulque ſtrenuum utrobique agat Reformatorem, externis morbis eadem methodo extricandis operam addicit, eoque quidem, Præfatione innuente, promtius, quanto avidius Opus primum fuiſſe arreptum, vel ex novis hujus editionibus brevi temporis intervallo, & in Belgio bis idiomate eodem Latino, & ſemel in Anglia lingua huic vernacula repetitis, præter ſpem intellexit. Omnem ſiquidem Chirurgiam tyronum gratia ſeptem hic comprehendens *libris*, horum *primo* morbos Capitis externos, *ſecundo* Thoracis morbos, *tertio* morbos externos Abdominis, *quarto* morbos partium genitalium utriusque ſexus, *quinto* affectus artuum ſive variarum corporis partium tum magnitudinem vitioſe augentes, tum cutem deformantes, *ſexto* morbos artuum ſive variarum corporis partium tam magnitudinem vitioſe imminuentes, quā continuitatem diſſolventes, *ſeptimo* deniq; manuum & pedum in ſpecie morbos, capitibus diſtinctis ita pertractatos ſiſtit, ut ubivis quoad pathematum ætiologiam æque ac medelam, quid Anteſignanis illis famoſiſſimis, Galeno, Paracelſo, Helmontio, Williſio, Sylvio & Carteſii aſſeclis, pariter atque ſibi videatur, ultro pateſcat. Quod per ſingula nihilominus Libri cujusvis capita in præſenti deducere cum prolixū nimis ac tædioſum foret, ſufficere poterit, nonnulla ſaltem circa Autoris tum fundamenta, tū Obſervationes, tum Medicamina denique delibaſſe. Scilicet propriam Autor ſententiam circulantium humorū motui, cum Deaſtra Veterum Natura paria facienti, ſuperſtruit, internas morborum cauſas non niſi in ſuccis vel canalibus indagans, quorum illi defectu, acredine acida, mo-

Præfat.

da, motu tardiore vel crassitie peccare videantur, nunquam copia, in quantum, aliis nunc omissis rationibus, in morbos incidentes ad pondus librati leviores, quam sani dum erant, deprehendantur; horum vero sive canalium vitia Obstructio, Apertio, Inflexibilitas, Teneritudo, ac Motus convulsivus vel paralysis observentur; pedissequarum ad instar, pro reliquis morbis patrandis, Calculo, Pure, Vermibus, Flatibus ac Contagio interno sese habentibus. Quod vero Autoris Observationes, nec non medicamenta potissimum ea, quorum præparationem simul communicat, promiscue concernit,
Trepanationi sæpius præter fotus externos, injectiones in cerebrum pag. 69.
per nares anteponuntur. Fistulæ lachrymali cauterium Autoris 145.
indolens, quod ex cineribus fraxini sacculo linteo inclusis constat,
præcipitur imponendum. Succum taraxaci lacteum oculis instil- 171.
latum leniter mordicare quidem, attamen visui clarificando & cuticulæ in ungue absumendæ inservire optime. Vermem ex aure ali- 224.
cujus nuper egressum longitudine digiti, capite instar serpentis præ-
ditum. A cepa manibus comminuta nuchæ in filia 13 annorum appli- 414.
cita hæmorrhagiam narium, omnibus etiam nobilissimis remediis
incassum adhibitis, confestim fuisse sedatam. In Aphonia aliisque 447.
affectibus cephalicis, Astrum Autoris cephalicum, ex oleo succini
& camphora compositum, præ aliis conducere. In resolvendis tu- 625.
moribus strumosis linimentum Autoris ad scrophulas maximi videri
usus. E thorace suppurato infantis cujusdam tertium annum non- 681.
dum egressi, spicam frumenti materiæ purulentæ admixtam prodi-
isse. Modus exponitur, quo Chirurgus quidam Francofurtensis Al- 704.
macherus luxationis vertebrarum introrsum factæ restitutionem,
a multis pro impossibili plane habitam, soleat perficere. Neque 705.
dexteritas reticetur Chirurgi cujusdam *Melling*, Cassellis gibbosos
vinculo idoneo ad tempus suspendentis, ut vertebræ reponantur.
In cancro mammarum non exulcerato expertũ celebratur colcothar 651.
edulcoratum & cum aqua albuminis ovorum in cataplasma redactum. Vulnera Ventriculi non saltem superficiaria, sed & profunda 679.
Limburgi ac Deciæ sanata perhibentur. In viro quodã Francothalensi 706.
tempore pestis A. 1666 Hernia intestinali laborante, quamvis tumor indies majorem ruborem concipiens tandem gangræna correptus medicamentorum ope apertus fuerit, fæcesque intolerabili cum fœtore

tore emanarint, cum successu nihilominus felici remedia adpropria-
ta fuisse admota, ita ut æger etiamnum sanus degat, sed cibis copio-
pag. 708. sius ingestis eo loci tenuem transudantem percipiat lympham. Em-
plastrum Hoffmanni magneticum sæpius ullo absque levamine Her-
729. niosis adaptari perhibetur. Balsamus vitæ *le Mort* describitur in fi-
757. stulis sanandis præ aliis longe præstantissimus. In Scirrho viscerũ tin-
cturæ Antimonii volatili, nec non tincturæ martis cum sale essentiali
tartari interne, externe emplastro Autoris emollienti multum tri-
971- buitur. Nec minor virtus de Tinctura aperiente ac Tinctura Anti-
1010. monii solari in scirrho effertur uteri. In corpulentia nimia Autoris
essentiam tum lignorum, tum catarrhalem eximium præbere sudori-
1072. ferum. In Bubone pestilentiali eidem quoque scopo Tincturam
1075. ejusdem bezoardicam & pulverẽ bezoardicum satisfacere. Pro bubo-
1150. ne vero simplici dissolvendo Liquorem Autoris valere dissolventẽ,
æq; ac emplastrum ejus de Herba Thee paratum, in resolvendis tumo-
ribus rebellibus potentem existere. Puellam 10 annorum leprosam
1208. ac toto copore squamis crustosis coopertam solo Nostri pulvere su-
dorifero Mercurio antimoniali ad grana decem & ultra de die in diẽ
propinato, perfectam recuperasse valetudinem, quod remediũ tamen
Autor æq; ac Balsamum suum divinũ in vulneribus excellentissimum
1297. Mercurium solarem, Sal Mercurii &c. sibi servat arcanũ, quale & cos-
meticum ejus advertitur in cutis nigredine multoties expertum, ob
1300. Empyricos vero haud propalandum. Quod vero Anglis Cosmeti-
cum in nævis aliisque cutis maculis & tuberculis in usu sit, fida tradi-
1455. tur manu. Decoctis vulnerariis Essentia Autoris traumatica commo-
1522. de substituitur. In ossium autem fracturis præ aliis Emplastrum ejus-
dem ad rupturam ceu multis experimentis comprobatum extollitur.
1601. Clavis denique pedum extirpandis oleum lini vel profundius iisdem
prius incisis tepide illitum, vel linteo exceptum ac impositum sua-
detur certissimum.

JOHANNIS MUNNICKS, DOCTORIS ET Professoris Medici, Chirurgia ad Praxin hodiernam adornata.

Traje-

Trajecti ad Rhenum; ex officina Francisci Halma, 1689, in 4.
Constat plagulis 65.

CHirurgiam hactenus perlustratam alia nunc excipit Chirurgia, ab Autore e *Dissertatione de Urinis A. 1674 Trajecti ad Rhenum* edita, jam claro conscripta. Quemadmodum vero externi corporis nostri morbi solertiam Chirurgi efflagitantes quinario plerumque includuntur numero, ita eidem noster quoque insistens methodo, *quinis libris* omne negotium, demtis ubique superfluis, absolvit. Nempe *Lib.I.* de Tumoribus præter naturam agit in genere æque, ac in specie de Inflammatione, Furunculo, Epinyctide, Erysipelate, Oedemate, Tumore flatuoso (cujus resolvendi gratia solum oleum cucumeris asinini illitum aliquando proficuum advertitur, p. 35.) Testudine, Tumoribus tunicatis & aquosis, Scirrho, Bubone, Carbunculo, Gangræna & Sphacelo, variisque Affectibus cutaneis, quibus Strumas, Cancrum, Polypum, Epulidem, Ranulam, Aneurisma, Varices, Paronychiam, Hernias, ac ani demum & uteri prolapsum subjungit. Uterum namque revera locum quandoque mutare, propria experientia p. 186. dat comprobatum, ceu qua in muliere difficulter pariente, uterus cum incluso foetu in vaginam ad vulvæ usque orificium prolapsus ipsi innotuit, extra pudendum interno uteri osculo ad duorum digitorum latitudinem prominente. *Lib.* autem 2. vulnera explanat, horum Diagnosin, Prognosin & Curationem tam in genere tradendo, quam in specie Vulneris Carnis, vasorum, nervorum, cum contusione, venenati, sclopetorum, capitis, faciei aliarumque thoracis, abdominis & artuum partium. *Lib. 3* circa ulcera versatur consolidanda, sive simplicia hæc fuerint, sive variis accidentibus, v. g. vitioso humorum affluxu, malignitate, vermibus, ossis corruptione &c. stipata, sive particularia denique, oculorum, aurium, labiorum, oris, pectoris, abdominis, vesicæ urinariæ, pudendorum, ani atque artuum. Tandem *Lib. 4.* Fracturarum, pariter atque *Lib 5.* Luxationum medela & in genere, & in specie edocetur: ibi quidem Observationum vice mira fragilitas in muliere septuagesimum septimum agente annum scorbutica p. 429 enarratur; neque brevitatem membri semper pertimescendam esse, etiamsi ossis portio quædam abscissa fuerit, callo defectum hujus compensante,

Viri

Viri cujusdam Nobilis tibiæ ac fibulæ in medio circiter fracturam insignem perpessi p. 149 ostenditur exemplo; hic vero, ubi in luxatione cum vulnere os extra cutem protrusum sphacelo fuerit correptum, membri extirpationem omnino necessariam esse, Rustici cujusdam exemplo, post cruris prope genu ablationem demum brevi restituti, p. 484 illustratur.

REFLEXIONS SUR LES DIFFERENDS DE la Religion &c. i. e.

Considerationes controversiarum de religione, & probationes traditionis Ecclesiasticæ in singulis capitibus controversis, ex Gallice versis Patrum locis. Editio quarta, revisa & aucta.

Lutetiæ apud Gabrielem Martinum, 1689, in 12.

Constat plagulis 24.

P*ellissonii* nomen, ab opera in Reformatorum Gallorum conversione, quam vocant, præstita, notius est, quam ut cuiquam in legendis qui eduntur libris Gallicis versato, ignotũ esse possit. Huic tractatus hosce, jam quarta vice intra paucos annos editos, attribuendos esse, fama fert, & haud obscure *Tomo II pag. 511* innuitur. In præloquio indicatur, hos libellos non nisi majoris operis vel primitias, vel compendia esse. In primo (qui de examine controversiarum inscribitur) idem agit, quod perpetuo agunt Romanæ Hierarchiæ assertores, ut evincant, necessarium esse tribunal aliquod externum & infallibile, quod religionis controversias definiat. Examen enim, quod quisque ex Scriptura Sacra, accedente Spiritus Sancti gratia, privatim instituit, quibusdam impossibile, aliis difficile, omnibus inutile esse, ab Autore hoc statuitur. Invitat itaq; ad demonstrationem, quam molitur, Reformatos, quos fratres vocat, & bona
Sect. I. fide quosdam errare non negat, sed & periculum ostendit, si informationem rejiciant. Ad examen illud, ut ita dicam, individuale neminem ait obligatum esse. Deum enim, qui omnes vult
II. salvos fieri, medium certitudinis universale proposuisse, examen & judicium Ecclesiæ, semper visibilis & in monte positæ: at judicium

priva-

privatum difficillimum esse putat, neque sine perfecta & exacta Theologiæ cognitione fieri posse. Negat capita fidei necessaria tam Sect. III.
clare proposita esse in Scripturis, ut singuli de iis convinci possint. Allegat, quod omnes hujusmodi scriptores solent, Lutheri & Calvini certamina de verbis institutionis S. Cœnæ. Alia inde, quæ objiciuntur, & quæ secretiora appellat, in disquisitionem vocat. Negat IV.
sufficere capita fidei, quæ Protestantes ut bona & necessaria retinuerunt, rejectis quæ Romana Ecclesia ex traditione, quam vocant, servat. Schismatis etiam culpam iisdem imputat, licet quædam in Romana Ecclesia (quod tamen negat) erronea sint; ait enim capitalia non esse vel ex Protestantium principiis, nec eorum causa ab unitate Ecclesiæ discedere licuisse. Addit, quibus demonstret, falsam esse ideam de erroribus Ecclesiæ Romanæ, & sanctā V. VI.
puramque hanc esse, in qua sola salus quæri debeat, & qua exclusi damnationem effugere non possint. Redit postea ad impossibilitatem examinis privati ostendendam, & consilium subjungit, Reformatos exhortans, ut servato quidem modestæ indagationis studio, hoc tamen eo potissimum impendant, ut ex methodo Apostolicæ doctrinæ, in successoribus eorum conservatæ, autoritatem Ecclesiasticam agnoscant, accedente a veteribus novisque miraculis confirmatione. Suadet etiam, ut si supersint difficultates in judicio de quæstionibus controversis, majorem numerum sequantur, qui doctis non minus, quam indoctis securitatem præstet. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII.

Alter tractatus, sive potius initium aut compendium quoddam majoris, quem Autor promittit, *de Eucharistia* agit. In hoc asseritur Sect. I.
præsentia realis Christi in Sacramento, per *verisimilitudinem* (sed quæ pag. 74.
ex fidei fundamento concipiatur) per *Scripturam*, & per *sententias Patrum*. Inserta est relatio quædam Latina cum versione Gallica, 81.
ipsius fortasse Pelissonii, in qua successus conversionis in diœcesi quadam Gallica enarratur. Eum Autor magna ex parte tribuit libris, quos doctissimi ex Reformatis, *Dallæus, Albertinus, Blondellus* & similes ediderunt, in quibus testimonia adduxerunt de veteris Ecclesiæ in articulo de S. Cœna sententia. Hos scriptores *pessimos optimos* vocat, interque eos *Jacobum Cappellum* taxat, qui etiam Mahometanos a salute excludere vix sit ausus. *Calvini* quoque singularem & intricatam opinionē, qui communionē corporis & sanguinis Domini

in actu manducationis, exclusa tamen præsentia reali, quæsiverit. Momentum deniq; afferri dicit a Cleri emendatione: ab illo enim originem mali olim profectam esse, non negat, sed hodie pro indocto, doctum; pro socordi, vigilantem; pro dissoluto, compositum esse
pag. 107. affirmat. Sequitur compilatio probationum sive documentorum,
188. ad utrumque tractatum pertinentium. Adscribuntur loca *Lutheri, Zvinglii, Calvini, Centuriatorum Magdeburgensium*, & aliquorum ex Reformatis, ex quibus vel testimonia sumi possint, vetustissimas esse sententias & ceremonias, quas pro erroneis Romanæ Ecclesiæ exprobrant Protestantes, vel horum inter se dissensiones ostenduntur, aut alia liberius dicta censuræ exponuntur. Quædam hic leguntur de controversia Sacramentaria, ex *Cassandro* & *Hospiniano*, & de vano illam conciliandi conatu, quodque inter se minime conveniant, qui articuli ad fundamentum fidei pertineant. Subjunguntur versiones catechesium, quas vocat, sive homiliarum de S. Cœna, *Cyrilli Hierosolymitani, Ambrosii, Gregorii Nysseni* & *Gaudentii Brixiani*, ex quibus constare putat Autor, eandem illis seculis fidem in Ecclesia de Sacramento viguisse, quam nunc Romana profitetur. Ad objectiones vero, quas ex aliis Patrum locis Protestantes facere solent, Autor p. 77 responderat, aliter locutos esse cum infidelibus, aliter cum initiatis; & hæc est *disciplina* illa *arcani*, ad quam alii docti illarum partium viri hodie confugiunt, cum ex ipsis Patrum scriptis, aut ex sacrarum literarum silentio arguuntur.

301. *Tomo II* Autor objectionibus, quæ tractatibus illis duobus, ab Anglis & Batavis quibusdam, quos charos & æstimatos sibi esse dicit, factæ fuerunt, magna cum diligentia respondet. Proponit
Sect. I. eas in exordio summatim. Deinde distinctionem inter *examen* &
II. *discretionem* rejicit, dum nempe adversarii statuunt, hanc sufficere, & in articulis ad salutem necessariis facilem esse, ita ut onerosum examen non requiratur: putat enim, eadem difficultate utrumq; laborare, neque planum & certum esse, qui sint articuli ad salutem necessa-
III. rii. Gratiam quam illi ad inveniendam veritatem requirunt, non negat, sed distinguit inter allegatam & probatam. Illam enim a singulis frustra jactari: hanc non nisi in cœtu Ecclesiæ Catholicæ, pro qua Protestantes ipsi venditare se non ausint, reperiri, & huic soli promissam esse. Confirmat ista ex vulgato asserto, quod nemo, dum

dum vivit, de gratia certus sit, unde nec immunis ab errore in fide esse Sect. IV.
possit. Ecclesiam solā (non exprimit tamen, conciliumne, an Pontifi- V. VI.
cem aut alium Cleri consessum intelligat) certam de illa esse ait, adeoq;
infallibilem. Qui igitur ab Ecclesia sese separent, gratia destitui,
licet sana habeant dogmata. Probationem exigit, quod privato pro- VII.
missa sit veritatis cognitio, si Scripturam legat, attente licet & cum
submissione. Supponi enim in dictis Scripturæ quæ allegantur, ut
legat intelligatq; debito modo, i. e. secundum sensum & interpreta-
tionem Ecclesiæ. Promissiones generales, v. g. *qui credit & bapti-* VIII.
zatur, salvabitur, non impleri in omnibus & singulis, sed in corpore
Ecclesiæ, in quo, non vero extra illud, salventur, qui eo modo cre-
dunt, quo debent, nempe sub directione & judicio Ecclesiæ. Stabili-
re vult hæc ex missione Apostolorum *Matth. ult.* quæ extendatur IX.
ad illorum successores Episcopos, & ab his ordinatos in perpetuum,
& huic annexam esse infallibilitatem, una cum potestate ligandi &
solvendi; utrumque Ecclesiæ tribui existimat Matth. XVIII, 15. &
seqq. Urget igitur notissima illa, *dic Ecclesiæ*; & *tu es Petrus*; item
quod Ecclesia sit *columna veritatis*, & *quod hæreticus sit devitandus*,
imo excommunicandus, quod ex praxi & doctrina Protestantium
confirmat. Commentatur etiam quædam argute ad vocabulum *præ-*
valere, Matth. XVI, 18. Aggreditur inde, sed paucis, D. Jurii *Syste-* X.
ma de Ecclesia, & ejus invento Romanum dogma juvari dicit; dein-
de demonstratum esse arbitratur, majorem suffragiorum numerum
jure naturali, gentium & divino sequendum esse. Rejicit quæ ex XI.
dicto Christi de parvo grege opponi solent, item de schismate Israe-
litico, & septem millibus de quibus Eliæ dictum est. Prolixior est XII.
in explicando Hieronymi loco, qui asserere videtur, *mundum factum* XIII.
fuisse Arrianum, & ex historia concilii Ariminensis alium sensum eli-
cit. De sensu gratiæ & veritatis monet, eum quem singuli habere XIV.
se putant, cedere debere illi, qui cœtui sive Ecclesiæ confertur; ordi-
narie itaq; præferendam esse sententiam plurium. Extraordinarium XV.
fuisse statuit, quod de Beræensium inquisitione Act. XVII, 11 tradun-
tur. Reliquas objectiones de Ecclesia Græca & Abyssinorum bre- XVI.
viter elidit; inter alia dicens, has cum Romana comparatas vix sese ha-
bere ut stellas ad Solem. Inde iterum & acrius contra Jurii Systema XVII.
insurgit, non sine aculeo in ea, quæ de regno millenario & im-
 plemen-

XVIII. plemento vaticiniorum Apocalypticorum publicavit. Denique etiam *Baylio* ad ea, quæ is in Novellis Reipublicæ litterariæ menſe Julio 1686 de priori tractatuum horum editione annotaverat, quædam reponit, cum digreſſione in laudes Regis, cujus virtutes incomparabiles enumerat, easque etiam ab hoſtibus & æmulis agnoſci dicit: paternũ quoq; ejus animum in omnes ſubditos, ipſosque Reformatos deprædicat, quem etiam in rigore illo, ut loquitur, ſalutari (i. e. violenta ad Romana ſacra compulſione) oſtenderit. Invehitur in libertatem religionis malo exemplo affectatam & Regibus vi extortam; ſtylum tamen ubique ita temperat, ut ex charitate ſcribere videatur, & ſæpe preces ad Deum pro converſione diſſentientium interſerat. Acceſſit etiam huic tractatui farrago probationum ex Patribus, aliisque vetuſtis tum etiam novis ſcriptoribus, Reformatis maxime & *Jurio*, itemque quem hic pro Propheta habeat, *Dravitio*, cujus prædicationem de regia Hungariæ *Buda*, quod armis ſuperari non poſſit, falſi convictam ab eventu oſtendit. Non deerunt, ut putamus, Reformatis, contra quos iſtæc diriguntur, quæ reſpondeant. Haberent etiam Lutherani quæ regererent, niſi jamdudum controverſiæ tales diſputationibus exhauſtæ eſſent. Redeunt enim omnia ad arcem illam Romanæ religionis, de qua in mentem nobis veniunt Cardinalis *Pallavicini* verba Lib. III. Hiſt. Conc. Trid. cap. IV. §. 6, ubi ſcribit: *Noſtra fides* (i. e. Romana) *unico articulo individuo univerſa innititur, qui eſt autoritas Eccleſiæ falli neſcia: quapropter ſtatim atque quamcunq; partem deſereremus, univerſa corrueret; cum in comperto ſit, individuum vel integrum perſtare, vel integrum deficere.* Hac ſtante, nulla ſpes eſt ullum articulum non æque magnum & fundamentalem apud illos haberi, & omni vi defendi & inculcari, qui qualicunque antiquitatis ſpecie, vel ſi hæc probari non poſſit, decreto Pontificum (ad eos enim omne jus Eccleſiæ reducitur) ſuffulcitur, quam quem clariſſima ſacrarum literarum dicta docent, & Chriſtianarũ mentium aſſenſui, Spiritus Sancti operatione verbum comitante, inſinuant.

CATECHISME HISTORIQUE, CONTENANT en abregé l'Hiſtoire ſainte, & la doctrine Chreſtienne, par Mr. Claude Fleury &c.

id eſt, Claudii

Claudii Fleurii, Presbyteri & Abbatis in Loc-Dieu, quondam Præceptoris Principum de Conty, Catechismus Historicus, sive Compendium Historiæ Sacræ & Doctrinæ Christianæ. Editio quarta, correcta & aucta.

Parisiis apud viduam Gervasii Clouzier, 1688, in 12.

Constat plagulis 18.

REpetita quater libelli hujus editio, quarum postrema tantum ad nos pervenit, argumentum non leve præbet inventæ in Gallia approbationis. Commendat eundem insigne testimonium *Jacobi Benigni Bossueti* Episcopi Meldensis, & *Piroti* D. Sorbonici. Scopus Autoris, ex scriptis aliis, quæ Actis nostris inseruimus, non ignoti, ex dissertatione libello præmissa luculenter cognoscitur, & hæc ipsa non unam ob causam prolixius enarrari digna nobis visa est. Satis ingenue queri videtur Autor de ignorantia religionis inter suos, non in plebe tantum, sed & in cultioribus & literatis, imo in sacri ordinis hominibus. Ex hac primariam corruptelæ in moribus causam deducit, cum boni ignoti nulla sit seu cupiditas, seu praxis; nec Theologi, in Scholasticis licet quæstionibus versati, aut in decisione casuum, quos vocant, exercitati, Scripturæ & Oeconomiæ divinæ, & in- pag. 2.
struendi suos aut refutandi adversarios, eandem habeant capacitatem. Spernitur, ait, religio vel maxime ab iis, qui scientiis & artibus secularibus, hujusque vitæ commodis magna quidem cum industria attenti, religionem, posthabita cura & indagatione, negligunt & contemnunt: nec rectius agunt, qui prima elementa utcunque didicerunt, uberiori cognitione tamen carere se posse, imo debere putant, prætexentes, simplicem veritatem sufficere. Religio vero minime refugit studia inquirentium, nihilq; habet, quod lucem non ferat. Scriptura ipsa, licet rationem nostram ad obedien- 5.
tiam fidei subigat, lectionem tamen & meditationem serio exigit. Falsa religio in hoc maxime a vera differt, quod illa in cultu exteriori & variis ceremoniis consistat, hæc doctrinam & studium requirat, 6.
& licet in praxi versetur, hanc tamen ex theoria informet & regat. *Discipuli* itaque nomen antiquius fuit, quam *Christianorum*, Act. XI 26, & præceptum Domini ad Apostolos id maxime exigit, ut *doceant*

omnes gentes. Magnam porro culpæ partẽ grassantis inter Christianos
pag. 7. ignorantiæ, Pastoribus Autor tribuit: defectus etiam librorũ cateche-
ticorum taxat, quod repleti sint quæstionibus curiosis, plures etiam
Latine ac difficili stylo scripti & plebi inutiles; idem dicit de com-
mentariis Biblicis, & quod hi justo sint prolixiores. In *vitis sancto-
rum*, quarum lectio simplicioribus in Ecclesia Romana commenda-
tur, desiderat, quod particularia solum morum exempla exhibeant:
in libris *spiritualibus & mysticis*, quod perfectionem præscribant,
fundamenta vero religionis præsupponant. In concionibus dicit
specialia tractari, occasione festi aut textus; raro explicari prima
principia fidei, adeo ut multi tota ætate concionum auditu usi, pa-
8. rum tamen vel ex primis Christianismi elementis didicerint. Hæc,
pergit, in catechismis quidem traduntur, sed pueris; adultos enim
9. illius instructionis pudet tædetque. Fastidiunt eandem ex Sacerdotibus
illi, qui sua potius quam quæ Christi sunt, quærunt. Qui ingenio ma-
xime valent, de pulpitis id ostentant; qui minus, confessionibus au-
diendis sese applicant. Sterilis est ut plurimum & parum acceptus
catechismorum stylus. Labor docentibus, iis potissimum qui chari-
10. tate tædium non superant, ob auditorum ruditatem molestus. Fa-
tetur tamen Autor, ante duo secula longe majorem ignorantiam re-
ligionis regnasse, antequam nempe *Ignatius Loiola* catechizandi pu-
eros methodum primus in ecclesiam Romanam reduxisset; man-
sisse tamen sterilitatem & scabritiem libellorum catecheticorum, ut
& pueri ægerrime illos discant, adulti vero spernant & derideant.
Causam sicci & inamœni styli ab indole autorum accersit, qui Scho-
lasticæ Theologiæ studiis innutriti, eorundemq; stylum secuti, exactũ
methodi ordinem & definitionum atque divisionum acumina, etiam
pueris inculcare velint, nullo successu; quia discipulos habent instru-
11. mentalium disciplinarum & terminorum imperitos. Statuit igitur,
simplicem facti narrationem, cui doctrina postea superstruatur, & uti-
lissimam, & Ecclesiæ melioribus temporibus, ante septem nimirum
aut octo secula, conformem esse. Ita, scribit, bis mille a mundo
13. condito annis de religione instituti sunt homines a patribus avisque,
14. 15. gesta Dei narrantibus. Moyses traditionem majorum in scripta re-
degit, nihilominus tamen populo injunxit, ut quæ viderint, liberis
narrent, & legem frequentes legant & meditentur. Continuata fuit
eadem

eadem scribendi diligentia ad Maccabæorum usque tempora, neque Scriptura obfuit traditioni, sed eam conservavit. Nec alia ratio in pag. 16.
Novo Testamento observata fuit: nam & Apostoli enarratione factorum, ut in Actis legimus, populum instruxerunt, repræsentando præstitisse Deum in Novo, quod in Veteri promiserat. Eandem methodum in Patrum quoque scriptis deprehendi dicit, citatque
libellum Augustini *de Catechizandis Rudibus*. Observat tamen, catechi- 17.
zari illo tempore ista methodo adultos solum consuevisse. In- 18. 19.
fantibus autem, qui in Baptismo fidei donum acceperant, quam primum ætas ferebat, symbolum fidei propositum fuisse, memoriæ mandandum; neque tamen dubitat, adjectam fuisse explicationem historicam. Durasse illum morem tradit ad nonum usque seculum, cum essent adhuc adulti ex barbaris gentibus, qui Quadragesimæ tempore catechizarentur, & in Paschate Baptismum acciperent. Cum vero postea non nisi infantes baptizarentur, & Clerus in ignorantiam magis magisque laberetur, catechesin prorsus fere interci- 20.
disse. Providere illi malo concilia quædam voluisse, præcipiendo, ut populo proponeretur Symbolum & Oratio Dominica, in quibus totus tunc constiterit catechismus; putat tamen, explicationem subintellectam fuisse, & inde concludit, quod demonstrandum sumserat, ex narrationibus facti longe melius catechesin apud simpliciores procedere, quam argumentatione & ratiocinatione. Hanc metho-
dum a Deo ipso probatam esse, qui facti narrationes miraculis con- 21. 22.
firmaverit. Accedere ait methodi suavitatem; delectari enim juventutem historiæ narratione, eamque ob causam catechetas quos-
dam finire solere lectionem narratiuncula quadam; sed reprehendit 23.
in iis Autor, quod ex libris fide non satis dignis, *Legendis* nimirum, eas desumant. Laudat postea inventionem figurarum, quibus historiæ sacræ repræsentari solent; queritur tamen, quod majori pretio libri
illi constent, quam ut in manus tenuiorum ex plebe pervenire pos- 24.
sint; ipse tamen suo huic libello figuras addidit. Respondet iis, quibus prolixiores historiæ sacræ videntur, quam ut iis onerari juventus debeat; cum tamen tot superflua in brevissimis etiam catechi-
smis Romanis tractentur, v. g. de *virtutibus infusis*, *theologalibus*, *car-* 26.
dinalibus, de *latria*, *dulia & hyperdulia*. Longe igitur & facilius & utilius esse, imo & necessarium, ut historiæ sacræ juventuti proponantur, sine quibus neque cultum publicum, neque dogmata percipere

cipere possint; ex historiis enim ista optime explicari, eamque ipsam
pag. 27. methodum in ordine librorum Scripturæ deprehendi, in qua præce-
28. dunt libri historici, sequuntur morales & prophetici. Fatetur, si
hoc tempore, quemadmodum in primitiva Ecclesia, homines Chri-
29. stiani Scripturam ipsam legerent, opus non fore compendiaria illa
enarratione; sed jam plerosque a lectione abstinere, aut ex traductio-
num imperfectione, & sine aliquo interprete, parum proficere. His se
30. consulere voluisse libello hoc, de quo tamen non exigit, ut simpliciter
legatur, multo minus ut memoriæ mandetur, sed ut ipsis catechetis u-
sui sit, iisq; ansam præbeat, pro diversitate discipulorum alia aliter
proponendi & dilatandi. Hoc fine duos catechismos exhibet; u-
31. num *minorem & breviorem*, teneræ ætati & rudioribus proponen-
dum; alterum *majorem*, provectioribus utilem. Ab his præteriri
minorem, at qui hunc perceperint, ad majorem progredi cum fructu
posse. Non negat, inserta quædam esse ad fidem non simpliciter
necessaria; confidit tamen, utilia esse futura. Repetitionem quorundam
in *majori*, quæ in *minori* dicta erant, exemplo Scripturæ, & utilitate,
32. quæ ex repetitione nascitur, excusat. Monet catechetam, ut Scripturæ
peritus sit, omniaq; ex illa explicet, nec nisi certissime vera proponat,
vitatis incertis & curiosis, v. g. *de actis Christi in pueritia, & de præsen-*
tia Apostolorum in adscensione B. Virginis, milleque aliis ejusmodi.
33. Vetat quæstiones problematicas cum decisionibus fidei misceri, v. g.
34. *de qualitate pœnarum in purgatorio.* Commendat formulas pre-
cum *in breviario & ritualibus*, præ noviter inventis, & in illis omnes,
35. quos hodie vocant, *actus fidei, contritionis, adorationis & obla-*
36. *tionis*, reperiri ostendit. Cor moveri & erigi debere monet;
37. hoc facto, verba facile secutura, aut si non sequantur, cogitatio-
nes & suspiria ad Deum nihilominus pervenire. Improbat supersti-
tiosam certarum formularum statis temporibus observationem. Sty-
38. lum popularem iterum commendat catechetæ: licet enim, ait, fides
objecta habeat obscura & a sensibus remota, cognitio tamen est, quam
etiam simplices habere possunt & debent, eamque certam. Ad eam
nihil faciunt termini scholastici, *actus, potentia, qualitas, dispositio,*
39. *habitus &c.* nihil *abstractionum & secundæ intentionis* vocabula, &
satius esset, symbolum fidei Latine, quam obscura ista populo pro-
ponere, quibus usa non est Ecclesia, antequam hæreticorum subtili-

tates

tates emergerent; imo ne tunc quidem, quia sat longo tempore, & per quatuor aut quinque priora secula, aliæ quam Scripturæ phrases usurpatæ non fuerunt. Imitandi, ait, sunt Christus & Apostoli, qui pag. 40.
vulgari more locuti sunt, i. e. simpliciter, clare & solide, neque tamen viliter aut abjecte; & quo antiquiores sunt Patres, eo plus ha- 41.
bent ex ingenua illa & nobili simplicitate. Post Scripturæ phrases teneri etiam jubet stylũ Ecclesiæ in symbolis & confessionibus fidei, itemq; *liturgiis* & *breviariis*, satisque esse putat, si quis puer & ex populo ex illis libris & ex catechismi historici *parte I*, absque formulis & terminis intelligat primaria fidei capita, v. g. Christum esse Deum & ho- 42. 43.
minem, & ad quem usum instituta sint Sacramenta, licet ignoret voces *materiæ, formæ, substantiæ, accidentis.* Si qui vero tam rudes sint, ut capere nequeant simplicia ista, eos putat Deo commendandos, & pro iis orandum esse; neque enim ex verbis memoriæ mandatis, si intellectus absit, majoris profectus aut salutis spem esse. Post verba, etiam periodorum rationem haberi vult a Doctore catechetico, ut eas familiariter, non vero rhetorice aut stylo elaborato concipiat, sed captui discentium sese accommodet, ita tamen ne cum iis balbutiat aut nugetur. Eo fine catechismum minorem ita adornavit, ut primo brevem & perspicuam enarrationem præmiserit, deinde quæstiones & responsiones ex illa formaverit; absurdum enim esse putat, ex discipulis quærere, quæ nondum illis enarrata sint. Quæstiones ita concepit, ut paucis verbis ad eas respondere possint pueri, quia breviloqui, nec copia verborum instructi sunt; deinde ut ex ipsa interrogatione constringantur, ut aliter quam desideratur, respondere non possint. Exigendum tamen non esse, ut iisdem præscriptis verbis respondeant; imo melius fore, si æquivalentibus utantur. Sed hoc interrogandi & respondendi exercitium in *catechismo majori* omisit, retentis saltem narrationibus, quæ adultioribus intellectu non sunt difficiles. His vult indicari loca Scripturæ, ex quibus narratio composita est, itemque Patrum dicta & libros rituales. Post hæc fatetur & pluribus deducit, optimos catechetas fore patres & matresfamilias, si illis prius cognita essent capita doctrinæ. Monstrat incommoda catechizationis publicæ, brevitatem temporis, puerorum congregatorum difficilem disciplinam & numerum ma- 48. 49.
jorem, quam ut singulis satisfieri possit: faciliora omnia esse paren-

tibus, qui liberos numero paucos semper in potestate, ingeniumque & mores eorum cognitos habeant. Ignaviæ eorum imputat, quod Pastoribus solis hoc onus imponant, ut ipsi scilicet in otio aut rerum suarum cura, absque illa informationis molestia vivant. In
Pag. 50. modo proponendi plurimum positum esse ostendit: nihil agi, nisi omnia ad amorem Dei referantur. Non vero nudis verbis dici debere, v. g. *amandum esse Deum*, sed rationes deducendas, cur & propter
51. 52. quæ beneficia amandus sit; hoc omisso, nil nisi sterilia & frigida verba pueris inculcari. Non minus necessarium & utile esse ait, ut catecheta contentione vocis & convenienti gestu ostendat, se ex animo loqui, & quæ docet, in pectore habere: si enim ipse de miraculis Dei ita loquatur, ut admiratione & reverentia plenus esse deprehendatur; si levatis in cœlum oculis & manibus, & calidis suspiriis, ex-
53. pectare regnum Christi eum appareat; si beatam æternitatem anhelet; si passiones Domini tenero cum affectu describat; si ista tractando in lacrymas solvatur; iisdem affectibus discipulos imbuet. Faciet autem ea, si ipse intus convictus est de veritate eorum, quæ docet, & si est *homo precum*. Ideoque Autor præloquium hoc piis concludit precibus; neque nos ingratum futurum esse lectoribus veremur, quod hæc paulo fusius recensuimus. Multa enim, quæ de catechismi utilitate, & sacrarum literarum lectione & studio laicis incumbente, & de veteris Ecclesiæ institutis Autor tradit, nostræ Ecclesiæ magis conveniunt quam Romanæ. Certe non huic aut *Lojolæ*, sed *Luthero* debetur prima post tot secula (quorum barbariem ipse deplorat Fleurius) catechesis restitutio, & sacrarum literarum ad populum translata lectio; & quicquid salubriter in hoc tractatu monetur, a nostratibus & olim uberius observatum est, & subinde renovatur. Excitari tamen & confirmari hoc exemplo in nostris etiam cœtibus tam docentes quam discentes possunt.

Jam de libello paucis agemus. *Pars I.* exhibet *catechismum historicum minorem* capitibus XXIX, nempe *de creatione, de lapsu Adami, de diluvio & Patriarchis, de servitute Ægyptiaca & agno Paschali, de peregrinatione Israelitarum in deserto, de lege Mosis, de fœdere Dei cum Israelitis, de horum idololatria, de Davide & promissione Messiæ, de schismate Samaritano, de Prophetis, de captivitate Babylonica, de statu Judæorum post illam, de Judæis prout erant spirituales aut carna-*

les

les, de nativitate Christi, de Johanne Baptista, de vocatione Apostolorum, de concionibus Christi, de hostibus ejus, de passione, morte & resurrectione illius, de effusione Spiritus Sancti, de vocatione Gentilium, de fundatione Ecclesiæ, de traditione & Scriptura, de excidio Hierosolymitano, de persecutionibus Christianorum, de libertate Ecclesiæ, de monachis. Singulis capitibus hisce figura præfigitur, contenta narrationis præcipua exhibens: sequuntur interrogationes & responsiones, quales diximus. Pauca in his reperiuntur, quæ non exacte cum Scriptura Sacra conveniant; abstinere tamen pro religionis, quam profitetur, instituto Autor ab iis non potuit, quæ sola traditione, quam Scripturæ æquiparat, nituntur. His demtis, utilem omnibus Christianis libellum hunc esse, negari non potest. Pars altera *minoris catechismi, dogmata* proponit, itidem XXIX capitibus, quorum singula narrationem, dein quæstiones & responsa habent. Rubricæ sunt *de fide & spe, charitate, de S. S. Trinitate, de incarnatione Verbi & redemtione generis humani, de descensu Christi ad inferos, de resurrectione & ascensione Domini, de extremo judicio, de Spiritu Sancto, de Ecclesia, de communione sanctorum, de remissione peccatorum, de resurrectione hominum & vita æterna, de oratione Dominica, de Decalogo, de præceptis Ecclesiæ* i. e. *de Missa, confessione in festo Paschali necessaria, de jejuniis &c. de septem Sacramentis.* Quædam materiæ ampliores in duo & plura capita distribuuntur. Sequitur *Tomo II Catechismus major* in duas iterum partes divisus. *Prima* continet capita historica, eodem, quo in minori, ordine, sed uberius & distinctius proposita. Sunt enim XLIX. In altera, dogmata capitibus LII explicantur. In his plura deprehenduntur ex Romanæ Ecclesiæ & Tridentini Concilii placitis, & docetur *potestas Pontificis, Sacrificium Missæ, invocatio Sanctorum*, aliaque ex quibus schisma ortum & huc usque continuatum est.

PETRI PETITI NEPENTHES HOMERI, SIVE de Helenæ medicamento, luctum animique omnem ægritudinem abolente, & aliis quibusdam eadem facultate præditis Dissertatio.

Trajecti ad Rhenum, apud Rud. a Zyll, 1689, in 8.

Constat plagulis 12.

INter herbas ab antiquis scriptoribus memoratas, quarum ratio non satis expedita est, primum merito illa locum obtinet, quam sua quoque ætate usurpasse Diospolitanas Ægypti mulieres scribit Diodorus Siculus *Lib. I. p. 87. 88. edit. Rhodom.* ab Homero in quarto Odysseæ descripta, ubi herbas Ægyptias a regis Thoonis uxore Polydamna plurimas Helenæ narrat traditas, ac inter eas nobile illud Nepenthes, quod ipsa Telemacho apud Menelaum exhibuit, ad inducendam exantlatorum oblivionem; omnibus utique mortalibus, quando tristitiæ oblivionem veniamq; affert, propinandum, ut loquitur Plinius *Nat. Hist. lib. XXV. cap. 2.* Prolixum de hac herba commentarium edidit Petrus la Sena, quem insignivit, *Homeri Nepenthes*, seu *de abolendo luctu liber:* in quo tamen multum inanis & superfluæ operæ ab auctore positum, censet Petitus. Qui ut indagandi ac perscrutandi omnem priscam, cumprimis naturalem historiam studio, quoad vixit (vivere autem desiit Idibus Decembris anni 1687) fuit affixus, ita hanc quoque ejus partem haud perfunctorie attingendam sibi putavit, ac proinde de hoc Helenæ medicamento Dissertationem conscripsit, quam sibi inscriptam doctissimus vir Joh. Georgius Grævius Ultrajecti fecit excudi. Cum Nepenthes significatione herbas, quæ communiter alio nomine veniunt, ab Homero indicatas fuisse quidam existiment, opiniones eorum prius discussit, ac nequaquam Helenium, quod Latine corrupto vocabulo Enula vocatur, ab Homero intellectum fuisse, *capite 6 & 7* docet; nec vinum, quod & ipsum mordaces diluere solicitudines Horatio dicitur, eo significari *cap. 12* & 13 ostendit; radicem vero œnopiam sive œnotheram ipsummet Nepenthes fuisse, si quis e Galeno & Theophrasto asserere velit, eum a vero nil alienum statuere, cum omnia quæ Poeta medicamento Helenæ tribuit, huic radici conveniant, vis nempe animi ægritudinem leniendi, iras placandi, malorum omnium oblivionem inducendi, modus etiam utendi, in eo consistens ut vino injiciatur, sit idem, *cap. 8. 9. 10. 11.* probat. Eorum sententiam, qui allegorice hanc herbam accipiendam, & jucundam ac tempori aptam confabulationem intelligendam putant, quod censent Plutarchus, Athenæus, Macrobius, Philostratus, & ipse Eustathius fluctuans, *cap. 14. 15. 16.* confutat. Affines herbas lætificantes, quales sunt buglossus, crocus, gelotophyllis, sissitieteris, aquila, *cap. 17. & 18.* enumerat, de arbore

bore etiam quæ hilaritatem provocet, sed quam fabulosam putat, e libro qui Aristoteli falsò tribuitur, quædam *pag. 58. 59.* narrat, nec non de opio, sive liquore e capitibus papaverum incisis manante, de Turcarum Asseral vel Matslach, quo in prælium ruentes utuntur, de Areca seu Fausel, Cohobba, Cahoino, Dutroa, Assi, Bosa, Bernavi, Bers, Sicera, Caffe, & Thee, ex Itinerariis quædam recitat; de vino etiam myrrhato, Salvatori in cruce pendenti quod porrectum Marcus cap. 15 memorat, *p. 71. 72. 73.* disserit.

Hæc postquam historice in priore Dissertationis parte ita exposuisset, in altera, quomodo herbæ, quæ Nepenthes Homero dicta est, vis in animum pertingat, eumque exhilarare valeat, ostensurus, lætitiæ naturam investigat, & sanguinis temperiem ac spirituum indolem, queis anima ad hilaritatem proclivis reddatur, *prioribus quinque capitibus* describit; opium & alia narcotica qua ratione lætitiam excitent, curas deprimant, animum erigant, (quod ipse laudani, seu opii præparati usu se expertum scribit) *cap. 6.* exponit; de somniis autem jucundis *cap. 8. 9.* disquirit, causam demonstrans, quamobrem e variis atque omnimodis rerum phantasmatis, quædam e memoriæ sinu excitentur potissimum, quæ dormientium animum percellant, reliquis immotis manentibus. Cum vero optimum & prope unicum tristitiæ remedium vulgo existimetur, si quis se vino obruat; quid de inebriatione statuendum sit, & quæ somno cum ebrietate intercedat affinitas, cum utroq; rationis officiũ tollatur, exponit, aliaq; de largiore usu vini, *cap. 12. 13. 14. 15. 16. 17.* tradit. Et quandoquidẽ anceps remedium contra animi anxietates inde peti, *cap. 18.* statuit; alia affert, quæ ab omni periculo remota sunt & plane innoxia, inter quæ omniũ tutissimum & saluberrimum Theæ decoctum habendum esse, *cap. ult.* demonstrat, quod non solum lugentibus lacrymas detergat, sed etiam Musarum otia sectantibus, atque in veritatis contemplatione occupatis, animi nubila serenet, non Asiæ magis incolis, quam Europæis salutarem usum præbens. Hæc eximia & singularis exhilarandi facultas in hac herba latens, ut de ortu, natura & laudibus ejus Carmen doctissimum conderet (cujus *p. 75.* mentionem facit) Auctorem excitavit, cujus in poetica facultate excellentiam, inque concinnandis libris promtitudinem celebrat *Claud. Nicasius* in epistola

ad J. G. Grævium Dissertationi huic præmissa, quæ vitam Petiti narrat, cumprimis autem scriptos ab eo commentarios plurimos, quibus philosophiam Peripateticam potissimum exercuit, & adversus Cartesianos defendit, sive editos sive nondum evulgatos, recenset.

PETRI PETITI, PHILOSOPHI ET DOCTORIS Medici, de natura & moribus Antropophagorum Dissertatio.

Trajecti ad Rhenum ex officina Rud. a Zyll, 1688, in 8.

Constat plagulis 10.

ETsi nihil magis alienum ab humana natura ejusque ratione videtur, quam illa barbaries & immanitas, qua homines *in corporum* humanorum comedendorum cupiditatem feruntur; certis tamen terrarum locis inventos fuisse hujusmodi homines, & hodienum reperiri, ab immanitate hac Ἀνθρωποφάγυς dictos, historiæ nobis fidem faciunt. Hoc argumentum, a nemine fortasse ex professo tractatum, peculiari Dissertatione executus est doctissimus Petitus, & antiquitatem, originem ac causas rei istius *tribus* libris indagavit. *Primo* libro, quem historicum vocare liceat, præcipuas & maxime notas Antropophagorum sedes scrutatus est, & Gigantes, quorum in Genesi mentio fit, ingenti corporis mole viribusque terribiles, & stolide feroces, effrænato cupiditatum impulsu parum a belluis differentes, ab ejusmodi belluino appetitu vorandarum carnium humanarum, ante diluvium, non alienos fuisse in Assyria, *cap. 2. 3.* existimat; rabida hac feritate etiam Scythas, Hibernos, Ægyptios, & Æthiopes quosdam infames fuisse, *cap. 4.* tradit; nec versus Austrum deesse gentes cadavera hominum mandentes, ex Vespucio *cap. 5.* probat; in Novo Orbe, seu America, Carybes sive Canibales atrocitate hac cognitos, nec alibi tam frequentes anthropophagos reperiri, affirmat *cap. 6.* Homero & aliis Græcis memoratos Læstrygones & Cyclopes, ac inter hos præcipue Polyphemum, *capitibus 7. 8. & seqq.* excutit, eorumque terras quas habitarunt investigat, & qua ratione sibi constent, quæ Poetæ de iisdem narrant, disquirit. Liber *secundus* causas inquirit, quibus tam fœda libido & immanis ingluvies mores hominum invaserit,

ferit. *Cap.* 2. exponitur sententia Scaligeri & Aponensis, existimantium, velut alias animorum propensiones, sic hanc quoque tetram humanis corporibus vescendi cupiditatem, siderum influxui, naturam hominis fingenti atque impellenti ad certas cupiditates, imputandam esse. Causam hanc autem improbat Auctor, & in iis, quæ propius quam sidera naturam nostram attingunt, hoc est, in elementis ipsis & eorum misturis, quærendam esse docet. Eaque occasione *cap.* 3. de Pamphagis disserit, qui ex peculiari & inusitata corporis constitutione, quælibet quantumvis absurda sibi oblata, promiscua voracitate degluciunt, quorum exempla & hujus θηριώδους ἕξεως specimina Aristoteles lib. 7. Nicomach. cap. 6. affert, ipse etiam Auctor *cap.* 4. *κίττα* seu pica, morbi genere, laborantes adducit. E quibus huc plane pertinet, quod ex Casp. Bugati Historiarum libro sexto narrat Marcellus Donatus Hist. med. lib. 4. cap. 1, de Mediolanensi quadam fœmina Elisabetha, anno 1519 rotæ atque ignis supplicio affecta, quod blanditiis pueros ad se allexerit, domumque perductos necarit, ut sale conditas eorum carnes clam quotidie esitaret. Quæ effera immanitas hunc in modum tandem detecta fuerit. Cum vicini puellam, cui Catharinæ Seronæ nomen, amissam sollicite perquirerent, forte felis cadaveri puellæ superveniens manum ex illo surreptam in vicinam domum asportavit. Quo spectaculo qui ibi erant commoti, catum persequentes, in Elisabethæ istius domum confugere cognoverunt: eam perscrutantes cadaver puellæ invenerunt, sicque diu occultati flagitii scenam patefecerunt. De malefico quodam sepulta cadavera effodiente & comedente, horrendum exemplum *cap.* 10. e Bodino profertur. Indigentia aliorum alimentorum, & sic necessitate quadam adductos, ut homines devorarent, indeque in consuetudinem victus verteretur; odio etiam aut nimio iræ ardore inflammatos interdum cadavera inimicorum lacerasse & vorasse, cap. 6. 7. tradit. Sed habituum horum belluinorum in hominibus proprias atque ultimas causas explicare, humani ingenii captum excedere *cap.* 5. arbitratur: latere enim has in altis naturæ penetralibus & adytis abstrusas, unde nullius unquam industria protrahi in apertum possint, satisque in tam abstrusis præstitum videri censet, si ratio aperiatur, qua fiat, ut talia ad liquidum explicari non possint. In hanc igitur tandem *cap.* 8. concludit sententiam, Diaboli instin-

instinctu & malitia corruptas & efferatas hominum mentes in hanc consuetudinem comedendi viscera humana consensisse: quippe quod internecione hominum Deos placari posse, & humanis victimis rectissime iis litari, idem Dæmon auctor gentibus extiterit, iisdemque persuaserit, neminem ad sacra rite initiari, qui non prius humanum sanguinem biberit, aut exta degustarit: facilius autem immanitatem hanc inseri potuisse gentibus ἀθεμίστοις, & in summa rerum omnium ignoratione versantibus. Libro *tertio* affinia ἀνθρωποφαγίας exponit. Quorum primum locum dat conjurationibus, confœderationibus & amicitiis, humani sanguinis potu sancitis, *cap. 1*; alterum exequialibus honoribus, per epulas funebres e defunctorum carnibus religiose apparatas, solenniter institutis; perditis item nonnullorum amoribus, ad potum sanguinis & esum carnium eorum, quos deperеunt, stimulantibus, *cap. 2. 3. 4*; tertium arti medicæ, quæ pharmaca ex carne, sanguine, aut ossibus hominum miscere, aut balnea præparare jubet, *cap. 5.* Nihil tamen horum admittendum, & ferinum ac impium esse omnem humanarum carnium esum, Auctor statuit; nec admittit Diogenis Zenonisque istum haud improbantium sententias, quas cum aliorum argumentis *cap. 6. 7. 8. 9.* recenset, sed easdem *capitibus 10. 11. 12. 13. 14. 15.* examinat, & refellit, belluasque non homines esse eos, qui hominum carnibus vescantur, concludit.

DEFENSE DE L' EGLISE ROMAINE CONtre les calomnies des Protestans &c.

id est,

Defensio Ecclesiæ Romanæ adversus calumnias Protestantium, in qua exhibentur (1) Accurata discretio fidei Catholicæ a sententia Protestantium & Pelagianorum, de Prædestinatione & Gratia. (2) Dialogus, in quo doctrina Ecclesiæ Romanæ de mysteriis his explicatur. (3) Compendium historiæ de hæresi Pelagiana ab Ecclesia Romana semper condemnata.

Coloniæ, apud Joh. de Valé, 1688. in 12. Plag. 10.

TRes tractatus in exiguum hoc volumen compacti, sub titulo laxiori, & in invidiam Protestantium, ut videtur, affectato exhibentur

bentur, addita admonitione, quod in eos tantum pugnetur, qui se Reformatos vocant, & dogma Calvini sequuntur. Quanquam vero horum sententiæ Romana placita non pauca opponantur, Autori tamen non tam is scopus videtur fuisse, ut illos refutaret, quam ut suas de prædestinatione & gratia opiniones, quatenus a Molinistarum scitis discrepant, compendiosa quadam & facili via proponeret, & Gallis recens ad Romanam Ecclesiam compulsis plausibiles faceret. Præfatur aliquid contra indiscretum, ut loquitur, zelum eorum, qui pro hæretico habent, quicquid a Reformatis docetur aut exercetur; cum tamen agnoscendum sit, orthodoxa plurima ab iis asseri, & laudanda observari. Inter illa nominat lectionem Scripturæ & usum precum in lingua patria, quæ immerito reprehensa esse, & de iis nunc mitius sentiri dicit. Magis impingere ait illos ex Catholicis, qui Reformatos refutaturi in oppositos errores incidunt, & dum Calviniani esse nolunt, Baronio judice, Pelagiani fiunt, aut ut Autor scribit, ne Gomaristæ aut Protestantes sint, *Arminiani, Remonstrantes, Mennonistæ* & *Sociniani* evadunt. Ut igitur eos ab illo periculo, & Ecclesiam Romanam ab imputatione Pelagianismi vindicet, succinctam & nervosam collationem triplicis doctrinæ de prædestinatione & gratia instituit, & tres format paginæ areolas, ea fere methodo, qua *Ludovicus Santamorius*, celebris Jansenianæ causæ patronus, in diario suo de actis apud Innocentium X usus est. In medio ponit suam sententiam, quam vocat Catholicam, ex epistolis Pauli, Augustino, Concilio Tridentino, aliisque Patribus & Doctoribus, ut ait, haustam. Ex uno latere adscribit Reformatorum, ex altero Pelagianorum sententiam: illam ex confessione eorum & catechesi; hanc ex relationibus Augustini. De quibus omnes concordant, ea uno charactere, quem Romanum sive *antiquum* typographi vocant; in quibus discrepant, Italico sive *cursivo* excudi fecit. Quinq; pagellis hanc hypotyposin absolvit, quas, si Latinæ, ut scriptæ esse innuuntur, extarent, aut ad nos pervenissent, integras fortassis Actis nostris inseruissemus; Gallice autem versas denuo Latinas facere supersedimus, ob facilem circa terminos, quos vocamus scholæ, in versione variationem aut errorem. Interpres Gallus nomen suum literis C. B. P. indicavit. Addita est memorabilis observatio, quomodo Catholici sese gerere debeant in manifestis (ut Autor fatetur) in eorum Ecclesia dissidiis, circa usum

Sacramentorum & regulam morum, tum de peccato originali ejusque pœna, nec non de prædestinatione & gratia. Sex nempe regulas Autor proponit & teneri jubet: (1) Doctrinam & fidem Ecclesiæ Catholicæ semper unam eandemq; adeoque indivisibilem esse & manere, licet disputantium personæ dividantur; veritatem enim omnibus modeste & sincere quærentibus sese offerre. (2) Non amitti in Ecclesia veritatem, etsi contradictiones tolerentur, donec tempestivum sit, zizania ex tritico evellere. (3) Indifferens habendum non esse, cui opinioni aliquis adhæreat, sed veritatem, ab ipsis licet Theologis obscuratam, indagari debere, quæ lucem suam semper retineat, nec magis ac Sol amittat, cum a nubibus & nebulis obstaculum habet. (4) Ad veram Ecclesiæ *doctrinam* ab opinionibus humanis discernendam, verbum Dei sequendum esse, ex sensu a Patribus explicato, & ex definitionibus Pontificum & Conciliorum, quæ verbum Dei & doctrinam Patrum pro regulis habeant. (5) Si disputantes illa utrinque pro se allegent, accedendum esse sententiæ, non quæ rationi aut sensibus hominum, sed quæ verbo Dei & doctrinæ Patrum, eorum maxime, qui fidem Ecclesiæ in controversiis defenderunt, conveniat. Id denique sequendum, quod lumen cœleste cum humilitate & fiducia per preces impetratum ostenderit, primisque fidei regulis conforme sit, donec Ecclesia aliud solenni judicio decreverit. (6) Eos qui ad examen hoc idonei non sint, nec alia sciant credantque, quam quæ a Pastoribus & directoribus suis docentur, Deum sedulo invocare debere, ne in fraudem inducantur, utque bonos & vera docentes Pastores accipiant, nec cæci cum cæcis in eandem præcipitentur foveam. Protestantes non multum in his regulis desiderabunt, suaque principia in illis deprehendent. Nam quæ de doctrina Patrum & definitione Ecclesiæ admixta sunt, ea forte Autor ita intelligere potuit, ut neutri plus deferat, quam ex analogia fidei deferri a Christianis decet. Laudamus interim ingenuitatem ejus, majoremque lucem ei optamus.

Tractatus alter scriptus esse in titulo dicitur per *G. de L. Theologum*, Gallice autem versus ab A. K. approbatus a C. C. Lic. Theol. Occultationem nominis sui Autor a loco, & hominibus inter quos vivit, & quibus scriptum suum odiosum futurum fuisse metuit, in dedicatione ad *Internuncium Pontificium Bruxellensem* excusat, & ad scriben-

ſcribendum incitatum ſe eſſe aſſerit calumniis, quas vocat, *D. D. Leydeckeri* & *Jurii*, qui Romanam Eccleſiam contumelioſe Pelagianiſmi accuſent. Doctrinam itaque Chriſtianam de prædeſtinatione & gratia, forma dialogi inter *Theodorum* & *Romanum* proponit, ut os obſtruat Reformatis, qui hæreſis crimen tam confidenter Romanæ Eccleſiæ impingant, & cautiores faciat Catholicos, qui indignas de his myſteriis opiniones habeant, & calumniandi occaſionem adverſariis præbeant, dum *Arminianis, Socinianis* & aliis *Pelagianiſmum* reducentibus pollicem premant. Quinq; ſunt tractatus capita, in plura colloquia diſtincta. *Primum* tamen uno & brevi abſolvitur, quo demonſtratur, neceſſario inſtrui Catholicos de myſteriis prædeſtinationis & gratiæ divinæ debere. *Secundo* definitur prædeſtinatio; explicatur dictum Pauli: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri &c.* ut ſignificet, omnes qui ſalvantur, aut omnis generis homines. Accedit diſtinctio *voluntatis ſigni & beneplaciti*, *antecedentis & conſequentis*, *Creatoris & Redemtoris*. Haud multo aliter ſentitur de quæſtione, *an Chriſtus mortuus ſit pro omnibus*; & condemnatio propoſitionis, quod Chriſtus ſolum pro ſalute prædeſtinatorũ mortuus ſit, ab Innocentio X & Alexandro VII facta, hac ſubtilitate defenditur, quia fructus mortis Chriſti etiam ad non prædeſtinatos perveniat, qui plurimas gratias accipiant ad ſalutem, licet non ad æternam. Cæterum electio prorſus gratuita & ad oſtendendam miſericordiam Dei, ſicut relictio & pœna reliquorum ad juſtitiam demonſtrandã, facta eſſe aſſeritur. Quia vero prædeſtinati ad bona opera (licet non propter illa ut ex cauſa) deſtinentur, & ex his ſalventur, vulgaris objectio enervatur, quaſi nihil interſit, num electi bene an male agant, cum omnino bene agere teneantur. Capite *tertio*, dialogis IX, diſtinctiones gratiæ *in externam & internam*, *habitualem & actualem*, *efficacem & ſufficientem* explicantur, & ſingula membra definiuntur. Gratiæ efficacis neceſſitas ad omnes partes pietatis & religionis demonſtratur, & cur omnibus non detur, aut ad ſalutem non proficiat, ex principiis ſatis notis deducitur. *Quarto* colloquiis III. de libero arbitrio agitur, & ut voluntas hominis gratiæ ſubdita ſit, ejusque efficaciæ, quamvis poſſit, non reſiſtat, libertatem tamen ſuam nihilominus in bonis malisq; actionibus retineat, eaq; de cauſa meritũ vel demeritum incurrat explicatur. Capite *quinto*, dialogis VII, magna utilitas hujus doctrinæ commenda-

tur, quomodo ea pios ad laudem & gratiarum actionem erga Deum, tum ad humilitatem, timorem, fiduciam, preces & bonorum operum studium excitet. Dum vero dicta Scripturæ de timore & fiducia, quæ inter se pugnare videntur, confert, inexplicabile mysterium prædestinationis esse fatetur. Ad omnia quæ statuit aut refellit, textus sacros, & Augustinum, aliquando etiam Concilium Tridentinum adducit, hoc tamen alicubi, cum obstare videtur, ut potest, explicat. Subjungit brevem & tersam recapitulationem in duodecim puncta digestam, & precationem *Thomæ Bradwardini* Archiepiscopi Cantuariensis, ex libro *de causa Dei*, ante annos 300 scripto.

Tractatus ultimus brevis est syllabus *historiæ de Pelagio & Semipelagianis*, quæ aliunde satis nota, & hujus ipsius controversiæ de auxiliis gratiæ occasione, a plurimis doctissimisque viris plenissime tractata est. Monstrat vero Autor, quomodo a quinto ad nonum usque seculum, contra errores illos ab Ecclesia Romana, sive conciliorum & Pontificum decretis pugnatum sit, ita ut circa seculum decimum plane evanuisse videri potuerint. Queritur tamen in fine, non defuisse postea in ipsa Ecclesia & inter Catholicos, qui ex ingenii superbia, meritis & viribus hominum plus justo tribuerint, utque ab illustribus sæpe Theologis ex Augustini sententia refutati fuerint, commemorat. Allegat iterum Baronium de Semipelagianismo inter suos conquerentem; de iis vero quæ a Molina, Bajo & Jansenio, contraque illos scripta & acta sunt, paucis verbis ad notorietatem provocat. Additur in fine approbatio hujus defensionis *Johannis de Cuyper*, Lic. Theol. Decani & librorum censoris Mechliniensis.

JOHANNIS VAN DER VVAEYEN, SUMMA Theologiæ Christianæ. Pars prior.

Franequeræ, apud Johannem Gyselaar, 1689, in 4.

Constat plagulis 65.

SUmmam Theologiæ Christianæ traditurus Clarissimus Autor, cur priorem ejusdem partem modo nobis exhibeat, sub finem operis, quod exhibemus, exponit ipse, testatus rationes sibi & numero & pondere satis magnas fuisse, quibus inductus cursum inpræsentiarum sisteret. In hac ipsa autem, quam luci publicæ exposuit, parte, ichno-

ichnographiam quandam præmittit, inque ea præter alia duas hypotheses ad explicandam Scripturam Sacram sibi visas admodum utiles supponit, quarum una est, Deum esse triunum, altera Deum condidisse consilium gratiæ. Ab Ichnographia dein ad ipsius Theologiæ Christianæ scenographiam progreditur, eandemque quatuor capitibus pertractat. Quorum I. de gloria Dei; II. de nominibus aliquot tum Hebraicis, tum Græcis, quæ Deo in Scriptura Sacra tribuuntur; III. de essentia & perfectionibus Dei, item de SS. Trinitate; IV de viis Dei agunt. Cum vero per vias Dei, partim Dei decreta sive consilia, partim eorundem executio intelligantur, in hoc capite solum Dei decreta explicat, illorum executionem in secunda parte illustraturus. Quam ipsam tamen antequam editurus est Autor, universæ Theologiæ delineationem sub partis hujus prioris finem nos expectare jubet.

ARISTIDIS RHETORIS ORATIONES DUÆ, ex codice MSto, & ejusdem libri II. Τεχνῶν ῥητορικῶν, *cum versione Latina & notis Laurentii Normanni.*

Upsalæ, literis Henr. Keysers, 1688, in 8. Plag. 32.

LAurentius Normannus, vir clarissimus, de Græcanica literatura bene meriturus, *primum* hoc opusculo *Ælii Aristidis*, oratoris eloquentissimi, orationes duas; quarum *una* πρεσβευτικὸν πρὸς Ἀχιλλέα, qua Græcorum legatorum nomine, Achillem ad deponendas, quas cum Agamemnone ferebat inimicitias, cohortatur; *altera* κατὰ τῶν ἐξορχουμένων declamatio est, qua ineptos sophistas, chori oratorii dehonestamenta perstringit, exhibet: *deinde* duos libros τεχνῶν ῥητορικῶν ejusdem autoris ex vetusta eademque adhuc unica editione Aldina publicat. Horum *prior* est περὶ πολιτικοῦ λόγου, de *dictione civili*; *alter* περὶ ἀφελοῦς λόγου, de *simplici dictione*: utrumque cum nominatis jam orationibus Latine interpretatus est, adjectis annotationibus haud contemnendis. In dedicatione τοῦ πρεσβευτικοῦ memorat, qua occasione raros dictarum orationum codices MStos indeptus sit. Nempe durante Suecos inter & Polonos

bello, Vir Illustris Dn. *Claudius Rolambius*, a Potentissimo Rege Sueciæ *Carolo Gustavo*, ad Portam Ottomannicam missus fuerat legatus, ut Regis sui nomine, cum Muhammede IV. Turcarum tyranno, de istius belli causis ageret. Ubi Byzantii inter alios libros Græcos, has Aristidis Rhetoris orationes MStas accepit, & ut eloquentiæ studiosis prodessent, clarissimo *Normanno*, Græcarum literarum in illustri Upsaliensi Academia Professori Ordinario, ad edendum liberaliter communicavit. Id quod ipse etiam grata mente agnoscit atque deprædicat.

NOVUM THEOREMA PRO DOCTRINA SEctionum Conicarum, per J. B.

TAB. XIV. Mirum est, in materia veteribus ac recentioribus adeo trita relictum esse aliquid, quod eorum industriam adhuc effugerit; præsertim proprietatem adeo generalem, cujusmodi est hæc, quæ sequitur:

Si in Triangulo per Axem Coni ACD, demittatur a vertice in basin perpendicularis AI, & ex ea abscindatur AN, æqualis perpendiculari AB, ex eodem vertice A in diametrum ex generatione Coni Sectionis HO demissæ; ac per N agatur FE parallela basi, secans crura Trianguli per axem in F & E, erit FE Latus Rectum Coni sectionis.


Dem: Ducantur AQ & AL parallelæ Diametro HO & basi CD, quarum prior secet ipsam FE in G; eruntque Triang. FAG, HAL, HCO, ut & AGE, MLA, MOD, similia: sed & AL = AG (est enim angulus LAN = angulo BAG, demtoque communi BAN, angulus LAB = NAG, præterea anguli ABL, ANG recti, & latus AB = lateri AN, ac propterea Triangula ABL, ANG similia & æqualia.) Hinc

1. *In Parabola:* FG, AF :: AL (AG) AH; quare ▭ FAG = AH x FG. Sed ex Apoll: ▭ FAG (AH x FG) FGq (:: AH, FG) :: AH, R (latus rectum Parabolæ.) Ergo FG vel FE = R: *Q.E.D.*


Idem ex alia proprietate Parabolæ: HO, CO :: AG (AL vel OQ) FG. Ergo HO x FG = COQ = OPq = ex natura Parabolæ HO x R. Ergo FG vel FE = R: *Q.E.D.*

TAB. XIV. ad A. 1689. pag. 586.


Parabola.



Hyperbola



Ellipsis



2. *In Hyperbola & Ellipsi:* FG, AG :: AL, LH (unde FG x LH = GAL) item AG, GE :: ML, AL: quare ex æquo perturbate, FG, GE :: ML, LH; & componendo seu dividendo FE, GE :: MH, LH; permutandoque FE, MH :: GE, LH :: FGE, FG x LH (GAL seu GAq) :: R, MH, ex Apoll: Ergo FE = R: *Q. E. D.*

Idem ex alia proprietate harum Sectionum: GE, AG :: LA, ML; & AG, FG :: LH, LA: unde perturbate, & composite vel divisim, ut antea, permutandoque FE, MH :: GE, LH :: GE, AG + AG (AL) LH :: OD, MO + OC, HO :: COD (OPq) MOH :: R, MH, ex natura Sectionum: Ergo FE = R: *Q. E. D.*

3. *In Circulo* basi subcontrarie posito res evidentior est, quam ut demonstratione indigeat.

Demonstratio Universalis pro omnibus Sectionibus:

Ducatur HZ basi parallela, secans ipsam AQ in X; eritque HZ, FE :: HX (LA seu AG) FG :: HO, OC :: HZ, R; per ea quæ habet *Wallisius* in *Tract. de Sect. Con.* pag. 28, 37 & 43. Ergo FE = R: *Q. E. D.*

Coroll. I. Si centro A, radio quocunque AB in plano Trianguli per axem descriptus sit circulus, & circa illum rotetur planum BO, tangens subinde ejus peripheriam, secansque basin Coni secundum rectam OP, quæ basi Trianguli per axem perpendicularis est; omnes hac rotatione genitæ Coni Sectiones, sive Parabolæ, Hyperbolæ, Ellipses, sive denique Circuli, idem habebunt latus rectum, æquale videlicet rectæ FE.

Cor. II. Quia AI, CD :: AN (AB) FE (R); sequitur, in quavis Coni sectione latus rectum esse quartam proportionalem ad AI, CD & AB: Unde vel ex hoc indicio colligo, nihil hucusque constitisse Conicorum Scriptoribus de hoc Theoremate; cum non verisimile sit, illos (si scivissent) designaturos fuisse rationem Parametri ad aliam rectam, per rationem Quadrati CD ad Rectangulum CAD (ut in Parabola) aut Rectanguli CQD ad Quadratum AQ (ut in Hyperbola & Ellipsi) quam tamen per simplicem rationem rectarum constantium CD & AI, & quidem universaliter in quavis sectione, characterisare potuissent.

Cum Fratri hæc aperuissem, mox eadem suis quoque demonstrationibus munivit; quas, quia non inconcinnæ mihi visæ sunt, hic subjungam; quod in novo Theoremate facile merebitur veniam:

1. In

1. *In Parabola:* FG, HX :: AG (AL seu HX) AX; proinde HXq = FG x AX: est autem HA, R :: HAX, HXq (FG x AX) :: HA, FG. Ergo FG vel FE = R: *Q. E. D.*

Aliter: AH, FG :: AH, HX, + HX, FG :: AF, FG + HX (AL seu AG) FG :: FAG, FGq :: AH, R. Ergo FG = R: *Q. E. D.*

2. *In Hyperbola & Ellipsi:* MH, FE :: MH, HZ + HZ, FE :: AG, GE + AX, AG (AL vel HX) :: AG, GE + AG, FG :: AGq, FGE :: MH, R. Ergo FE = R: *Q. E. D.*

CAMPEGII VITRINGA SACRARUM OBSERvationum libri duo.

Franequeræ, apud Joh. Gyselaar, 1689, in 4.

Constat plagulis 72.

PArtem priorem doctissimarum harum observationum, quibus celeberrimus Franequeranorum Theologus ac Professor *Campegius Vitringa* clarissimam lucem multis Scripturæ Sacræ dictis affudit, anno abhinc quinto p. 515. ad Eruditorum Acta retulimus. Prodit illa nunc *secundum*, non emendatior tantum, sed & *altera* parte auctior, qua de non pauca dicenda esse, vel ipsa argumentorum in ea
Cap. I. pertractatorum dignitas satis loquitur. Capitibus absolvitur sexdecim, quorum primum solutioni impenditur quæstionis: *Num Israelitæ in diserto, præter vitulum aureum & Baal-peorem, alia etiam idola coluisse, tacente licet historia Mosaica, dicendi sint?* Affirmat *Vitringa* ex *Amos. V, 25. 26.* (quo de loco pluscula, non intacta tamen Eruditorum aliis, in medium affert,) itemque *Ps. XCV, 10. Deut. XXIX, 4. Ps. CVI. 35. 36.* ac cumprimis *Ezech. XX, 25.* in quo interpretando eandem viam insistit, quam *Lutherus* noster, repudiata *Cocceji* sui sententia de legibus ceremonialibus divinis per *statuta non bona* intelligendis. Cum vero videatur improbabile, Israelem, Mose imperante, totis XL. annis Molechi sacris operatum esse, neque tamen Mosen rei hujus vel minimam mentionem in pandectis suis historicis injecisse, *Vitringa* commodum observat, plus simplici vice, Mose licet summam rerum obtinente, a maleferiato populo gravissime peccatum fuisse, uti ex Korachi, Dathanis, Abirami rebellione, negle-

neglectu item circumcisionis & paschatos per XL. annos, dilucide patet. Quin, nec Mosen quælibet toto istoc tempore gesta annotasse, sed res XXXVIII omnino annorum, (quadragesimi anni posteriores menses præcedentium,) data opera silentio prætermisisse, imo nec idololatriæ a suis in Ægypto patratæ, ac Ezech. XX, 7. 8. memoratæ, vel verbulo meminisse, probe monet.

Sequentia capita bina sententiam pervulgatam, *sacerdotium ante Aaronitarum electionem ad primogenitorum prærogativas pertinuisse*, convellunt, ac primogenitos Deo sacros, non (uti ex Exod. XIII, 1.12. constare videtur) *Sacerdotes*, sed, (quod παράδοξον,) *sacrificia* fuisse, egregie probant. Pepercerat nimirum Israelitarum primogenitis clementissimũ Numen, cum Ægyptiorum primogenitos ferali illa clade afficeret. Beneficio hoc sibi obstrictos, *sacros* sibi *esse* volebat. Fit autem Deo *sacra* persona vel res, dum communibus usibus eximitur, ac in rei divinæ usum quovis modo transfertur. Cum vero lex illa in *Exodo* memorata *consecrationem* non *hominum* tantum, sed & *pecudum* imperet, ac utriusque generis consecrationes inter se invicem comparet, Vitringa colligit, primogenitos hominum (æque ac primogenitas pecudum) consecratos fuisse non ut *sacerdotes*, sed ut *sacrificia*, quæ si mactationis incapacia erant, sacris usibus alio aliquo modo impendebantur; uti donaria aurea, argentea, æreave, varia utensilia, & id genus alia. *Primogenitos* igitur illos non majori dignitate gavisos, ac, qui in eorum locum vertente tempore suffecti sunt, *Levitas*. Hi sane non sacerdotes erant, sed perpetui sacerdotum famuli, quibꝰ non magis, ac cæteris Israelitis, licebat adire Deum, apud quē Aaronitæ sacerdotes intimæ erant admissionis. Hinc *Levitæ* soli, non item *sacerdotes*, primogenitis substituuntur *Num. III, 45. 9. 10. VIII, 16. 19.* Eadem de caussa manus illis, non his, impositæ *Num. VIII, 10.* tanquam sacrificiis piacularibus, *ad expiandum* datis, *vers. 19.* quanquam & illis, (ne immolari eos necesse esset,) surrogatæ sunt bestiæ, in quas, impositis manibus suis in earum capita, peccata ab Israelitis sibi (Levitis puta) per χειροτονίαν imposita, rursus devolverent, *vers. 11.* quemadmodum pecudi primogenitæ impuræ, (sive immolationis sacrificialis non capaci,) aut puram offerendam substituere oportebat, aut cervices frangere. Sed & eandem ob rem Levitæ ab Aarone *agitati* sunt, *Num. VIII, 11.* At id vocis non nisi

Cap. II. III.

in sacrificia quadrare videtur. Subruto igitur primario hoc, aliisque sententiæ adversæ fundamentis, concluditur, sacerdotium primogenitis, sed sæpe a parentibus aut fratribus minoribus natu sponte, non ex primogenituræ juribus, delatum, adeoq; ad idem nec secundogenitis aditum præclusum fuisse. Cumprimis observatu dignum est, quod *1. Paral. V, 1.* habetur, τὰ πρωτοτόκεια sive *jura primogenituræ*, queis Ruben ob incestum excidit, collata esse partim Josepho, partim Jehudæ, ita quidem, ut illi dupla portio, huic præeminentia inter fratres obtigerit. Nihil hic de sacerdotio, nihil de jure aliquo Rubenis in Levi translato. Unde collectu facile videtur Nostro, non nisi *duplicem hæreditatis portionem* ac *præeminentiam inter fratres*, jura constituisse *primogenitorum*.

Cap. IV. Absoluta hac de πρωτοτοκείοις dissertatione, phrases non unæ de
V. *collocatione ad dextram* illustrantur. Nimirũ *sedere* in sacris est *regnare*. Hinc *sedere*, vel regnare *ad dextram Regis in throno sedentis*, est habere communionem plenariam sceptri, quod rex throno insidens manu *dextra* tenet, ideoque ad dextram suam & illum, quem in imperii collegam adsciscit, collocat, ut idem simul sceptrum, ceu regiæ dignitatis symbolum, manu prehendere ac tenere queat. Hac ratione dicta *Psal. CX. 1. 2. 3. Apoc. III, 21. Zach. VI, 12. 13.* aliaque non perfunctorie illustrantur. Morem hinc recenset veterum, quo *actor* dextrum *rei* latus claudebat, unde patet, qua de causa Satan iis *a dextris* assistere dicatur, queis litem intendit apud Deum, *Psal. CIX, 6. Zach. III, 1.* Sed & ex *Massecheth Sanhedrin* consuetudine receptum fuisse Vitringa comprobat, ut *absolvendi* ad *dextram* Judicis, *condemnandi* ad *sinistram* collocarentur, ac dein quisque sententiam factis suis dignam eo in loco ex Judicis ore exciperet; quo prænotato, cuilibet perspecta erit ratio, cur Christus agnos *a dextris*, *a sinistris* hædos sibi olim in extremo judicio collocatum iri, prædixerit *Matth. XXV, 33.*

Cap. VI. Majoribus difficultatibus obseptum est proximæ disquisitionis argumentum. Agit ea de ratione *pædobaptismi*, quam cum neque *propriam* infantum *fidem* esse, Nostratibus, neq; *fœdus externum* esse, Calvinianis concedere velit, duplici modo explicat. *Primo* enim asserit, infantes *præsumi* astipulari fœderi gratiæ in parentibus, qui, dum omnibus indistincte fœdus illud offertur a ministris verbi, illud

pro

pro suis non minus ac pro semetipsis acceptant ac ineunt; semper enim de homine præsumimus, quod salutem suam velit, quemadmodum fœdus pacis, quod Imperator civitati inimicæ offert, ad infantes æque ac adultos pertinere solet, utut nec audiant illi nec intelligant quidquam istius negotii. Illustrat id dicto *Deut. XXIX, 10.* sq. ubi *parvuli* & *absentes* fœderi includuntur. Quod si hic procedendi modus displiceat, *alium* habet in promptu Vitringa, infantes nempe fidelium debere baptizari, quia justa *præsumtio* sit, eos esse absque fide actuali sanctificatos per Spiritum Sanctum advocatum nostrum, qui coram tribunali Patris, Filii meritum ad hunc infantem pertinere probaturus, pro eo spondeat, quamprimum ætas vel animæ status permiserit, declaraturum eum Judici unionem suam cum Christo, imo se certo operaturum in infante, ut id feliciter præstet; ad quæ Judex quiescat. Hinc liberos fidelium *SANCTOS* dici, 1. Cor. VII, 14. *quia juste præsumimus ex lege charitatis, eos esse sanctificatos per Spiritum Sanctum. Cum enim Deus gratiam suam inceperit monstrare parentibus, non licet præsumere, quam quod eandem gratiam præstiturus sit infantibus, quamdiu nobis non liqueat contrarium. Infidelium vero liberos non admitti, ad baptismum, quia nullum habeamus argumentum præsumendi, Deum iis velle communicare suam gratiam.* Hactenus Vitringa, qui num *præsumtionibus* illis suis rem satis extricarit, viderint Theologi.

Memoranda porro videtur esse subtilis illa de *morte fidelium* disceptatio. Hanc enim videri poterat in semel justificato locum habere non debere, ex quo Christus & peccatum *condemnavit* Rom. VIII, 3. & illius effectus universos, mortem corporalem ac æternam tulit sustulitque. Solutionem hujus dubii sequentibus thesibus includit Vitringa: (I.) *CREDENTES NON MORIUNTUR*, nullo nempe mortis genere, seu corporali, seu spirituali, seu æterno, *Joh. V, 24. VIII, 51. Rom. VI, 23. &c.* quæ dicta, cum generalibus verbis concipiantur, nullo modo ad aliquod tantum mortis genus, *æternum* puta, restringi oportet; alias enim Christus Judæos, apophthegma suum de morte corporis interpretantes, Joh. VIII, 51. ψευδερμηνείας insimulasset; quod sane non fecit. Ideoq; mallet Vitringa vitam mortemve in dictis illis non distingui in temporalem & æternam, sed generaliori conceptu ita definiri, ut utraque inchoative in hoc, consummative Cap. VII. VIII.

 in futu-

in futuro seculo locum habere queat: *TOTIUS HOMO* (*corpus ac animam possidens*) igitur ex sententia Vitringæ *VIVERE dicitur, quando anima cum bona conscientia & lætitia ad Dei gloriam perpetuo operans, corpori sic præest & dominatur, ut in corpore quidem sive sanguis sive spiritus omnes absolvant operationes debitas, neque hoc tantum, sed etiam, ut in corpore nulli existant motus inordinati, quibus vel mentis voluntati resistitur illiusque lætitia turbatur, vel ipsi corpori certa pernicies creatur: sed ita, ut ipsi corporis motus jucunditatem mentis, ut possint, juvent, ejusque vitam promoveant. MORI econtra TOTIUS HOMO dicitur, quando mens, privata Dei communione, Deum non amans, neque quærens ἔργυ ἀγαθῦ δόξαν, inordinatis CORPORIS motibus obtemperat; per eos in male agendo juvatur, imo ad male agendum incitatur; unde fit, ut homo tandem in eum redigatur statum, quo a Deo plane alienus, omni SPE vacuus, imo Dei & sanctis suam gloriam invidens, Dei judicio molestissimis conscientiæ accusationibus & CORPORIS quoque doloribus (quos nunc neque cogitando assequi, neque fando exprimere valemus) æternis traditur, vim iræ Divinæ, quæ omnium superat cogitata, sentiens.* Atque ejusmodi *mortem* sustulit Christus, & ne fideles eam gustarent, effecit suo merito. *Vitam* vero illam fideles agere incipiunt in hoc ipso orbe & nunquam amittunt. Quamvis enim corpora fidelium exanimentur tandem ac corrumpantur; id tamen mortis nomine appellandum non est. Nam (II) *INTERITUS CORPORIS VALDE PROMOVET VITAM ET SALUTEM FIDELIUM*, Phil. I, 21. 2. Cor. V, 8. Rom. VII, 24. Corpus quippe hominis regeniti est *potissima peccati sedes*, Rom. VI, 6. 12. VII, 23. *Mens* contra consideratur ut perfecta. Unde Paulus Rom. VII, 25: *Nempe igitur ego ipse MENTE quidem servio Legi Dei; CARNE vero legi peccati.* Equidem mens proprie peccat, sed occasionem, instinctum, media peccandi, a corpore tantum non semper nanciscitur; unde & sæpe in regeneratione sibi ingenitum studium Deo placendi retinet, dum ipso actu a carne ad peccatum invita rapitur. Hinc lucta carnis & spiritus, Gal. V. descripta. Destructio ergo corporis, tanquam carceris, per varias afflictiones & mortem, magis magisq; in eo captivum hominem ad libertatis a Christo donatæ usum pleniorem promovet. Hujus rei intuitu Paulus inquit 2. Cor. IV, 16. 17: *Etiamsi*

EXTE-

EXTERIOR NOSTER HOMO *corrumpitur*, INTERNUS *renovatur indies*. Nec nisi qui mortuus est, *justificatur* sive liberatur penitus *a peccato*, *Rom. VI, 7*. Hinc *circumcisionem* illam *carnis absque manu factam*, Coloss. II, 11. de *morte* Vitringa interpretatur, quæ demum carnales concupiscentias radicitus evellit. Sed & (III.) *INTERITUS CORPORIS FIDELIUM PROCEDIT EX CONDEMNATIONE PECCATI FACTA A DEO JUDICE IN MORTE CHRISTI, AC PROIN IN CREDENTIBUS, UT FRUCTUS ILLIUS MORTIS, CONSIDERANDUS EST. Rom. VIII, 10. VI, 6.* Nimirum peccatum condemnatum fuit ut aboleretur, *Rom. VIII, 3.* Ergo & corpus, peccati sedes & fomes. Quæritur autem: cur fideles non inde a primo justificationis momento moriantur, curve tamdiu in carne, tot malorũ causa, detineantur? numne denique hic agendi modus repugnet justitiæ divinæ, cui pridem satisfactum est? Respondet Autor: (IV.) *HUNC MODUM GLORIFICANDI FIDELES, QUO CORPORA EORUM INTEREUNT, SUMMOPERE ILLUSTRARE GLORIAM CHRISTI*, ac sigillatim ejus *potentiam*, *bonitatem*, *sapientiam*, *sanctitatem* & *justitiam*; id quod per partes probat, ac de ultimo horum attributorum peculiari *thesi* (*V.*) latius differit. Sed nimis prolixis nobis esse non licet per instituti nostri rationem. Definimus ergo plura de hac dissertatione, in qua multa præclare ac argute, sed nec pauca nove dicta Theologi deprehendent.

Restant adhuc recensenda capita libri hujus octo, cum præmissa iis præfatione. Verum horum contenta in Actis proximi mensis cum Benevolo lectore communicare apud animum nostrum constituimus.

JOHANNIS PHILIPPI PFEIFFERI, S. TH. D. ac P. P. in Academia Regiomontana &c. Libri IV Antiquitatum Græcarum gentilium.

Regiomonti & Lipsiæ, sumptibus Henrici Boye, 1689, in 4.

Constat plagulis 109.

ANtiquitates Græcas commentariis suis illustrarunt haud pauci: eorum vero, quod sciamus, nemo ista eas methodo tamq; plene,

quam ab Autore clarissimo in luculento hoc opere factum deprehendimus, pertractavit. Quatuor vero libris argumentum hoc latissime diffusum complexus est, quorum summam paucis pro ratione instituti (singula enim attingere in tanta rerum varietate prolixum nimis, forte & tædiosum foret) indicabimus. Et in *primo* quidem ea, quæ ad cultum divinum spectant, Auctor pervestigat, cumque professus esset, se neq; ex naturæ lumine, neq; ex fabulis, sed legibus potius civitatum, cultum Græcorum divinum esse eruturum, exponit qua ratione cultum divinũ prisci illi peregerint, tum veneratione Numinis, tum adoratione, cujus formulæ, & speciatim quibus Lacedæmonii usi fuere, exhibentur. Deinde penitius cultum divinum Græcorum consideraturus, in his tribus constitisse illum refert, in sacrificando, libando & suffiendo, remque declarat per partes. Qua occasione & præcipua festa in Græcia celebrari solita; & ludi Græcorum *solennes* præcipui certaminaque, Olympica, Pythia, Nemea, Isthmia; & oracula denique studiose enarrantur. *Secundo* libro res politicas Græcorum veterum Auctor persequitur, docetque quomodo initio quidem plurimæ Græciæ civitates, e. g. Corinthiaca, Messeniaca, Eliaca, Arcadica, Atheniensis & Spartana, Regio paruerint imperio, postea vero paulatim libertati assueverint, variam sub polyarchia fortunam ac vicissitudines varias expertæ. Inde de Magistratuum apud Græcos electione, vestitu, officiis; de judiciorum publicorum ratione; de pecunia & commerciis; de mensuris & ponderibus; de recta civium, & juventutis præcipue institutione, utq; præter morum disciplinam, ad Gymnasticam, Musicam, Graphicam & Grammaticam eruditi fuerint pueri; de spectaculis porro in theatris exhiberi solitis, Comicis, Tragicis, Satyricis; de publicis civium concœnationibus; de legibus sumptuariis; de vestitu similibusque aliis cum cura differit. Liber *tertius* in exponendis rebus militaribus versatur. Et primum quidem, quæ ad militiam terrestrem pertinent, sive pedestris illa sit, sive equestris, exponuntur, vocabulis, quorum apud Græcos in re militari usus fuit, diligenti studio explicatis. Porro de delectu militum, militari juramento, militum stipendio; de variis armorum tum defensivorum, tum offensivorum, quibus Græci usi fuere, generibus; de obsidionibus urbium, ut oppugnatæ hæ, ut defensæ fuerint; de præliis eorundemque ineundorum ratione, & id

genus

genus aliis tractatur. Denique facto ad navalem militiam progressu, variæ navium species, & partes variæ, navigantiumque officia, & pugna navalis, similiaque describuntur. *Quartus* liber res Græcorum domesticas complectitur, ubi quamplurimos ritus, qui in privata vita locum habuere, solicite recenseri videas. Prolixus imprimis Auctor est in exponendis, quæ ad conjugium spectant: itaque de requisito parentum aut propinquorum mulieris, antequam duci posset, consensu, de sponsaliorum ritibus, de ceremoniis nuptialibus, de divortiis, de ritibus in puerperio & post illud servatis, de liberorum educatione aliisque agit. Inde ad alios domesticæ vitæ actus ac instrumenta progressus, ut dormiverint, ut cibum potumque ceperint, ut convivari consueverint, ut ludis privatis indulserint, enarrat, eaque occasione utensilium varia genera, quæ familiaria Græcis fuere, describit. Tandem ad ultimam rerum lineam, mortem puta, devolvitur, quæque tum ante hominis moribundi obitum, tum post eundem moribus valuerint, & rursus quæ partim ante funeris deductionem, partim in deductione, partim post eam peracta fuerint, commemorat, ritusque adeo funebres copiose & ordine tradit. Subjiciuntur operi tres indices, primus rerum & verborum isque luculentissimus, alter auctorum, tertius locorum Scripturæ ex Antiquitatibus illis Græcis illustratorum.

Coronidis loco, illud adhuc indicare visum, de antiquitatibus Romanorum quoque aliqua huic operi hinc inde inserta esse, & cum constet, pleraque sua a Græcis accepisse Romanos, apertos hoc pacto fontes, ex quibus ea hauserint: ut adeo abunde habeat cupida harum litterarum juventus, unde sitim possit restringuere.

LIBRI NOVI.

Πασχάλιον, sive Chronicon Paschale a mundo condito ad Heraclii Imperatoris annum vicesimum. Opus hactenus Fastorum Siculorum nomine laudatum, deinde Chronicæ temporum Epitomes, ac denique Chronici Alexandrini lemmate vulgatum. Nunc tandem auctius & emendatius prodit, cum nova Latina versione & notis chronicis & historicis. Cura & studio Caroli du Fresne D. Du Cange &c. Parisiis, e Typographia Regia 1688, in fol.

Telluris Theoria Sacra, Orbis nostri originem & mutationes generales, quas aut jam subiit, aut olim subiturus est, complectens. Libri duo posteriores,

res, de flagratione mundi, & de futuro rerum statu. Londini, apud Gu. Kettilby, 1689, in 4.

Selecta Historiæ Ecclesiasticæ Veteris Testamenti Capita, & in loca ejusdem insignia Dissertationes Historicæ, Chronologicæ, Criticæ. Auctore R. P. F. Natali Alexandro. Parisiis, apud Ant. Dezallier, 1689, in 8.

Des Satires personnelles. Traité Historique & Critique de celles qui portent le nom d' *Anti*. A Paris chez A. Dezallier, 1689, in 12.

La Defense de l' Eglise contre le livre de Mr. Claude intitulé *La Defense de la Reformation*. A Cologne, 1689, in 12.

Orbis Gothicus, i.e. Historica Narratio, omnium fere Gothici nominis Populorum origines, sedes, linguas, regimen, &c. exhibens: opera & studio Matthæi Prætorii, Præpositi VVaiheropolitani &c. Typis Monasterii Olivensis, 1689, fol.

Pauli Colomesii Observationes Sacræ. Editio secunda, auctior & emendatior. Londini, 1689, in 12.

Josephi Ramonii, JCti & Advocati Barcinonensis *Consilia* & Sententiæ Senatus Regii Cathaloniæ, cum Observationibus Jacobi *Balduccii* J. U. D. & Advocati Foroliviensis. Bononiæ, 1689, in fol.

Thomæ Bartholini Thomæ Filii Antiquitatum Danicarum de causis contemptæ a Danis adhuc Gentilibus Mortis Libri tres, ex vetustis codicibus & monumentis hactenus ineditis congesti. Hafniæ, 1689, in 4.

Loci Communes sive Materiarum & Rubricarum juris universi Sylloge serie alphabetica digesta a Johanne Bechtoldo, nunc aucta & emendata ab Andrea Christophoro Rosenero, J. U. D. Lipsiæ, apud Frid. Lanckisium. 1689, in 4.

Joh. Joachimi Becheri Tripos Hermeticus fatidicus, pandens Oracula Chymica, seu Laboratorium portatile. Francof. apud J. G. Schiele, 1689, in 8.

Georgii VVolfgangi VVedelii Exercitationum Medico-Philologicarum Decas quarta. Jenæ apud Joh. Bielcke, 1689, in 4.

Diatribe Historica de Xerxe, Nebucadnezare, ac Cyro Minore liberatore Judæorum: ad Justini, Epit. Trogi, L. XXXVI c. 3. n. 8. Cui accessit Dissertatio de Incertitudine notationis temporum per Olympiades. Autore Joh. Christoph. Artopœo. Argentorati 1689, in 8.

Histoire de la Conjuration de Portugal en 1640. A Amsterdam, 1689, in 12.

Le Vrai Interêt des Princes Chretiens, depuis le changement arrivé en Angleterre &c. A la Haye, 1689, in 12.

La Source des Malheurs d' Angleterre. A Cologne, 1689, in 12.

De l' Education de la Jeunesse. A Paris, 1689, in 12.

De la Valeur. A Cologne, 1689, in 12.

Nouvelle Heresie dans la Morale. A Cologne, 1689, in 12.



ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Decembris Anno M DC LXXXIX.

TRAITE' DE LA DIVINITE' DE NOTRE Seigneur Jesus Christ.

id est,

Tractatus de Divinitate Domini nostri Jesu Christi.

Roterodami, apud Regnerum Leers, 1689, in 12.

Constat plagulis 19.

EX proœmio libri non obscure colligitur, & accedit famæ testimonium, ejusdem autoris esse hunc tractatum, cujus est, quem in Actis nostris *A. 1685. p. 126.* & seqq. recensuimus & laudavimus, *de veritate religionis Christianæ*; *Abbadii* nempe, Theologi inter Reformatos Berolinenses clarissimi. Insistit in hoc opere iisdem principiis, quibus in edito illo ante quadriennium tractatu existentiam Dei, ejusque cognitionem naturalem primo, deinde revelatam, tam in Judaismo quam Christianismo stabiliverat; negatque fieri posse, ut qui illa admittat, de æterna divinitate Christi dissentiat. Fatetur, hanc in se consideratam mysterium esse inexplicabile, temeritatisque & superbiæ reos esse, qui scientiæ opinione inflati, inutilibus speculationibus rimari illud præsumant: interim quatenus revelatum & traditum est in Scripturis, nosci & doceri clare & distincte debere, minime dubitat. Methodum elegit, qua monstrat, aut divinitatem Christi asserendam, aut universæ religionis Christianæ veritatem in dubium vocandam esse. Argumenta sua in *quinque sectiones* distribuit; *sexta* ad objectiones quasdam præcipuas respondet. *Præmittit* monita quædam, nempe quod jam acturus solū sit de Divinitate Christi, sepositis articulis de Incarnatione & Trinitate, con-

nexis licet & quasi concatenatis. Deinde quod cum de Deo supremo, summo & altissimo (*souverain*) loquitur, voce illa non utatur sensu paganorum, qui cum Numine supremo subalterna admittebant, sed intelligat participationem essentiæ divinæ supremæ & gloriosæ, cui omnia subsunt. Denique adversariis, non ut distincti sunt in sectas Arianorum, Semi-Arianorum, Socinianorum & similes, sed in universum respondet, & argumentis suis simul satisfacturum omnibus se esse sperat. Promittit & præstat styli modestiam, nec dissentientibus ingenii & eruditionis laudem detrahit; licet a sententia illorum vehementissime sese abhorrere, non potuerit dissimulare.

Sect. I. *Sectione prima* demonstrat, si ex hypothesi adversariorum, quam detestatur, Christus non sit verus Deus, Patri consubstantialis, secuturum esse, quod Mahometismus præferendus sit religioni Christianæ, imo cum summa blasphemia Mahometem Christo potiorem dicendum fore.

Cap. I. Præsupponit, manifestam & inexcusabilem idololatriam committi ab adorantibus Christum, nisi is sit verus & consubstantialis Patri Deus. Nil juvare, si dicatur, cultum Christo ex pia persuasione exhibitum, ad Deum referri, aut Christo ut legato Parentis præstari; utrumque enim naturæ veri cultus soli Divinitati debiti repugnare. Non minus certum habet, idololatriam crimen esse, quod legem Dei violet, & Spiritum pietatis auferat. Rejicit igitur *Episcopii* Arminiani indulgentiam, qua putat speculativum solum errorem esse idololatriam, neque ad essentiam salutis pertinere, credatne aliquis Christum Deum esse ex æterna generatione, an nominetenus & propter commissum ei salutis humanæ ministeriũ. Quæri enim ait de cultu supremo Numini debito, quem utique absque gravi idololatriæ crimine nulli creaturæ tribui fas sit; nec excusari, sive illa filii, sive quodcunque nomen gerat, quo per allusionem quandam Deus

2. repræsentetur. His præsuppositis, si Christus non sit verus Deus, negat Mahometem pro impostore & Diaboli emissario haberi posse, sed cum adorationem Christi disertis verbis in Alcorano suo prohibuerit, laudem potius mereri, quod idololatria, quæ jam inter gen-

3. & 4. tiles abolita erat, Christianis etiam interdixerit. Majorem quoque ipso Christo nefandum illum futurum ait, qui clarius & apertius de cultu Dei locutus sit; cum ex Christi & Apostolorum dictis tantus hominum numerus aliter argumentari non potuerit, quam quod

Christus

Christus se pro vero Deo habuerit, talemque prædicari fecerit: nec excusari posse adversariorum glossam, qui verba ejus & Apostolorum pro hyperbolicis & figuratis habent, & sic veraciorem candidioremque Mahometem faciunt, qui apertis & simplicissimis verbis unitatem Dei asseruit, & divinitatem Christo, quantum in ipso erat, ademit. Affert hic Autor plurima dicta Christi & Apostolorum, quibus divinitas ejus adstruitur, tam clare & liquide, ut nemo illa in alium sensum interpretari potuerit, imo dolo simillimum fuerit talia dicere & scribere, quæ non nisi figurata & metaphorica essent. Respondet ad dictum illud singulare & unicum: *Pater major me est*; (in quo Christus ad humanam suam naturam respicit,) ejusque explicationem haud difficilem esse dicit, si cum tot aliis, per quæ æqualitas cum Patre docetur, conferatur. Huc delabi ostendit omnes illos divinitatis Christi impugnatores, ut eum pro hypocrita & sycophanta traducant, qui sibi arrogaverit quæ non habebat, aut orbem terrarum obscuris & incautis loquendi formulis in fraudem induxerit, speciatim etiam Thomam Apostolum, quem ab errore liberare debuerit, in longe pejorem, idololatriam nempe præcipitaverit, dum se Dominum & Deum ab illo vocari passus est; unde simul sequatur, eos Mahometem, ut omnibus modis veriorem, & zelo pro gloria Dei ferventiorem, quam Christum commendare. Neque multum obesse Mahometi, quod morum disciplinam non optimam constituerit, & futuræ vitæ felicitatem carnalem somniaverit: præterquam enim quod errores in cultu Dei, morum vitiis nocentiores sint, & quod Paradisi illius Mahometici descriptio ad sensum mysticum trahatur; certum tamen interea esse, sincerum & cordatum fuisse Mahometem, qui agnoverit se hominem esse, & maximam orbis partem ab idololatria liberaverit, a qua excusari non potuerint, qui Christum pro Deo adorarent, cum non nisi homo esset.

Sectione secunda eadem argumentandi ratione ostenditur, Sect. II.
stante Sociniana vel simili hypothesi, a Synedrio Judæorum juste condemnatum fuisse Christum, neque hodie reprehendendos esse Judæos sententiam illam approbantes. Ostendit Autor, jus fuisse Cap. I.
Synedrio condemnandi eum ut blasphemum, qui se pro Deo gereret; Christū vero id fecisse, si vel maxime de confessione ejus coram Syne-

drio facta non constaret, ex scriptis Evangelistarũ & Apostolorũ manifestũ esse. Id prolixe deducit, & a cavillis dicta Scripturæ liberat. Mon-
Cap. 2. strat etiam, quam severe injunctum fuerit Judæis, ut non nisi unum Deum colerent, neq; ullum cultum analogum cuiquã Deo subalterno sive secundario tribuerent. Licet vero allegare velint adversarii, aliter
3. aliquando locutum esse Christum, & divinitatem suam ipsum veluti negasse; opponit tamen Autor alia ejus & scriptorum sacrorum dicta, quibus manifestissime divinitas illi tribuitur, e. g. omniscientia sive scrutatio cordium, titulus Salvatoris mundi, quodque sit primus & ultimus; quæ omnia pro impiis hyperbolis habenda essent, si alio quam literali sensu intelligi deberent. Operose hæc confirmat ex
4. dicto Phil. II, 6. de æqualitate ejus cum Deo, & quod adorari se passus sit, rejicitque distinctionem inter cultum verum & *subalternum*, & commentatur quædam ad historiam Cornelii Petrum, & Johan-
5. nis Angelum adoraturi.

Tertia Sectione quod jam dicere cœperat, pluribus deducit, erroris, si qui sit, in credenda Christi divinitate, originem & propaga-
Sect. III. tionem ipsi Christo & ejus discipulis imputandam fore. Essent enim non nisi metaphoræ & phrases Thrasonicæ, quæ de Christo in Novo Testamento leguntur, ex quibus clarum & liquidum est, at-
Cap. 1. tribui illi quæ nulli creaturæ conveniunt. Deinde summa Dei beneficia, & maxime quod filium suum tradidit pro nobis, exilia & parum æstimanda essent, si Christus non nisi creatura est & homo. Minus etiam præstitisset Deus, tradendo ad mortem filium saltem adscititium, quam Abrahamus proprium & unicum offerens. Urget hæc & alia adversus *Socinum* & sequaces, qui magnum illud opus charitatis in Patre, & obsequii in Filio extenuant. Quærit in-
2. de, quodnam *manifeste magnum mysterium* 1. Tim. III, 3. in Christi incarnatione celebrari possit, si non sit Deus? nullaque argutia defendi posse monstrat dictum illud Apostoli, nisi divinitas Christi agnoscatur. Idem monet de scandalo crucis Christi; id enim omne
3. evanescere, si non nisi homo crucifixus sit. Nec aliud statuit de omnibus mysteriis religionis, quæ sola fide percipimus, si ad ratiocinationes & sensus examinentur. Speciatim ostenditur, quantum detrahatur majestati Christi, si titulus filii illi non nisi abusive aut ex

aut ex adoptione competat, aut solum miraculosa ejus conceptio aut resurrectio & exaltatio celebretur; nec esse, ut Angelis, imo ne Moysi quidem aut Adamo præferretur. Dicit porro, negata divini- Cap. 4.
tate Christi, mortis quoque ejus pretium minui, quod infinitum esse debuit; neque respondere antitypum ex doctrina Evangelica typis agni paschalis & hædi expiatorii Veteris Testamenti. Multa hic opponuntur cavillis Socinianis, alias utilitates, quam satisfactionis pro peccatis, ex morte Christi colligentibus; & consideratur interna illa passio Christi in horto, & querela de derelictione in cruce: eo enim potissimum respectu passionem Christi cruciatibus martyrum diuturnioribus & sævioribus (quos tamen multi magno & hilari animo toleraverint,) præferri debere monet, & inde Christo incubuisse, quia aliena peccata in se suscepit, quod nemo ne sanctissimus quidem facere potest aut solet, & Paulus de se negat 1. Cor. I, 13. Progreditur inde Autor, ut ostendat, Sacræ Scripturæ sensum obscurum, incomprehensibilem, falsum, illusorium, absurdum & irrationabilem futurum esse, si hypothesi adversariorum locus detur. Hoc adductis plurimis Scripturæ dictis demonstrat, quæ in tres classes
distinxit. Allegat *primo* quædam, in quibus origo Christi de cœlo & 5.
reditus in cœlum significatur, & explodit impiam fabulā quam commenti sunt, quos dicere non puduit, Christum ante cœptum ministeriū in cœlum adscendisse, docendi facultate instructū rediisse. *Secundo* producuntur, quibus præexistentia Christi asseritur, & quæ omnia 6.
absurdissimum sensum haberent, si Socinianis interpretationibus locus esset. Rejicitur speciatim illa, qua clarissimum dictum Christi Joh. VIII, 58: *antequam Abraham fieret, ego sum*, corrumpi solet, & respondetur ad ea, quæ objiciuntur ex phrasi Apocalyptica *de agno occiso ab initio mundi. Tertia* dictorum classis eorum est, quibus gloria divinitatis expresse Christo tribuitur. Agmen inter hæc du- 7.
cit Paulinum Phil. II, 6. quod egregie a sycophantia adversariorum vindicatur, ut & divinum illud Johannis prooemium: *in principio erat Verbum &c.* Joh I, 2. 3. Respondetur immanibus & blasphe- 8.
mis hostium Christi explicationibus, & recenti commento, quod verba illa Johannis Cerintho aut Gnosticis tribuenda sint. Singulari dissertatione Arianum systema examinatur, ejusq; futilitas osten- 9. 10.
ditur, 11.

ditur, quodq; minus sibi constet & cohæreat, quam quod *Socinus* exco-
Cap. II. gitavit. Deniq; prolixius deducitur, cujus absurditatis, obscuritatis & æquivocationis rea fiat Scriptura, imo ipse Spiritus Sanctus, si Socinianis explicationibus locus esset. Vocasset enim Scriptura Christum Deum, eique attribuisset, quæ soli Deo competunt, homini nempe quæ Deo, creaturæ quæ Creatori; hacq; sive fraude sive incuria idololatriam horrendam introduxisset, & Veteris Testamenti vaticinia, quæ ad ipsum Deum gloriamque ejus manifesto pertinent, summa cum impietate Christo applicasset, si non Deus, sed homo esset.

Sect. IV. Postremum hoc uberius tractatur *Sectione quarta.* Demonstratur nempe, cum religio Christiana duabus veluti columnis innitatur, dictis videlicet Prophetarum & Apostolorum, *quæ se invicem respiciunt*, & inter se connexa & harmonica sunt; *tolli tamen omnem* illum consensum & nexum, ex hypothesi illorum, qui æternam & con-
Cap. I. substantialem deitatem Christi negant. Proponit igitur dicta, quibus Prophetæ unitatem & attributa Dei, deinde characteres Messiæ & regulas Judaicæ religionis, denique etiam conversionem gentium describunt. Ista omnia (ait) nec vere prædicta fuissent & inspirata a Spiritu Sancto, aut non ita enunciata, ut homines errorem evitare potuerint. Deo v. g. Prophetæ uni & soli adscribunt creationem universi, scrutamen cordium, remissionem peccatorum, judicium orbis terrarum &c. eadem tamen etiam Christo attribuunt Apostoli: quid dicendum de his esset, si non nisi figurate & nescio quam humili & jejuno modo intelligenda sunt? Promiserunt Prophetæ conversionem gentium a cultu idolorum; quid vero id proficeret, si deterior idololatria erga Christum hominem, non Deum, introducta
2. esset? Quomodo excusandi essent Apostoli, qui dicta illa Prophetarum crude intellexerunt, aut orbem scientes in errorem præcipitarunt, si Socinianæ sententiæ deferendum est? Cur Johannes Baptista vaticinium Esaiæ cap. XL. ad se traxit, & præcursorem Domini Deique se finxit, si Christus Deus non fuit? Urget etiam Autor dictum Ps. CII, 26: *initio tu Domine terram fundasti &c.* quod Christo ap-
3. plicatur Hebr. I, 10. & absurdis adversariorum effugiis occurrit. Insigne argumentum affert ex visione Esaiæ VI, quam disertissime Johannes Evangelista cap. XII, 40. de Christo explicat: destruit inde
4. violentas adversariorum detorsiones. Idem facit in dicto Ps. XCVI,
6. 7.

6. 7. *adorate eum omnes Angeli ejus &c.* quod itidem ad Christum refertur Hebr. I, 6. Concludit inde, quam cerebrina, allusoria, & inepta fuisset, ex hypothesi Sociniana, omnis illa dictorum Veteris Testamenti allegatio, qua tamen Apostoli os obturabant Judæis, & Gentilibus scandalum auferebant, quod ex induratione Judaica capere poterant, cum etiam hanc prædictam esse ostenderent; id denique vel maxime agebant, ut hominibus Christum adorandum esse persuaderent; eo enim pertinent dicta Hebr. I, 10. *adorate eum Angeli &c.* & Phil. II, 10. *flectatur illi omne genu &c.*

Sectione quinta commonstratur, ex eadẽ hypothesi & Judaicam sive Moysaicam, & Christianã religionem, a superstitione & dramatico ac theatrico lusu, imo ab ipsa magia liberari & distingui non posse. Considerat apparitionẽ Moysi in rubo ardenti factam; ubi certissime præsupponit & evidenter probat, illum qui Moysi locutus est, non fuisse Angelũ creatum, sed verum Deum, imo Filium Dei, qui se clarissimis verbis & interrogatus a Moyse Jehovam vocat. Illum vero adoravit Moyses jussus quidem, & ex ejus præcepto populum eduxit & ex ejusdem ore legem promulgavit, omnia frustra & cum summo erroris & imposturæ periculo, & peccato idololatriæ, ex parte Moysis, si aliter sese res haberet. Exaggerat hoc considerando, quam pessime errent, qui Christum, si non est Deus, inferiorem faciant Angelo illo ex rubo loquente, cujus tamen autoritate tota stabat religio Judaica, & extat clarissimum, quod supra citatum fuit, dictum de præexcellentia Christi super Angelos. Applicat idem ad religionem Christianam, & confundit adversarios, qui ut Christum, cui divina omnia Col. I. & innumeris aliis locis tribuuntur, non nisi legatum Dei faciant, ex eodem in rubo loquente Angelum efformant. Expendit dictum Joh. X, 30: *Ego & Pater unum sumus &c.* utque hoc Judæi probe intellexerint vers. 33, nempe quod Christus id dicens se Deum fecerit, & respondet ad objectionem ex alio dicto Christi, quo Apostoli uni inter se esse dicuntur, sicut ipse & Pater unus est, itemque ad verba Christi d. l. v. 33. quibus Judæis prout opus erat, κατ' ἄνθρωπον respondet, notatque, ut hoc responsi genus differat a directo, v. g. cum interrogatus Christus, an esset filius Dei, dixit, *ego sum*, Marc. XIV, 62; tum ab alio, quando ad cogitationes sive præsuppositum respondet, Luc. XVIII, 19. ubi adolescenti dixit, *nemo bonus nisi solus Deus;*

Sect. 1. Cap. 1. 2. 3. 4.

Deus: ſciebat enim ſe ab illo pro homine ſolum vel doctore haberi.
Cap. 5. Subjungit loca plurima, in quibus Apoſtoli Chriſtum diſerte Deum, & quidem cum maximis epithetis nominarunt, qui tamen vel ex Herodis exemplo, & ex communi omnium Judæorum religione ſciebant, quanto id fieret cum piaculo, niſi verus Deus eſſet, cui tituli illi darentur. Deniq; a ſuperſtitione, fictione theatrica & illuſio-
6. ne Satanica ſive Magia diſtingui non poſſe Chriſtianiſmum monſtrat, niſi ſtante ſententia de ejus deitate. Non ſalvari gloriam Dei, ſi dicatur, Chriſtum faſſum eſſe quod Patre minor ſit; toties enim apertè Dei nomen & characteres ſibi tribuiſſe. Neque miracula ad confirmandam ejus doctrinam ſufficere, ſi ſe falſo pro Deo geſſerit, & idololatriam introduxerit. Demonſtratum igitur eſſe Autor confidit, quod demonſtrandum ſumſit in exordio tractatus; *Deitatem nempe Chriſti ita connexam eſſe eſſentialiter cum veritate religionis Chriſtianæ, ut utraque ſimul ſtet aut cadat.*

Sectione ſexta ad objectiones quasdam reſponſurus, tria illarum
Sect. VI. genera facit. Quasdam ait ex ratiocinatione; alias ex analogia fidei; alias denique ex dictis Scripturæ formari. Primo generi plurimum tribui ab adverſariis, & ex iis *Smalcium* non veritum eſſe
Cap. 1. ſcribere, ſatius eſſe ut qualicunque inventione ſenſus aliquis Scripturæ inferatur, quam ut ex illa admittatur, quod rationi repugnet, e. g. quod Deus homo factus ſit. Huic aſſerto in genere opponit depravationem rationis humanæ, & quod non ex ratione, ſed ex revelatione, & quidem tali ſalus a Deo offeratur, cujus prædicationem pro ſtultitia habituri ſint homines, etiam ſapientiſſimi. Fides itaque requiritur, neque hac opus eſſet, ſi per argumenta ex ratione ſalvari, aut myſteria Dei capere poſſemus. Ducimur quidem, ait, per rationem ad fidem, quia comprehendimus, Deum eſſe infallibilem; diſcernimus etiam, an loquatur Deus & quid loquatur, & ex principiis revelatis concluſiones formamus & in his acquieſcimus: judicium autem de revelatis veritatibus rationi plane abjudicari debet, & blasphemus eſt Smalcius, cum propoſitionem, *Deus homo factus eſt*, ex dictamine rationis rejicit, quæ tamen ex autoritate Scripturæ credenda eſt, licet nulla ratione percipi aut probari poſſit. Ad
2. ſecundum genus ſive analogiam fidei referri poteſt, quod objiciunt de ſilen-

ſilentio Scripturæ. Negant enim expreſſis verbis tradi (quod tamen diſerte & ſæpe, ut articulus maximi momenti, tradi debuiſſet,) Deum eſſe incarnatum; licet Evangeliſtæ tot alia & minutiora de nativitate Chriſti memoraverint. Ad hæc monet Autor, poſtulandum non eſſe, ut myſteria fidei in omnibus Scripturæ libris, vel uno ſæpius, vel omnia neceſſaria capita in uno ſermone proponantur; deinde quod par probatio fieri poſſit ex legitima verborum conſequentia, ac ex verbis expreſſis. Allegat argumentum Chriſti pro reſurrectione ſive immortalitate animæ, Sadducæis oppoſitum. Neq; deeſſe ait dicta clara ad probandam incarnationem Dei, v. g. *Emanuel, nobiſcum Deus; Deus manifeſtatus in carne; Verbum caro factum eſt.* Eodem refert omnia, in quibus Chriſtus dicitur Deus, vel Dei filius, & divinis inſignitur characteribus, unde neceſſario ſequitur, illum eſſe Deum non minus quam hominem. Indicat rationes, cur quædam myſteria rarius tractentur in aliquibus Scripturæ libris, v. g. de vita æterna in Veteri Teſtamento, quia clarior de illa traditio Novo reſervabatur: dein quod myſteria per gradus ſint diſcenda, & lac præmittendum cibo ſolidiori, Hebr. V, 11, 12. Inter Scripturæ dicta, quibus Sociniani abutuntur, primarium fere eſt Joh. XVII, 3: Cap. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut agnoſcant te ſolum verum Deum & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Præmittit quædã de diverſis locutionibus Chriſti, pro diverſitate ſtatus exinanitionis & exaltationis, & iterum rejicit argumentationẽ de ſilentio Scripturæ. Notat adverſarios ſibi ipſis contradicere, cum ex loco hoc Johannis conſtare putant, Chriſtum non eſſe verum Deum, cum tamen epitheton illud veri, imo quod perfectiſſimo modo Deus ſit, alibi admittant; citat *Socinum & Smalcium.* Ad dictũ vero ipſum ita reſpondet, ut dicat non magis excludi phraſi illa, cum Pater dicitur ſolus verus Deus, Chriſtum, quam a Paulo Patrem, cum ſcribit, ſe nihil ſcire quam Chriſtum & quidem crucifixum. Cum enim Pater & Filius unum ſint, de utroque accipi, quod de uno prædicatur, junctis nimirum aliis locis ex quibus veritas eluceſcit. Al- 4. legat celeberrimum in Socini ſchola *Crellium*, qui agnoſcat, pronomen *Te* non eſſe copulandum cum vocabulo *Deus* aut *Pater*, ſejungi enim interpoſito articulo. Poſthæc accuratius conſtructionem illius loci examinat & triplicem facit. Ex omnibus tamen, ſive repetitione prioris membri, ſive alia ſatis evidenti ratione hunc ſenſum e-

ruit, ut Christus æque ac Pater solus & verus Deus esse affirmetur. Rejicit instantiam *Crellii* ex dicto 1. Timoth. VI, 16. idque pro sua adducit sententia. Examinat denuo locationem articuli in textu Græco post pronomen *Te*, & occasionem dicti, idque limitari contendit ex materia subjecta, quia Christus verba illa: *solus verus Deus* (fatentibus adversariis) idolis paganis opposuerit. Urget locum parallelum 1. Joh. V, 21. quo vel Socino concedente Christus dicitur verus Deus & vita æterna; licet alii impudenti cavillo hæc verba ad versum præcedentem retrahant. Ad dictum vero Christi rediens contra *Crellium* observat, Christum, dum necessitatem cognoscendi Patrem & se eandem significat, æqualitatem cum Patre apertissime indicare; præsertim cum agatur non de qualicunque notitia, sed de cognitione salutari, quæ cultum secum ferat. Eandem paritatem deducit ex eo, quod vita æterna utriusque cognitioni tribuitur, & tam Christus quam Pater esse dicuntur vita æterna, non quod eam solum promittant, aut viam monstrent, sed quod sint origo & objectum. Cum vero *Sociniani*, perperam quidem, evincere velint, nomen Dei non esse proprium, sed appellativum, ex illorum principio colligit, vocabulum illud in hoc dicto ad Christum non minus quam ad Patrem pertinere. Idem dicit de vocabulo *verum*, i. e. vere existentem & supremum, quod idolis opponitur, una cum vocabulo *solum*, & de hoc monet, quod non semper sit exclusivum, ideoque nec hic Patri tantum, sed & Filio ex unitate essentiæ competat. Affert loca 1. Cor. IX, 6. *aut ego solus & Barnabas:* ubi Paulus non excludit Barnabam, sed idem de se & illo dicit. Item 1. Tim. VI, 16. *qui solus habet immortalitatem* &c. Hic enim locus si de Christo loquitur, de Patre quoque; aut si de Patre, intelligendus etiam est de Christo; uterque enim habet immortalitatem & reliqua quæ ibi memorantur.

JOSEPHI RAMONII JCti ET ADVOCATI Barcinonensis Consilia & Sententiæ Senatus Regii Cathaloniæ, cum Observationibus Jacobi Balduccii, J. U. D. & Advocati Foroliviensis.

Bononiæ, typis Barth. Recaldini, & Jul. Borzanghi, 1689, in fol.
Constant plagulis 142.
Prostant Lipsiæ, apud J. F. Gleditschium.

Novam

NOvam hanc Ramonii Consiliorum editionem reticere vel ideo non debuimus, quod tantis nunc accessionibus locupletatus atque altera sui parte auctior liber inter novos recenseri non immerito valeat. Ac de ipso quidem Ramonii opere pauciora nobis erunt dicenda, cum illud, utpote jam ante sexaginta annos in lucem publicam Barcinonæ emissum, eruditis ignotum esse nequeat. Nimirum complectitur hocce Volumen Consilia quinquaginta ab Autore, variis super casibus subinde consulto, operose satis elaborata, & nullibi non copiosis Juris interpretum allegationibus suffulta; quorum plerisque sub finem annectitur integra sententia, (quandoque prolixa satis, & rationes tam dubitandi quam decidendi complectens,) in Senatu Regio Cataloniæ postmodo in eadem causa subsecuta, jam secundum autoris opinionem, jam contra eam concepta. Huic Ramonii labori, cum jam prelo rursum subjiciendus esset, Balduccius egregiam adhibuit operam, dum non solum variis annotationibus ac observationibus ea, quæ ab autore dicta fuerant, illustrare & amplificare fategit; sed præterea varias Rotæ Romanæ aliorumque illustrium Italiæ Tribunalium *Decisiones*, numero *quinquaginta*, in observationibus utplurimum laudatas, sed hactenus nondum impressas, adnexuit ac lectori benevole communicavit. Ac Observationes quidem, (quas raptim velut ob temporis angustiam a se conscriptas, ac per hiemis modo præteritæ spatium, urgente typographo, elaboratas ait,) mox singulis, ad quæ spectant, Consiliis in calce subjecit: Decisiones vero separatim exhibere maluit, sic ut hæ solæ *secundam* Voluminis *partem* constituant. Quum vero hæ ipsæ, uti dictum, nullibi adhuc in publicum editæ prostent, haud ingratum fore confidimus, si nonnullas earum per compendium ac speciminis loco excerptas in medium hic proferamus. Offert autem sese nobis mox *Decisio I.* qua post antegressas varias disceptationes definitum fuit, Renunciationem hereditatis paternæ; in gratiam licet fratris factam a sororibus monasterium ingressis, non pro personali, sed reali habendam esse; adeoque ad fratris hujus postea sine prole defuncti successionem venire non posse monasterium illud; sed eam deberi remotiori cognatæ defuncti, aut ejus loco alii cuidam cœnobio, cui ipsa nomen dederat. *Decisio II.* sancit, in testamento, Primogenituram in familiam introducente, vocatis omnibus Descendentibus ex

linea masculina, Fœminas quoque comprehensas putari in casum deficientium masculorum, & consequenter Primogeniti sine mascula prole decedentis filiam potiorem esse agnato ejusdem remotiore. *Decisione V.* statuitur: verba substitutionis concepta sub conditione negativa, non-existentiæ masculorum tempore obitus gravati, vulgarem tantum inducere substitutionem, non fideicommissariam, & sic expirare, si mortis tempore masculi extiterint, utut postea moriantur. *Decisione XXI:* Bonis omnibus (exceptis solummodo ad effectum testandi scutis 2000, & usufructu bonorum ad vitam) tam præsentibus, quam *futuris* in filium per donationem *inter vivos* translatis, cum filius deinde præmortuus esset uxore sua herede instituta, judicatum est, sub universali ista donatione comprehensam non intelligi Legitimam patri ex bonis filii prædefuncti debitã. *Decisione XXIV:* Pro liquidatione fructuum perceptorum, ad quos restituendos possessor condemnatus est, sufficere locationem ab ipso interim factam. *Decisione XXX:* Ex promisso, a fratre majorenni, supplemento dotis, quam non satis congruam a communi parente soror nacta fuerat, fratrem pupillum quoque valide obligari. *Decisione XXXII:* Mutum & surdum simul a natura talem nihilominus, si per signa satis intelligatur, ex concessione Principis valide testari, imo semel iterumque ultimam voluntatem immutare posse; item: Debiti, de quo aliunde non constat, confessionem in testamento simplicem nequaquam adeo validam haberi, quin per subsecutam novam dispositionem revocari rursus valeat. *Decisione XXXVI:* Introducta per fideicommissum universale primogenitura, additoque præcepto de non alienando sub pœna caducitatis, si nihilosecius dein cujusdam partis distractio facta sit, alienantem non solum ab hac parte, sed a toto cadere. *Decisione XL:* Dotis hypothecam computari a die promissionis, utut matrimonium serius consummatum & solutio integro demum vicennio post factam promissionem subsecuta fuerit, uxoremque proinde omnibus intermedii temporis creditoribus in concursu præferri. *Decisione XLVI:* In fideicommisso particulari familiæ relicto non esse locum repræsentationi, sed simpliciter proximiores tantum admitti. Atque hæc quidem exempli loco adducta impræsentiarum sufficere poterunt. Cæterum præter decisiones has, secunda hujus libri pars duplicem quo-

quoque includit indicem: alterum quidem Consiliorum Ramonii, qualis jam in editione Barcinonensi adjectus fuit; alterum vero eumque locupletissimum, contenta in Observationibus Balduccii ac superadditis Decisionibus complectentem. Quod reliquum est, pollicetur Balduccius quamprimum aliud Consultationum pariter de novo imprimendarum Volumen, suis itidem Observationibus collustrandum; id quod proinde dubio procul eruditi nobiscum avide præstolabuntur.

CAMPEGII VITRINGÆ SACRARUM OBSERVATIONUM libri duo,

Franequeræ, 1689, in 4.

Libri posterioris *capita octo* priora in Actis superioris mensis recensuimus. Nunc de reliquis, quæ maximam partem *crucifixioni Christi*, tum in *vaticiniis* tum in *typis Veteris Testamenti* investigandæ, destinavit Clarissimus Auctor. *Vaticinia* illa extant *Psal. XXII, 17. seqq. Psal. LXIX, 8. 20. 26. 27. Psal. LXXXVIII, 6. Esai. LII, 13. LIII, 5. Zach. XII, 10. Deut. XXXII, 16. Psal. CXVIII, 22.* Horum præcipua eodem fere modo *Vitringa* explicat, quo & alii Christianorum Interpretum explicarunt. Paradoxa autem cumprimis est illius de *Psal. XXCIIX. 6.* sententia. Queritur illic Servator patiens: במתים חפשי כמו חללים שוכבי קבר i. e. *In mortuis liber exiiti; sicut perforati jacentes in sepulchro.* Heic *liberi* vocem innuere dicit Vitringa hominem, qui ab hominum consortio *liber* sive *separatus* & exclusus est, ceu *περικάθαρμα καὶ περίψημα τοῦ κόσμου*, quique eam ob rem inter alios maleficos mortis reos suspenditur *liber*, i. e. inter cœlum & terram *medius*. Et quidem *sicut perforati* (non gladio, ut vulgo putant, sed *clavis*, queis cruci affigantur,) vivi *jacentes in sepulchro suo*, cruce puta, in qua ex Romanorum more crucifixorum cadavera permanebant ac feris avibusque dilanianda objiciebantur. Cap. IX.

Inter *typos* familiam ducit *Isaacus ad aram oblatus*. Hic enim impositus fuit super lignis ממעל לעצים, quæ (2) ipse *portarat*; fuit (3) *ligatus*, & quidem (4) *nudus*, ac (5) *in altum elevatus*, (6) *vivus*, idque (7) *in monte* aliquo, (8) e jugo montium, in quo & Cap. X.

Christus crucifixus est. Octuplici hoc modo typum antitypo respondere, Vitringa pluribus ostendit. Sequuntur *Agnus paschalis*
Cap. XI. *& serpens æneus.* De illo nihil novi affert Noster. De hoc *Franciscum Burmannum* secutus, asserit, eum non tam ipsius *Christi*, quam *Diaboli* cum Christo *crucifixi* ac in cruce triumphati typum esse. *Momorderant* (inquit) *Israelitas serpentes igniti. Multi ex morsu vel halitu moriebantur. Hoc significabat statum illius gentis præsentem, quo plurimi erant, qui per Diabolum seducebantur ad mortem. Deus vero* serpentem *in altum erigi jubet ad perticam; & quidem serpentem* æneum, *cæteris similem, mortuum tamen, ut videtur, & viribus suis privatum, ut eos erudiret, instare tempus, quo Diabolus in crucem agendus erat una cum Dei Filio, & in cruce occidendus viribusque suis privandus.* Hanc sententiam probat dictis *Coloss.* II, 14. *1. Petr.* II, 24. *Rom.* VI, 6. quorum prius (in quo vox *δειγματίζειν* conferenda est cum *παραδειγματίζειν suspendere* Num. XXV, 3.) *Diabolum in cruce δειγματισθέντα palam traductum*, alterum *peccata a Christo in lignum sursum sublata*, tertium *veterem nostrum hominem cum Christo una crucifixum esse*, memorat. Sed digna est tota illa dissertatio, quam ipse Lector benevolus evolvat, ac quid veri ei insit,
C. XII. quidve dubii, perpendat, æque ac sequens *de Israelita suspendendo* juxta *Deut. XXI, 22. 23.* quem Paulus *Gal. III. 13.* Christi crucifixi typum fuisse, diserte testatur. Sententiam hac de re suam Vitringa his fere thesibus inclusit: I. *Lex Mosaica de suspendendo adeo fuit generalis, ut ad facinorosos quosvis* (אשר יהיה בהם חטא משפט מות) *capitalis pœna reos pertinuerit, modo supplicii illius capitalis indoles suspensionem admitteret.* II. *Mortui, non vivi, suspensi fuere.* III. *Suspensus fuit exemplar maledictionis divinæ.* Sic enim Moses: קללת אלהים תלוי *maledictio Dei est suspensus*, i. e. suspensus est maledictus a Deo: juxta *Gal. III, 13.* (Non, ut aliis placet, est maledictioni vel opprobrio Deo.) Plane uti *Gen XLVI 34.* תועבת מצרים כל רועה צאן *abominatio Ægyptiorum est quilibet pastor pecoris*, i. e. non: *quilibet pastor abominatur Ægyptios;* verum: *quilibet pastor abominabilis est Ægyptiis.* IV. *Maledictionis tamen causa non est suspendium, sed peccatum, suspendii pœna dignum.* Suspensio vero fuit signum maledictionis divinæ peccatori incumbentis. Dicitur autem suspensus *Dei maledictio* typice

pice tantum; *primo*, in quantum hanc iræ & maledictionis divinæ partem ferebat, ut, cum *Lex* ipsum non posset servare, in exemplum τῆς ἀδυναμίας τῦ νόμου & παράδειγμα τῆς δικαιοσύνης θεῦ & argumentum maledictionis nondum sublatæ, publice exponi deberet; *deinde*, in quantum adumbrabat alium, qui propter peccata sibi imposita vere ferret maledictionem Dei, eamque ob causam εἰς παράδειγμα τῆς δικαιοσύνης θεῦ a ligno suspenderetur. V. *Suspensus Israelita ante Solis occasum sepeliendus fuit.* VI. *Terra demum post suspensum sepultum pura declaratur.* His præmissis, Vitringa confert *suspensionem* cum *crucifixione*, quoad *nomen*, *actum* & *finem*. Utraque enim dicitur תליה. In utraque lignum δίδυμον usu veniebat, maleficus ligno affigebatur loris & funibus, & quidem facie directa ad populum. Utriusque denique scopus erat, ut maleficus aliis esset למופת εἰς παράδειγμα. Confert dein *suspensum Israelitam*, cum *Christo crucifixo*, sextuplici nomine: (1) *Uterque erat Israelita.* (2) *Uterque reus erat gravissimorum criminum.* Ille propriorum; hic alienorum in se susceptorum, Psal. LXIX, 6. Esai. LIII, 4. 8. 11. 12. II. Cor. V, 21. I. Petr. II, 24. (3) *Uterque erat reus ejusmodi criminum, propter quæ maledictio Dei ipsis incumbebat*, h. e. quæ condonari non poterant, nisi per mortem peccatoris summa demonstratio justitiæ Dei facta fuisset. (4) *Uterque mortuus est & suspensus ad demonstrationem justitiæ divinæ, & sic factus fuit maledictio Dei.* Ille typice: Christus vere, *Rom. III, 25. Gal. III, 13.* (5) *Uterque, die ad occasum vergente, expiabatur, unde sepeliendus erat;* Ac sepultura argumento fuit, quod τετέλεσαι utrobique sive *consummatum fuit* satisfactionis negotium. (6) *Per utriusque sepulturam terra pura esse declarata fuit.* Per sepulturam nempe *suspensi* Judæa; per *Christi* sepulturam totus passim terrarum orbis; illic typice, heic vere & meritorie.

Progreditur hinc *Vitringa* ad *Sacra diurna* religionis Judaicæ, ac tum in *præparatione*, tum in *oblatione* sacrificiorum, vestigia crucis Christi solerter indagat. Ventilat heic quæstionem: *An ara sit typus crucis Christi?* Affirmat eandem, motus argumentis *Johannis Cloppenburgii*, c. VI. *Spicilegii scholæ sacrificiorum.* Distinctius tamen respondendum autumat (ob rationes a *Coccejo* in *Summa Theologiæ* c. LXI. §. 16. allatas,) juxta triplicem altaris usum in Veteri Testamen- C. XIII.

ſtamento. Nimirum aram, in quantum *portavit* ſacrificium, idque in altum tulit, præfiguraſſe ait *crucem*, in quam Chriſtus elevatus eſt. In quantum exhibuit victimam eamque *ſtitit Deo*, ſignum fuiſſe Chriſti, vel potius divinæ ejus naturæ ſiſtentis humanam naturam ut victimam Deo. Hoc conſtare dicit ex *Heb. IX, 14. XIII, 10. Apoc. VI, 9.* Denique in quantum *victimam ſanctificabat* (*Matth. XXIII, 19.*) nempe per ignem cœlitus delapſum in ea ardentem, σύμβολον fuiſſe Filii Dei humanam naturam præparantis, diſponentis

C. XIV. excitantisque ad id, ut victima eſſet Deo grata. Notat autem Autor inſuper, convenientiam *crucis* ac *aræ* triplici potiſſimum capite abſolvi. Ara nempe holocauſti conſtabat ex *ligno*, ſed ære obducto, *Ex. XXVII, 1.* Pari modo crux *lignum* vocatur *1. Petr. II, 24.* Deinde eidem quoque aræ impoſita fuere *ligna*, quibus ſuperinjecta fuit victima comburenda, *Lev. I, 7.* Præfiguratum ea *lignum crucis*, quo in *altum elevatus* eſt Chriſtus. Quin probabile videtur Vitringæ, *ligna* illa in tres quatuorve ſtrues diſtincta, ad modum *crucis* decuſſatim fuiſſe diſpoſita digeſtaque a ſacerdotibus. Eadem ligna vero conſideranda ſunt ut pars altaris, adeoque una cum ara crucem repræſentare poſſunt. Nam adeo illa erant neceſſaria, ut nec ii ea altari inferre omiſerint, qui victimam ſuam per ignem cœleſtem conſumptum iri præſciebant, utut nulla alia ignis alimenta adjecta fuiſſent; cujus rei exemplum habes in Eliæ ſacrificio *I. Reg. XVIII, 33.* Obſervat denique cum *Outramo* ex *Maimonide*, profecta holocauſti mactati pro univerſa Judæorum Republica ſuper lignorũ ſtrue eo *ſitu* iterum ordinata ac collocata fuiſſe, quem *vivi animalis* membra olim obtinuerant, ita ut integrum videri potuerit, adeoq; propius acceſſerit ad ſimilitudinem Chriſti, qui & ipſe *integer* ligno impoſitus fuit.

C. XV. Excutitur denique vox תו *Tav*, qua pii ſignantur *Ezech. IX, 4. 5.* monſtraturque, eam nec *ſignum crucis*, nec *literam Tav*, ſed aliquod obſignantis ſigni genus notare. Porro agitur de *unctione ſacerdotum*, quam ad *crucis formam* Schickardus in *J. R. H. c. 1. Th. IV.* peractam eſſe opinatus fuerat. Scilicet in Maſſ. *Cherituth* cap. I. fol. *V.* traditio eſt, *affuſum fuiſſe oleum capiti ſacerdotis & illitum inde ſuper oculos* כמין כי יונית *adſpeciem Chi Græci.* Variæ de ductu literæ hujus ſententiæ apud eruditos occurrunt. Cum autem Rabbi-

Rabbinorum quidam hanc literam dicant ideo in exemplar sacerdotalis unctionis delectam esse, ut responderet literæ *caph* tanquam initiali vocis *Cohen* כהן *sacerdos*, hinc Vitringa conjicit, *Chi* illud *Græcanicum* fuisse duplex *Caph* Hebræorum ad dorsum sibi obversum, hoc modo: ↄC Voluisse autem potius duplex ↄC in fronte sacerdotis pingere per oleum, ut figura magis appareret distincta a forma literæ O, quæ propria erat Regibus. Επιμέτρε loco in sacrificiorum *agitatione* seu motione in quatuor mundi plagas *huc illuc, prorsum retrorsum*, Lev. VII, 30. crucis typus quæritur. Quod autem Levitæ quoque *agitati* dicuntur coram facie Domini, *Num. VIII, 11.* id, cum super sacerdotis offerentis manibus fieri non potuerit, factum esse בהולכה והובאה ירידה ועליה *itu, reditu, descensione, ascensione*, ex *Abarbanele*, & hunc sequentis *Coccejii* Lexico, Vitringa adnotat, concluditque, in omni *agitatione* sacrificiali formam crucis ✚ conspicuam fuisse.

Capite ultimo investigatur, quænam *signa* populus Judæus in Messia vero desideret, & olim in Jesu Christo desiderarit, cum miraculis illis illustribus, quæ Servator tantum non quovis die edidit, non contentus fuerit. Vid. *Matth. XII, 38. XVI, 1. 2. I. Cor. I, 21.* Nimirum postulabant Judæi signa ejusdem generis, ac Moses olim ediderat; id quod ex Josepho & Abarbanele multifariam probatur, & loco *Joh. VI, 30.* illustrando maximopere inservit. Sed & juxta *Es. XI, 3.* requirebant, ut Messias odoraretur sive nosset, quis mortalium probus esset, quisve improbus. Quod cum Bar Cosba ignoraret, pro plano habitus ac capitis damnatus fuit, si fides est *Gemaræ* in *Chelek.* Hinc lux non temnenda affunditur judiciis diversis de Christo latis, *Luc. VII, 38. 39. Joh. I. 50. IV, 29.* C. XVI.

Tandem, quæ adhuc recensenda superest, prolixa *Præfatio* Operi huic duplici præmissa, accurate ac dilucide, sed in compendio, refert, quid Duumviris Clarissimis, ac in eadem *Franequerana* Academia Collegis, intercesserit hactenus controversiæ de *decem* Synagogæ *Otiosis.* Vitringa ediderat ante aliquot annos *ARCHI-SYNAGOGUM,* quo de in Actis Eruditorum A. 1686. p. 223. seqq. egimus, adeoq; quantum forsan satis est, diximus, qualem de *Decem Otiosis* hypothesin ille foveat. Huic oppositæ sunt *JACOBI RHENFERDII Linguæ Sanctæ Prof. Ord. Dissertationes philologicæ de Decem Otiosis*

Synagoga, in quibus V. C. Johannis Lightfooti aliorumque sententia de Otiosis examinantur, varia de Synagogis earumque jure, præfectis, ministris &c, asperguntur. Franekeræ 1687. in 4to. Non defuit caussæ suæ *Vitringa.* Paulo igitur post excusus est liber hoc omnino titulo insignitus: *CAMPEGII VITRINGA de Decem-Viris Otiosis ad Sacra necessaria Veteris Synagogæ curanda deputatis, liber singularis: in quo Lightfooti sententiæ de hoc argumento non ita pridem a se acceptæ ratio redditur, quæque illis nuper objecta sunt, difficultates e medio removentur; illustratis, ubi occasio est, cum locis Sacræ Scripturæ, tum antiquis civitatis Hebræorum consuetudinibus. Franequeræ 1687. in 4.* Libro huic unica *plagula* respondendum judicavit *Rhenferdius*, hoc titulo: *JACOBI RHENFERDII Archisynagogus Otiosus αὐτοκατάκριτος, ostendens paucis exemplis, quo pacto pleraque omnia, quæ nuperrime in Decemviris Otiosis Rhenferdio objecta sunt, ex Archisynagogo & propriis V. C. principiis atque institutis refutari possint.* Franekeræ 1687. in 4. Integro anno post idem *Rhenferdius* in publicum emisit *specimen Animadversionum in Decemviros Otiosos*, in quo *frequentem Decem-Virorum cum Archisynagogo & sepsis pugnam ostendere* sategit. Utrique *Rhenferdii* scripto respondetur a Vitringa in præsenti præfatione, quam Antiquitatum Judaicarum cupidos legisse non pœnitebit.

EXCERPTA EX LITTERIS DN. SALOMONIS Reiselii, D. Consiliarii & Archiatri VVurtenbergici, ad — Stutgardiæ d. 5. Octobr. 1689. datis: Quibus respondetur ad ea, quæ Dn. Dion. Papinus in Actis Eruditorum, mense hujus anni Junio, pag. 322. proposuerat.

MEnse Junio fluentis anni Excellentissimus Dn. Dionysius Papinus, Regiæ Societatis in Anglia Socius, & nunc Professor Matheseos Marpurgi celeberrimus, communicavit ad Acta Eruditorum Lipsiensia *Rotatilem Suctorem & Pressorem Hassiacum in Serenissima Aula Cassellana demonstratum & detectum* cum figura, structuræ descriptione & usuum plurimorum spe atque demonstratione, per quem æque felici imitatione sese expressisse confisus est a me olim nominatum saltem & laudatum *Suctorem & Pressorem rotatilem Wurtembergicum*

gicum, ac felici ſucceſſu imitatus fuerit *Siphonem Wurtembergicum*, ut in Actis Anglicis publicavit, & Novellæ Batavæ transportarunt: quod egomet confeſſus ſum & laudavi in literis, quarum ſenſum ex Actis Anglicis Novellæ dictæ extractum citant.

Hic porro Vir Clariſſimus ibidem ſperat fore, ut ego digner declarare, utrum hic æque feliciter ac in Siphone Wurtembergico, rem acu tetigerit, aut ſi quid diſcriminis ſuum inter & meum Rotatilem ſuctorem & preſſorem intercedat, id non ulterius reticeam: quo poſſint ex utroque invento majores in orbem utilitates emergere, palamque fiat, quid quisque de publico meruerit.

Quæ cum quidam ex Collectoribus Actorum Lipſienſium mature mihi transmiſerit, ut ſi liberet, reſponderem, & ego *Sereniſſimo Duci Wurtembergico, Domino meo clementiſſimo* oſtenderem, ſtatim atque per militares actiones, quas gerit, licuit eſſe domi, gratulatus ſibi eſt, quod *Sereniſſimus Dn. Landgravius Haſſiæ* dignatus fuerit civis ſui inventum inter cætera artium ſtudia imitari per tam celebrem & ingenioſum Virum. Juſſit itaque ut reſponderem, & tentarem, quantum utilitatis ex iſta communicatione & communi labore poſſet exſurgere.

Ego ergo ut & parerem imperio, & tam honeſtis precibus non deeſſem, primum dico multum differre noſtrum Suctorem & preſſorem ab Haſſiaco, quia multis antliis & pneumatiis inſtructus eſt, ita ut a fundo pedum ſexaginta & plurium in caſtellum quoddam traxerit & ejaculatus fuerit iterum in totidem aut plures pedes aquam, prout in minori vel majori modulo ſtructa fuerit fabrica, idque continuo & non interrupto radio ſeu jactu. Quia vero plurimum laboris & ſtudii requiritur in delineando & deſcribendo iſto opere, neque jam vacat propter turbas bellicas, volui differre in ſerenam magis tempeſtatem, cum *Sereniſſimus* non invidebit publico iſtam tam utilem & artificioſam machinam.

Cæterum ut non diffido de tantorum uſuum promiſſorum uſu præſtito, ita avide expecto illorum in experimentis magnis publicationem, & ut porro Dn. Papinus, qui tam utilibus tamque glorioſis inventis de publico hactenus bene meritus eſt, ſub auſpiciis tanti Mecænatis bene mereri ſatagat.

Interim ne ego prodeſſe publice nolle videar, duas ejusdem

usus & finis sed simpliciores machinas communicabo & proponam. Unam quidem, quam *Serenissimus noster* servat in minori forma efficacem & utilem, etiam, nisi fallor, in majori amplitudine, cum tantarum sit virium, ut decem unciis longa ejaculetur aquam ultra novem pedes; cujus fabricam & figuram *Sipho Wurtembergicus per majora experimenta firmatus, in vertice effluens, correctus & detectus*, ante aliquot annos promissus, sed nunc sub prælo sudans, proximo mense secum portabit.

Altera est, quæ Hanoviæ in domestico fonte utiliter fuit adhibita, loco antliæ vel vasorum catena & rota elevandorum, cujus modulum ex liberalitate *Illustrissimi Domini Friderici Casimiri Comitis Hanoviæ*, gloriosæ memoriæ, possideo ad formam & descriptionem Schvventeri in Deliciis Mathematicis expressam. Hæc vero consistit ex rotis duabus dentatis sese invicem comprehendentibus, & insertione sua rotantibus, inclusis tympano ovali, quæ externa alia rota unica vel gemina, vel manubrio circumactæ, ab infra per tubum unum attrahunt aquam, per alterum superiorem exprimunt satis valide & copiose.

LETTRE DE Mr. ARNAULD DOCTEUR DE Sorbonne, à Monseigneur l'Eveque de Malaga &c.

id est,

Antonii Arnaldi D. Sorbonici Epistola ad Ildefonsum Episcopum Malacensem, occasione libelli ab illo editi, qui *Querimonia Catholica* inscriptus est, & Innocentio XI Pontifici dedicatus.

A. 1689, in 12. Plag. 4.

I*Ldefonsi*, Malacensis in Hispania Episcopi, *Querimoniam*, quam vocat, *Catholicam*, A. 1686. juxta exemplar Madritense recusam, ad nos pervenisse non dissimulamus. Ast cum præter invectivas in *D. Petrum Jurium* aliosque, quos pro hæreticis Præsul habet, nihil fere in eo deprehendissemus, quam quod Ildefonsus contendat, se neque autorem esse libri, qui titulum habet *Theatri Jesuitici*, neque Regio sanguine prognatum esse (quorum utrumque & *Jurius* in libro de spiritu

de spiritu Arnaldi, & *Arnaldus* in tractatu, cujus autor esse creditur, de *Practica Morali Jesuitarum*, affirmaverant) factum est, ut in tanta librorum aliorum copia supersederimus *Querimoniam* illam in Actis nostris recensere. Respondere tamen ad eam Epistola hac *Arnaldus*, celebris sæpiusq; nobis memoratus Doctor Sorbonicus, sed Sorbona non minus quam Gallia universa dudum exul, voluit, seu ut Episcopum ea quæ diximus negantem convinceret, seu ut se, quod talia asseverasset, excusaret. Honorifice tamen Arnaldus tractat Episcopum, eique *Celsitudinis* titulum tribuit; sed modeste exprobrat, quod a Jesuitis non modo ad editionem *Querelæ* illius, sed & eo adigi se passus sit, ut exemplo plane insolito, omnia libelli exemplaria sua subscripserit manu. Hoc non tantum factum esse putat, ut Jesuitis publica recantatione satisfaceret, verum etiam ut hi suspicionem effugerent, ac si ipsi *Querimoniæ* illius autores essent. Illam enim Gallice versam in Gallia disseminasse dicuntur, ut odium inveteratum in Arnaldum denuo ostentarent, & Episcopi autoritate *Jurium* & *Arnaldum*, tanquam ejusdem hæreseos reos sisterent. Utrumque enim Episcopus flammis dignum judicavit, & Jurium cum Arnaldo tyrannici cujusdam supplicii genere copulavit. Imputat autem Episcopo, quod cum primam *Querelæ* editionem procuraret, neque Jurii, neq; Arnaldi scripta legerit: nam si id fecisset, fieri non potuisse, ut ejusdem ea autoris esse crederet. Imo nec in secunda editione cautiorem fuisse existimat. Hoc inde conjicit, quia unum quidem errorem in nomine *Jurii* commissum (hunc enim prius *Surien* vocaverat) correxerit; de altero autem dubius hæserit, & *Practicæ moralis* autorem, quem Arnaldum esse credidit, ejusdem criminis, quo Jurium, apud Pontificem accusaverit. Turpissime itaque illusum illi esse dicit suggestione Jesuitarum, qui tamen probe noverint, & in aliis scriptis suis fassi fuerint, autorem *Practicæ* esse Catholicum. Perperam itaque librum illum *Practicæ* ab Episcopo condemnari, imo temere, quippe quem ab eo lectum non esse appareat, quia indistincte Volumen ejus secundum vituperet. Contineri vero in illo indicat Arnaldus non solum excerpta ex *Theatro Jesuitico*, sed & alia: Epistolam nempe *Ludovici Soteli*, quem beatum martyrem vocat, ad Pontificem: *Didaci Colladi* Dominicani, insignis Missionarii, Memoriale: Excerpta ex itinerario *Tabernarii*, de reli-

gione Christiana in Japonia: Literas Episcopi *Johannis de Palafox*: Annotationes memorabiles ex ipsa Jesuitarum historia de Missionibus suis; & deniq; Excerpta ex libro de Apostolicis missionibus *Episcopi Heliopolitani*. Hæc omnia vero ait indiscrete ab Ildefonso attribui autoribus hæreticis, conscientia carentibus & scurris. *Sotelum* ait virum fuisse religiosissimum, & literas allegatas in præparatione ad martyrium scripsisse, quas minime suppositas, sed authenticas agnoscat totus *Ordo Franciscanus*. Accedere *Colladi* testimonium, quod rejici non possit. *Tabernarii*, Reformati licet, relationem verissimam, magnoque rei Catholicæ honori esse, ideoque a Batavis omnibus modis impugnari. *Palafoxii* sanctimoniam notoriam adeo esse, ut Jesuitæ ipsi historiam vitæ ejus edituri esse dicantur. Adduntur alia ad defensionem excerptorum, quæ Volumini *illi* inserta sunt. Quod vero ad *Theatrum Jesuiticum* attinet, monet Arnaldus, *indicatum jam esse A. 1669, in præfatione partis primæ de Practica Jesuitarum*, quod *Theatrum* illud sub nomine *Francisci de Pietate* editum, autorem habeat *Ildefonsum Dominicanum*, postea Episcopum *Malacensem*. Huic indicio usque ad annum 1682 (quo altera illa pars *Practicæ* prodiit,) a nemine contradictum fuisse. Fatetur inde, minoris nunc *Theatrum* illud autoritatis esse videri, postquam Ildefonsus id a se scriptum esse negasset. Notat tamen, Jesuitas ipsos in nupera Defensione pro novis in India Christianis agnovisse, quod autorem habeat Dominicanum, sed talem, qui ob malos mores Ordinem deseruerit. Veruntamen Arnaldus Dominicanum illum nominat *Johannem de Ribas*, virum in suo Ordine æstimatissimum, in quo etiam A. 1688. decesserit, elogio publico a XVI. *Presbyteris Conventus Cordubensis ad D. Pauli* honoratus. Defendit igitur libri veritatem, nec infringi illam putat, quod a *Tribunali Inquisitionis Hispanicæ* improbatus fuerit: ab illo enim omnia scripta damnari, quæ religiosos lædant. Jesuitas vero ipsos, cum contra veteres monachorum Ordines in Germania scriberent, minime ab his insectandis abstinuisse, imo palam statuisse, non licitum solum sed & utile esse, ut religiosorum quoque vitia detegantur. Allegat libros, qui tunc sub titulo *Placidarum Disceptationum*, & *Cavea Turturis* prodierunt: imo in nupera Defensione novorum Christianorum paulo ante citata, pro regula tradidisse notat, quod *intersit reipublicæ, cognosci malos.*

Infert

Infert inde, Episcopum rejicere *Theatrum* illud non debuisse, nisi constet falsa esse, quæ in illo memorantur, quorum tamen veritatem Arnaldus defendit. Narrat porro, cum A. 1654. *Theatrum* ederetur, *Theophilum Raynaudum* Jesuitam, ex maledicentia non minus quã multa scriptione celebrem, in libello vehementissimo contra Ordinem Dominicanum scripsisse, *autorem Theatri esse Goliathum spurium*, & sub verborum illorum contumelia *Ildefonsum* designasse, idque Raynaado a *Johanne Casalio* Dominicano objectum esse. Post annos quatuor Dominicanum quendam Gallum *Contensonum*, virum pium & doctum, in libro *de Theologia ingenii & cordis*, (de l' esprit & du cœur,) Theatrum illud *Ildefonso* palam attribuisse, ejusdemq; libri Approbatores ex eodem Ordine abunde testatos fuisse de fama, quod autor Theatri sit Ildefonsus. Hæc omnia notissima fuisse ait Jesuitis, & tamen triginta annis ab edito *Theatro*, & septendecim a publicata prima parte *Practicæ*, minime ausos fuisse opponere, quod nunc fecerint, & diffessione Episcopi probatum eant. Negat tamen huic fas fuisse, ut tam atroci convitio in epistola sua oneraret omnes & pro *hæreticis venenatis* aut *hominibus insensatis & profligati pudoris* haberet, qui illum pro *Theatri* autore agnoverint; minime omnium *Contensonum*, qui summa laude in Ordine suo vixerit & non sine sanctitatis famâ decesserit. Ejusdem testimonio utitur Arnaldus, ut mendacii notam a se amoliatur, quasi Ildefonso genus Regium falso aut malitiose adscripserit. Longe vero majorem & locupletiorem testem citat *Mariam Theresiam* Austriacam, Galliæ Reginam non ita pridem defunctam, quam refert apud *Dominicanos Reformatos* Parisiis in *vico S. Honorati* plus decies dixisse, Ildefonsum fratrem suum esse. Allegat etiam Relationes Bruxellis mense Majo A. 1688 publicatas, in quibus idem asseratur. Ultima epistolæ pars occupatur in responsione ad exclamationẽ Episcopi ad Pontificem, in qua facta allusione ad Doctores olim damnatos, *Arnoldum Brixianum* & *Petrum Abælardum*, Arnaldũ hunc Sorbonicum & Petrum Jurium insectatur, eorumque libros & corpora flammis adjudicat. Hanc sævitiam non tam Episcopo quam Jesuitis imputat, notatq; quod ille Arnaldum ejusque libros pro Catholica religione scriptos minime noverit, inepte etiam Jurii supplicium a Pontifice petat, qui in illum potestatem non habeat

Falli

Falli etiam ait Episcopum, quod eos qui Jesuitis adversentur, non minori pœna dignos judicet, quam qui ipsum Jesum offendant. In fine reparationem honoris sui ab Episcopo poscit & sperat. Ut vero illi aliquam fidem faciat, quis sit & quo pretio Romæ habeatur, subjungit epistolam Latinam a Cardinali *Cibo* d. 2. Januarii 1677 jussu Pontificis ad se datam, cum versione Gallica. Inscribitur: *Perillustri & admodum Reverendo Domino Antonio Arnaldo Doctori Sorbonico;* & laudantur in ea libri ab Arnaldo contra Calvinianos *singulari studio ac doctrina, nec minori ingenio & eloquentia elaborati*, eique benedictio Apostolica benigne impertitur.

NOUVELLE HERESIE DANS LA MORALE denoncée au Pape &c.

id est,

Nova Hæresis in Theologia morali, denunciata Pontifici, Episcopis, Principibus & Magistratibus.

Coloniæ, 1689, in 12. Plag. 3.

Sive idem est autor Denunciationis hujus cum eo, qui *Episcopo Malacensi* respondit, ut quidem ex stylo & doctrina verisimile est; sive quicunque alius eruditione ac judicio illi par; certe is paucis his pagellis magnum Jesuitis negotium facessit. Ansam sumsit ex thesibus A. 1686 *Divione* in Collegio Jesuitarum mense Junio a

Art. I. *Stephano Bougot* ad disputandum propositis, quarum prima hæc est; *Peccatum Philosophicum seu morale est actus humanus, disconveniens naturæ rationali & rectæ rationi. Theologicum vero & mortale est transgressio libera legis divinæ. Philosophicum quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, nec æterna pœna dignum.* Hujus thesis hunc sensum esse dicit Denunciator: Innumera quidem crimina in mundo committi & in posterum commissum iri adversus pudorem, humanitatem, justitiam aliasque virtutes; fornicationes puta, adulteria, peccata contra naturam, homicidia & ultiones crudeles, veneficia, falsa testimonia, calumnias atroces, furta, spolia &c. sed ea omnia esse posse peccata

cata Philosophica, quibus nec Deus offendatur, nec æterna metuenda sit pœna, si modo, qui illa perpetrant, aut Deum ignorent, aut in criminis perpetratione, *actu de Deo non cogitent.* Indignatur vehementer, quod talia in celeberrimo Jesuitarum collegio in Gallia doceantur, a quibus deterreri potuissent, qui vel prima Christianæ doctrinæ elementa ex Catechismo percepissent. Miratur eos non considerasse immane scandalum, ex damnabili hac doctrina fluens, nempe quod homines seculi, affectibus suis abrepti, damnationis periculo tanto minus sint subjecti, quanto magis impii sint, sive ut dici solet, libertini, & in maxima atque continua oblivione Dei vivant. Succenset autem tanto gravius Jesuitis, quod ex erroris illius lethargo evigilare noluerint. Fuisse enim Lovanii Doctorem, qui visis illis thesibus, primam, in disputationis cujusdam fine, in censuram vocaverit, omissa tamen autoris & loci, unde prodierant, mentione. Horrorem inde omnibus incussum esse: solos Jesuitas immotos & frigidos mansisse. Cum vero postea theses illæ Divionenses integræ publicatæ essent, e Jesuitis Professorem Theologiæ *P. de Reux* mense Decembri A. 1688 hanc edidisse: *Quamvis existentia Dei etiam populariter sit demonstrabilis, non modo tamen non est proprie per se nota quoad nos, sed etiam fieri potest, ut ab homine ordinariis tantum divinæ gratiæ auxiliis prævento ignoretur inculpate. Eripiant hoc nobis, si possunt, assertum, Philosophici in Burgundiam usque persecutores peccati; sed non poterunt.* Cum igitur hinc pateat, Jesuitas in errore suo perseverare, & pro *Persecutoribus peccati Philosophici* habere qui eum redarguant, absurditatem hujus doctrinæ Autor demonstrandam sumit, ostensurus tamen prius, quomodo in errorem illum Jesuitæ inciderint. Exponit igitur, quomodo illi sibi antehac persuaserint, suis opinionibus de gratia, suaq; Theologia morali facilius refutari posse hæreticos, aut converti peccatores. Falsos autem licet hac spe, non correxisse tamen errata memorat, sed pertinacius defendisse, & ex illis falsam ideam de Dei misericordia ejusque justitia, itemque de merito Christi & de libertate arbitrii formasse, atque doctrinam de gratia sufficienti produxisse, quam omnibus hominibus, fidelibus & infidelibus, justis & injustis, cæcis quoque & induratis a Deo dari dicant: misericordiam ejus ex suis cogitationibus, toto licet cœlo a divinis dissidentibus, metientes, quasi plane uni- Art. II.

versalis esset, & nisi hæc gratia omnibus hominibus tribueretur, dicta Apostolica & Ecclesiæ, quod Christus mortuus sit pro omnibus, & de libertate hominis, subsistere non possent, nec Calvini hæresis, liberi arbitrii amissionem docens, refelli. His enim omnibus remedium inventa illa gratia sufficienti quæsitum fuisse. Allegat *Lessium* ejusque theses, dudum Lovanii & Duaci condemnatas. Porro, ait, cum experientia tot hominum reclamaret, qui ita vivunt, ut gratiæ illius omnibus obviæ & sufficientis nullum ostendant vestigium, ad restrictionem quandam confugerunt, dicentes, adesse illam quidem omnibus *ex parte Dei & in actu primo*, sed requiri, ut ad eam obtinendam omnes naturæ vires homo convertat: *facienti enim quod in se est, ex solis viribus naturæ, Deum non denegare gratiam.* Verum hæc quoque Lessii propositio inter damnatas *decima octava*, pro Pelagiana habita, & postea a schola Moliniana deserta fuit, & *reducta* prior de gratia sufficienti, non illis tantum, qui eam per vires naturæ trahere ad se velint, sed omnibus hominibus obvia & exhibita. Hæc satis constare dicit Autor ex scriptis *P. des Champs*, & Jesuitarum in universum. Refert porro, cum neque hanc sententiam adversus tot objectiones tueri possent, aliam viam ingressos esse, qua peccatores adversus justitiam Dei protegerent, eaq; ratione de his melius meritos esse quam dogmate de gratia sufficienti, quia hæc plurimis oneri potius quam solatio fuerit. Novum itaq; inventum jucundius & commodius esse, dum ex thesi illa *Burgundica Divionensi* sequatur, tanto remotiorem esse ab ira Dei unumquemque, quanto remotior sit ab ejus lumine & gratia. Hoc ut probabile facerent, pro principio assumsisse (ex Baunio *Sum. peccat.* p. 906.) *quod non peccetur nisi voluntarie; voluntarium autem non sit, quam quod fiat a principio cognoscente singula, in quibus est actio*; inferri inde, *actiones præcipitanter & sine discussione, bona ne an mala sint, quæ aguntur, factas, neque bonas neque malas esse.* Verum hoc principium apertæ falsitatis accusat Autor, cum vel ex *Aristotele* III. Ethic. ad Nicom. constet, *ignorantiam boni & mali non facere actionem involuntariam, sed vitiosam; ignorantia juris & officii non excusari, sed augeri culpam.* Addit alia ex lib. VII. Ethicorum, & ex *Augustini* lib. I. *Retract.* cap. 15. cui contradicant Jesuitæ, docentes, passione & consuetudine tolli usum rationis: inde enim sequi, excusatiorem esse, qui tam profunde

funde in habitu malo hæreat, ut actû de Deo cogitandi magis magisq; amittat. Factum inde, ut propositiones tales anno 1641. a Sorbona, & A. 1658. a *Senonensi* & *Parisiensi* Ecclesia condemnatæ fuerint. Nihilominus, ait, Jesuitæ A. 1683. libello, sub nomine *Ulrici Jonsoni* publicato, thesin veluti communi Theologorum doctrina (paucissimis exceptis) stabilitam venditasse, *ad peccandum formaliter requiri notitiam malitiæ.* Item in Catechismo Antverpiæ sub titulo *Instructionis ad primam communionem*, edito & octies jam recuso statuisse: *nemo peccat, nisi quatenus scit & intelligit malitiam peccati.* Et *Aquis Sextiis* A. 1686. theses propalasse, in quarum fine dicatur: *Conscientia circa illicitum intrepida, excusat a peccato.* Præmissa hac de origine & progressu dogmatis Jesuitici relatione, procedit Autor ad thesin *Divionensem* de distinctione peccati Philosophici & Theologici, & graviter monet, quam noxiæ ex hac oriantur sequelæ. Illa enim stante, dicit, atrocissima quæque crimina, adulteria, homicidia & similia non merentur pœnam æternam, imo nec Deum offendunt, nec ex statu gratiæ hominem dejiciunt, si in committendo crimine actu non cogitaverit de Deo, sed affectu suo, ut plerumque fit, abreptus sit; vel si cognitionem Dei non habeat, qua quidem ante Evangelii prædicationem ex paganis innumeri caruerint. Hujus dogmatis impietatem manifestam quidem esse ait, refutandam tamen sumit ex S. literis, per dicta Ps. LXXVIII, 6. *effunde iram tuam ingentes, quæ te non cognoverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocant.* Jerem. X, 25. ubi eadem fere leguntur. Eph. II, 11. IV. 17. 1. Thess. IV. 5. ubi peccata gentilium graviter damnantur. Rom. II, 11. 12. ubi par ira & damnatio peccatoribus Gentilibus & Judæis denunciatur. Quærit, in quam partem collocaturus sit Jesuita in extremo judicio peccatores philosophicos? Duas enim ibi tantum classes a Christo constitui; ad neutram vero ex sententia Jesuitica referri posse, qui philosophice peccaverint: neque enim piis sine piaculo accensendos fore, neque etiam damnatis aggregandos, quia Deum non offenderint, ex ignorantia peccantes. Igitur ex sententia Jesuitarum, maximam Paganorum partem, utut abominabilem, & Apoc. XXI, 8. descriptam, in stagnum ignis, quo mors secunda sive infernus figuratur, præcipitandam non esse, neque locum fore dicto Paulino supra ex Rom. II, 12. allegato, quod perituri

Art. III. Art. IV.

rituri sint sine lege, qui sine lege peccaverint, & ipsum Neroné fœdissimorum licet criminum reum, impuné futurum esse, quia ex ignorantia peccaverit. Destruit inde alteram quoq; exceptionem, qua a pœna excusari dicuntur, ex sententia Jesuitarum, *qui actu non cogitant de Deo*, i. e. Christiani, qui Dei quidem notitiam habent, sed affectuum imperio succumbentes, de Deo, dum peccant, non cogitant. Hos tamen damnari monstrat a Davide Ps. IX, 10. XLIX, 22. ubi utique loquatur de Israelitis Dei notione instructis, sed qui sint ejus immemores. Ita excusari ait impudicos senes Susannæ corrumpendæ intentos, qui in historia v. 9. dicuntur *evertisse sensum & oculos suos declinasse, ut non viderent in cœlum:* evasuros etiam turpissimos quosq;, *Amnonem* puta, *Benjaminitas*, & alios brutali libidine grassantes. Addit exempla ex vita communi, ex quibus nihil sit verisimilius, quam plerosq; ex affectuum suorũ malitia & impetu, in actu peccandi de Deo non cogitare, sive quod non putent prohibita esse a Deo quæ perpetrant, vel quod sperent se illum jam non offendere. Tales scilicet omnes, ex opinione Jesuitica, tantum peccare philosophice. Hoc, scribit, si verum esset, non peccasset Synagoga Joh. XVI, 2. quæ Apostolos interficiens *arbitrabatur, se præstare obsequium Deo*, aliter judicante Paulo I. Thess. II, 15; nec ipse Paulus tantopere de peccato suo dolere debuisset, I. Tim. I, 12. Gal. I, 13. Addit exempla hæreticorum quos vocat, qui falsa fiducia causæ suæ in Gallia sævierint in Catholicos, & Atheorum, qui dicunt, *non est Deus*, & tamen corrupti sunt & abominabiles, Ps. XIII, 1. Transit hinc ad distinctionem peccatorum *mortalium & venialium*, a Calvinianis rejectam, aut alio, quam a Catholicis fit, sensu explicatam. Dicit tamen, ne a Jesuitis quidem, licet in disputatione sua thes. V. eam asserant, recte explicari. Sequi enim ex collatione cum thes. I: omnia peccata Paganorum, qui Deum ignorant, nec non Christianorum, qui de Deo *actu non cogitant*, venialia esse. Hunc errorem pejorem Calviniano habet, quo statuatur, electos nunquam mortaliter peccare. Expendit eorum exempla, qui affectibus subacti actu non cogitant de Deo, ostenditque quam periculosa sit hæc opinio in disciplina Ecclesiastica, maxime in confessionibus. Ultimo ad thesin Jesuitæ *P. de Reux* respondet, qui Burgundicam ea ratione defendere conatus est, quod existentia Dei absque culpa ignorari possit ab homine, or-

Marginal notes: Art. V. (beside "tia peccaverit"); Art. VI. (beside "corrupti sunt"); Art. VII. (beside "clesiastica").

ne, ordinariis tantum auxiliis gratiæ instructo sive prævento; unde ex Jesuitæ argumentatione sequi videtur, etiam alia peccata sine offensa Dei ex ignorantia committi. Sed Pelagianismi condemnat hanc exceptionem Autor, dicens ignorantiam Dei ex peccato originis oriri, aut ejus pœnam esse, & ex hoc tot myriades hominum, v. g. in America, juste a Deo damnari, quibus nulla specialis gratia ad cognitionem Dei data esse appareat, qui tamen omnes, si Jesuitis credatur, non nisi philosophice peccarint. Deterius eos errare ait, quam *Caramuelem*, ex omnibus probabilitatis assertoribus audacissimum. Hunc enim statuere quidem, salvari posse, qui invincibiliter ignorent Deum; sed addere, nisi peccata mortalia committant. Jesuitas vero nec agnoscere mortalia peccata in illis, qui invincibiliter Deum ignorant. Subjungit patheticam ad Societatem Jesuitarum exhortationem, ut sententias tam enormes ex scholis suis eliminent, minime sane defendant, sed publice potius retractent, neque gratiæ aut opibus fidant, quibus censuram evitari posse sperent; hoc enim ipsum ad scandalum publicum & opprobrium Ecclesiæ pertinere: agnoscant potius vulgatam thesin juris Canonici, *quod omnis ignorantia juris naturalis in adultis sit damnabilis*. Hæc ex charitate se ab illis petere asseverat, & exemplum thesium Divionensium integrum in fine adjungit.

THOMÆ BARTHOLINI THOMÆ FILII Antiquitatum Danicarum de caussis contemtæ a Danis adhuc gentilibus mortis libri tres, ex vetustis codicibus & monumentis hactenus ineditis congesti.

Hafniæ, A. 1689. Constant quatuor alphabetis.

POsteaquam *Thomas Bartholinus*, clarissimus cognominis Parentis Filius, isq; Professor hodienum Hafniensis, archivorum quoq; Secretarius a Potentissimo Rege suo fuit constitutus, nihil prius antiquiusque ex illo tempore habuit, quam ut patrias antiquitates, quæ in tenebris latitarant hactenus, erueret, atque oblivioni ulteriori eximeret. Nec parum operæ atque laboris in hoc patriarum antiquitatum studio fuisse ab eo collocatum, vel hi libri satis uberes lo-

cupletesque testes esse queunt. Placuit autem viro doctissimo unum præter cætera argumentum, de causis videlicet contemtæ a Danis adhuc gentilibus mortis, percensendum sibi sumere, & promulsidis veluti loco, *Regnorum Borealium Antiquitatibus Ecclesiasticis*, quarum volumina in dedicatione horum librorum promittit, præmittere.

Cap. I. libri I. In primo libri primi capite, ubi de timore militibus excutiendo agit, fundamenti quasi loco præstruit, Palnatokonis Dani, qui Julinum seu Jombsburgum, abs Haraldo Blaatand Danorum Rege antehac conditum, de integro condere aggressus fuerat, legem inter alias Martiam, ex Danica lingua in Latialem sic translatã: *Vir nemo Jombsburgi existeret, qui timoris verbũ protulerit, vel quid apprehenderit, licet ad periculosissimum statum redactus fuerit.* Ostendit etiã copiose loco Bartholinus, Jombsburgenses non aspernatos tantum mortẽ, sed & eam cum hilaritate & quiete fuisse præstolatos. Nec aliam cæteris quoque Borealibus populis ante prædicatum illis Christum fuisse mentem. Producit etiam Agnerum, Halfum & Illugum, priscæ Daniæ Heroas, qui intrepidi, imo cum risu mortem exceperunt. Quandoquidem vero plerique alias homines mortem reformidant, operæ pretium se facturum Autor non abs re existimavit, si inquireret, quibus mediis, quove naturali instinctu Dani olim, Christianæ fidei & æternæ beatitudinis notitia necdum imbuti tam animose mortem oppetierint.

Cap. II. Hujus autem ἀφοβίας primum incentivum allegatur immensum gloriæ studium, quo veteres Dani non minus, quam Romani, quorum & dicta & exempla afferuntur, flagraverint; producunturque exempli loco Rex Rolfus cum pari pugilum suorum, Amlethus Jutiæ moderator, nec non pater & filius Gunno & Grimo, Thelemarchiæ Duces, qui omnes gloriæ immortalis spe inescati ad fortiter moriendum seipsos exstimularunt; a qua sententia nec Canutus, Dux Slesvicensis, mitioribus licet Christi præceptis longo post intervallo innutritus, alienus, teste Saxone Grammatico, fuerit. Fuisse autem & ingens ad fortitudinem in bello exercendam calcar partitionem prædæ captæ per legem Frothonis introductam, & a Palnatokone quoque Jombsburgensi juventuti præscriptam. Ita enim habebat hujus lex: *Omnia in expeditionibus capta, majora cum minimis, ad hastam portentur.* Sed prolixius ea consuetudo describitur ex MSSto membranaceo. Nimirum vexillum intra septa circula-

ria a

tia a signifero fuit erectum, omniaque illuc ad divisionem faciundam comportata; qui mos cum apud Romanos quoque obtinuerit, hastæ subjici dicta sunt bona omnia, quæcunque publice fuerunt vendita. Et quid notius penes Latinos autores hasta præconis, vel hasta venditionis & emtionis? Videndus hic *Junius Rabirius*, qui tractatum, Bartholino judice elegantissimum, de Hastarum & Auctionum Origine collegit. Utilitati autem ex præda capta redundanti antelatum fuit gloriæ studium, seu mors pro Republica; atque hinc non in lectulo, sed in acie mori optabant Dani, uti e. g. Haraldus Rex Hyldetand, Balderus, Egillus Ulfserkus, & Bodvarus Biarco Rolfi Regis Heros; quorum hic in conflictu malebat cadere, quam incendio absumi; quod genus mortis & Skarphjedinus exhorruit, hostem sub dio expectare consultius ducens, quam comburi. Inglorium enim videbatur cremari; atque hinc clam intra domus cremati suas, qui ultima mortis gloria inimicis non videbantur digni; qua de re exempla non una ex historia Danica ab Autore adducuntur. Quod si forte contingeret, ut in prælio non morerentur Dani, aut sibi ipsis inferebant manus, aut ab amicis occidi malebant. Priori mortis genere occubuisse memorantur Hadingus Rex Daniæ, & Hundingus Rex Sueciæ, quorum hic ob falso acceptum de morte Hadingi confœderati nuncium, in ipso opiparo convivio in dolium cerevisia plenum se præcipitavit; ille ut parem veneratori gratiam referret, sese ipsum publice suspendit. Posteriori Starcatherus, qui, postquam castra ab ineunte adolescentia secutus fuerat, viribus tandem defectus ab amico Hathero, viro bellicoso, volebat interfici. Hac occasione mentio fit Societatis, *Fostbrædralag* dictæ, quæ ea lege a priscis Danis fuit inita, ut, diutius qui viveret, mortem alterius ulcisceretur, si armis vitam finire eum contigisset. Sed quia lex isthæc legi Christianæ deinceps introductæ, quæ homicidium districte prohibet, adversabatur, heroicus alius moriendi modus Danis placuit. Exempli loco affertur Sivvardus Danus, sed Huntyngdoniæ, Westmerlandiæ, Cumberlandiæ & Northumbriæ quondam in Anglia Comes. Hic, cum post ætatem in bellis peractam profluvio ventris sibi moriendum esse intelligeret, nolens vaccarum more, uti loquebatur, succumbere, plena armatura indutus fortissime militis instar obiit; cujus exemplum Maximilianus Egmondanus, Buræ Comes,

Cpa. III.

Cap. IV.

Bruxel-

Bruxellis angina laborans, cum mortem ipsi certissimam Andreas Vesalius, ingentis celebritatis Medicus, prædixisset, imitatus quadantenus fuisse ex Thuani lib. V. adnotatur. Scilicet armis ante obitum indui, valde videbatur heroicum. Sed illud oppido quam honorificum habebatur, si quis vulnera pectore excepta posset ostendere. Sivvardus certe laudatur, qui cum filium ex vulnere anterius accepto cecidisse audivisset, *gaudeo plane*, dixit, *non enim alio me vel filium meum digner funere*. Nominari autem præter alios hoc loco meruit Ubbo Fresicus, ex Fresia minore, Daniæ provincia oriundus, qui ingenti strage hostium edita, non nisi pectus centum & quadraginta quatuor sagittis confossus cecidit. Gloriosum autem minime erat in facie, vel tergo vulnerari, & maxime quidem in illa corporis parte, quæ Danis *Klambögg*, Græcis πυγὴ *dicitur; quemadmodum* & natium mutilatio probro vel maximo vertebatur. Probrosa etiam

Cap. V. Danis erat captivitas, eaque famæ dabatur cura, ut morituri nihil quicquam timoris verbis proderent. Exemplo sunt juvenes octo Jombsburgenses ad mortem ducti, quorum & masculæ voces ante internecionem ad *Thorkillum* editæ referuntur. Quin nec ad ictus connivere absque nota timoris licuit. Memoratu itaque hic digni visi Haraldi Hyltetandi Regis Daniæ aulici & milites; nam si quis horum versibilitate palpebræ, ut Saxo loquitur, timidius conniveret, mox aula ejectus stipendiis defungebatur; quos Suanto Sture Sueciæ Gubernator fuit imitatus, nullo in familiam suam adscito, qui securi in faciem cæsus conniveret. Memorabile est, quod de octavo Jombsburgensium supra dictorum juvenum, cui Vagni fuit nomen, refertur. Hic æquo animo se moriturum dixit, si votum prius suum effectui dare posset. Ubi illud observavit Autor, Danis olim nihil ignominiosius fuisse visum, quam votum semel conceptum ad effectum non perduxisse, mortemque ideo impavidos adiisse eos, saltem voti ut sui damnarentur. Voverat autem Vagnus, se in Norvegiam si veniret, cum Ingeburge Thorkilli filia communi usurum lecto, Patre licet & amicis refragantibus, & ipsum Thorkillum quoque occisurum. Quod votum cum intrepide exposuisset Thorkillo, hic, ut votum Vagnus suum adimplere haud posset, gladium utraque manu in eum vibravit. *Sed Vagnus* (utar versione Bartholini Latina ex relatione Danica) *ante Thorkilli pedes se in terram projecit; Thorkillus*

killus Vagnum non attingens, funiculum, quo ligatus erat, improviso dissecuit, ita ut Vagnus solveretur, Thorkillus autem ictu frustratus, pronus caderet, gladio ex manu ejus dilabente. Vagnus celerrime se in pedes erigens, dimissum ensem arripit, & totis viribus incumbens Thorkillum Leyram circa humeros secans in duas partes divisit, gladio insuper terræ infixo. Hunc vitæ exitum Thorkillus Leyra habuit. Vagnus exclamat: Dimidium nunc voti perfeci, ac sodales meos aliquatenus ultus sum, quocirca æquiori animo mortem subeo. Sed Ericus Haquini filius ei & vitam, & Ingeburgem Thorkilli filiam donavit. De hac Vagni magnanimitate, cæde Thorkilli, & Erici Comitis bonitate, vetustissima loquuntur carmina, quæ Bartholinus ex antiquitate Danica cum versione Latina hoc ipso capite V. protulit. In sequenti Cap. VI. veteres Danos tam impavidos fuisse ostenditur, ut ne cum Diis quidem bellicis, quos vana effinxerat credulitas, pugnare formidarint. Ita Hotherus Daniæ Rex contra Balderum Sueciæ Regem dimicatum ibat, quem Othinus & Thorus, sacraque Deum agmina tuebantur; & Bodvarus Biarco, se Othinum ipsum, si conspiciendum se daret, prosternere velle dixit. Nimirum Danis ipse gladius & robur dextræ erant loco Numinum, ut Mezentio olim Virgiliano, & Scythis antiquissimis, quibus non tam Mars, quam ipse gladius divino honore fuit cultus. Commodum hic agitur de gladio Martis apud Scytharum reges semper habito, quem forte fortuna repertum cum accepisset Attila, hunc divinitus sibi destinatum credidit, ut flagellum divinæ iracundiæ esse posset; nec non de juramento Scytharum per gladium & super arma facto, quale & Romanis ac Quadis, imo & Danis olim fuit usitatum. Nam uti gladio atque armis se protegi rebantur Scythæ cumque illis Dani, ita ea tanquam Numina sua seu Deos tutelares venerabantur. Sic dextræ quoque suæ ac viribus non secus ac Diis confidebant, unde & Deastris ut sacrificarent, induci quidam non poterant, uti Kiartanus, Oddus, Hallus aliique plures ex Arngrimo Jona adducti. Agnoscebant enim hi, idola ac simulacra mera esse ludibria; quanquam saniores qui erant, eum qui Solem & totum hoc universum creasset, devote adorabant, ut Giestus, Thorsteinus, ejusque frater Thorus, Thorkillus Mani, & Haraldus Pulchricomus Rex Norvegiæ, cujus & hæc notabilis vox erat: *quæ dementia est, si eum mihi aut aliis opem laturum sperem, cujus regnum excavatæ arboris trunco, aut unius saxi*

Cap.VII. *basi perangusta terminatur?* Quandoquidem vero multitudo hostium vel fortissimos potest percellere, Dani veteres fugam summæ infamiæ habebant loco, itaque ad fortiter pugnandum jurejurando se obstringebant, legesque pariter severissimas in primo fugientes statuebant, quale quid Romanos quoque ac Spartanos fecisse in comperto est. Nullum certe apud Danos facinus fuga magis infame ducebatur, & qui fugam capessiverat, Niding appellabatur, quæ vox hominem hodie sordide parcum, olim summe infamem, imo sceleratum ac nequam, uti & *Nidingswerck* infame scelus significabat, deducta a vocula *Nid*, quæ generatim ignominiam & infamiam, speciatim perticæ cum notis quibusdam infamiam alterius, vel ejus, qui provocatus ad certamen non *comparuerat*, exprimentibus, erectionem denotat. Cujusmodi perticis *irrisoriis* cum & imprecationes inscriptæ fuerint, unam memorabilem affert Bartholinus, hastam nempe Egilli Scallagrimi, quam in Erici Blodoxi, & Gunnhildæ Reginæ contumeliam erexerat, quam vide. Pergimus

C. VIII. enim cum Autore ad tumulos veterum Danorum in memoriam defunctorum, sive crematorum sive humatorum aggestos. Nam uti gloriæ perennantis studio mirum quantum erant incensi, (uti ab initio indicatum est,) ita per funerum monumenta vel maxime æternitati consecrari se posse arbitrabantur. Cæterum cum penes illos aliud tempus dicatur combustionis, idque vetustius, aliud *humationis*, utroq; memoriæ defunctorum, Regum maxime, & fortium Heroum, quorum non pauci memorantur, per tumulos vel colles exstructos fuerunt continuatæ. Humatio autem vel propter viam facta, ut humatorum memoria penes prætereuntes quoque renovaretur, vel sub montibus, vel in ipsis montibus, quibus & lapides sepulcrales a filiis ac nepotibꝰ vel amicis, non sine epitaphiis seu inscriptionibus sunt impositi. Epitaphia scripta ab Adelrunis fuisse Olaus Wormius in Fastis refert, non alios haud dubie intelligens, quam Scaldos seu poetas antiquissimos, e quibus & Hiarnus fuit, qui post Frothonem Regem Daniæ extinctum, ob scriptum huic epitaphium Rex a Danis, deficiente alio e regia gente successore, creatus est. Præter epitaphia autem, & carmina fuerunt composita, *Bragarbot*, & *Bragarfull* dicta, eaque in conviviis & evacuatione scyphorum, non in honorem tantum Regum & Heroum, sed in Deorum quoque ipsorum

cantari

cantari solita. Quam veterum septentrionalium consuetudinem ut abolerent primi Christianæ apud illos fidei seminatores, scyphos id genus in memoriam Dei Patris & Jesu Christi, (cum idololatria exstirpari non aliter posset) haurire, sed devoto cum cultu, jusserunt. Facta etiam inter pocula recordatio B. Mariæ virginis, & S. Olai regis, qui verum Dei & Christi cultum instituerat. Convivia etiam non in hujus tantum, sed & aliorum, Canutorum imprimis duorum, & Erici regis honorem ac memoriam celebrata, per Fraternitates certis legibus adstrictas, quas *Gildas* hinc appellabant. Ipsa pocula in honorem defunctorum ebibi sueta, dicta ex veteri instituto *Minni*; quanquam & pocula in honorem Deorum evacuata sic nominata; quæ & *Bragarfull* audiebant, a Deo Brago, cui consecrata primitus fuerant. Ad æternandam autem Heroum memoriam, grandia quoque saxa erexit vetustas Danica; qualia in præliorum quoque memoriam, trophæorum in morem, erecta fuisse Wormius in Monumentis Danicis demonstravit. Monumenta id genus saxea *Bautestene* lingua Danica appellantur. Tale est *Chorea Gigantum* in planitie Angliæ Salisburiensi, dicta communiter *Stoneheng*, ut & monumentum in agro Oxoniensi, vulgo *Rolle-rich Stones*, aliaque in Anglia plura a priscis Danis condita. Sed plura ejusmodi saxea monumenta ex Dania ipsa, præeunte Saxone, profert Bartholinus. His gesta Heroum fuerunt impressa certis figuris & literis, & quidem consilio *Spekingerum* h. e. civilis sapientiæ professorum, quibus & Runicarum literarum inventum non obscure adscribit Verelius in Runographia Scandica. Exempli loco hic affertur Lapis Tilesensis, inque ære expressus, a Wormio quidem jam explicatus, sed paulo aliter in quibusdam a Bartholino interpolatus. Nec durare melius potuerunt res gestæ, tam duris codicibus comprehensæ; cui durationi & atramentum indelebile inserviebat, ex pice, sanguine Phocarum aliisque ejus generis confectum. Erat autem & alius apud posteros innotescendi modus, per scuta videlicet, in quibus fortium virorum gesta cælata depictaque circumferebantur. Tale scutum erat Amlethi, quod omnem operum ejus contextum exquisitis picturæ notis adumbratum exhibebat. Tale & illud, quod Haquinus Norvegiæ Comes Einaro Skalaglammo donaverat; nam & huic antiquæ historiæ inter incisuras erant inscriptæ. Fuerunt præterea in veteri

Cap. IX.

Dania, qui historias & acta majorum, vel domuum parietibus inscribi, vel aulæis intexi, vel ligno insculpi curarunt; quemadmodum & literæ amatoriæ ligno sunt insculptæ, teste bacillo amatorio, cujus ectypon a Wormio lib. 5. exhibetur. Vilia autem hæc monumenta videri possunt præ illis, queis de dicere jam instituit Bartholinus, præ carminibus scilicet Poetarum seu Scaldorum. Neque enim historia aliunde sumpsit initium, quam a Poesi vetere, & Danica quidem historia ex Scaldorum versibus. Minime enim vilipendebatur olim ars poetica, sed inter ipsa Principum ornamenta referebatur, Poetæque ipsi non nisi maximo in honore ac pretio habebantur. Sane Haraldus Hardraade Rex Norvegiæ de itinere suo in Pontum Euxinum, & illustri in Africam expeditione, sedecim composuit cantilenas, quarum fragmenta nonnulla Bartholinus ex *membrana* & protulit & Latine exposuit. Verum & alii Heroes sua facta ipsimet cecinere, præsertim instantibus vitæ extremis, uti Regnerus Lodbroc, in carcere a colubris jam consumendus, Asbiornus Pruda Heros Danicus, cum immaniter a Brusone per extractionem intestinorum torqueretur, cujus & cantio cygnea h. l. recitatur, & pugil famosissimus Orvaroddus, qui ante ultima & ipse memorabilia per se patrata metris Danicis inclusit. Longe autem satius est aliorum, quam propriis laudibus inclarescere. Selecti itaque eam in rem Scaldi, antiquissimum doctorum genus, qui & potentissimorum Regum erant consiliarii, negotiaq; illorum omnia in toga & sago cognoscebant. Quamvis enim Gothi ex Scandia tanquam ex vagina gentium in alias oras digressi, Marti litarent, non Musis; remanentes tamen & pace fruentes non civilia tantum studia, sed literas quoque & artem Scaldicam in pretio habebant excolebantque. Haraldus certe Pulchricomus Scaldos maximi æstimavit, primumque omnium inter aulicos suos locum tenere jussit; unde & Snorro de eo in præfatione Chronici Norvegici: *apud Haraldum Regem Scaldi erant, quorum carmina adhuc memoria tenentur, ut & carmina de omnibus regibus, qui ab inde in Norvegia regnarunt, composita.* Iidem Scaldi in expeditione bellica Regum ac Principum fuerunt comites, ut res αὐτοπεριστάτως visas describere tanto melius, carminibusque suis transmittere ad posteritatem possent; qua fini Haquinus Norvegiæ Comes, contra Jambsburgenses pugnaturus, quinque Scaldos;

Cap. X.

Olaus

Olaus Haraldi Rex Norvegiæ, fatalem sibi pugnam commissurus, tres Scaldos secum duxit. Sic in Bravica pugna, una ex acerrimis in Septentrione pugnatis, Haraldo quatuor adfuere Scaldi; Ringoni duo; quem quidem morem Poëtas in bellorum ardua ducendi, Dani cum aliis quoque gentibus, Persis puta, ac Celtis communem habuerunt. Cum autem poetæ alias res non tam quales gestæ fuerunt, sed quales geri debuerunt, describere soleant, Scaldi non alia componebant carmina, quam veritati consentanea, eaque a sapientioribus & senibus approbata, quæ & ideo tanquam fide digna se secutum Snorro Sturlæsonius in historia Norvagica conscribenda profitetur. Erant autem Scaldi maximam partem ex Islandia oriundi, a quibus & multum se profecisse scribit Saxo Grammaticus; quanquam non modo longo post occupatam a Norvegis Islandiam tempore, sed & pluribus retro seculis, historiæ & res gestæ majorum per memorias & relationes ad posteros fuerunt devolutæ. Plurimum autem fidei Scaldorum carminibus & relationibus tributum est, deficientibus interim, qui relationes id genus scripto complecterentur, vel in unum corpus redigerent. Fecit id tandem Theodoricus Monachus in historia de antiquitate Regum Norvagiensium; qui & non nisi relata ac fando percepta se enarrare, nec alia enarrare se potuisse scribit, eo quod in Norvegia nullus ante se scriptor unquam extiterit. Cœperunt autem Islandi, si Bartholino credas, historias scribere A. Christi MC XIV, facto initio a famosissimis Duum-viris *Sæmundo Frode* & *Ara Frode*. Horum ille A. C. M LVII natus, post perlustratas Italiæ & Germaniæ Academias, de rebus regnorum Borealium, Danici inprimis, Norvegici & Suecici, immensa volumina singulari solertia conscripsit, sed de quibus nihil conspexisse se Autor ait, quam *Eddam* variis odis constantem, & a Sæmundo unum in corpus digestam, atque hinc ipsi attributam, quam figmentorum congeriem Huetius in *de fabularum Romanensium origine*, Sheringhamus autem, qui eam accurate elimavit, monumentum antiquissimum vocat, quod Theologiam, religionem, plurimasque antiquitates Gothorum & Anglorum exhibeat. Hic vero, vel *Ara Frode*, sacerdotio clarus, isque A. C. M LXVII natus, primus historias Islandicas Norvagica lingua scripsit. Sed de hujus quoque scriptis nihil superat, quam opusculum de Islandiæ prima inhabitatione, &

Cap. XI.

ſequentibus præcipuis in Islandia & Norvegia actis, cujus ex verſione Bartholini initium eſt: *Librum de Islandis primus confeci*; & hic finis: *& ego Are vocor*; quæ ſchedæ a Theodoro Thorlacio, Diœceſis Scalholdinæ in Islandia epiſcopo ſunt editæ. Cujus Aræ veſtigia cum non Snorro tantum Sturlæſonius, ſed & alii Islandi preſſerint, non abs re Autor ſub finem libri primi monet, veras in illis hiſtorias a falſis vel fabulis Romanenſibus cum cautela eſſe ſecernendas. Sed hæc ex primo Danicarum Antiquitatum libro excerpſiſſe ſufficiat. De reliquis proxime dicemus.

LACUS CIRKNICENSIS POTIORA PHÆNOmena, ex principiis phyſicis & mathematicis explanata per Joh. Weich. Valvaſor, Baronem &c.

SPem Lectori fecimus menſe proxime elapſo, cum Tomum I. Operis Valvaſoriani recenſeremus, nos alia vice de rariſſimo Carniolæ cimelio, *lacu* nempe *Cirknicenſi* plenius acturos fore: hujus ergo nunc promiſſi memores, ſecundum ductum ejusdem Autoris Illuſtriſſimi, illius hiſtoriam, ex poſtremis memorati Tomi Primi paginis in compendium contractam communicabimus.

Ac nomen quidem primo quod attinet, impoſitum id ei noviſſimis his temporibus eſt ab adjacenti pago *Cirkniz*; quamvis antehac apud Strabonem aliosve antiquiores Geographos ſub appellatione *Lacus Lugei* venerit: utut fatendum ſit, miram ejus naturam faciemque toties mutabilem ante hos centum annos adhuc parum admodum notam fuiſſe: eo quod tractus ille antehac incultus maximam partem jacuit, nec ita pridem demum frequentius habitari cœpit; unde per vices tantum accedentibus & inſpicientibus facile imponere, ac pro ſimplici modo lacuna, ex aquis pluviis ſubinde collecta, haberi potuit. Sed innotuit poſtea diligentius advertentibus, lacum hunc diverſis temporibus & ipſum diverſiſſimum apparere, ac modo plenum eſſe & piſcibus numeroſiſſimis ſcatere, modo dilapſis per antra ſubterranea aquis, lætiſſima per æſtatem pecoribus paſcua exhibere, nec non copioſis agricolas meſſibus beare, quin & venatoribus præ-

prædam ſatis opimam interea largiri, donec revertente autumno & regurgitantibus ex profundo undis rurſus piſcinæ largiſſimæ faciem adſumat. Tametſi vero regulariter ſemel quotannnis, & quidem circa diem *Johannis* aut *Jacobi* exſiccetur; id tamen, ut ex ſequentibus apparebit, non omni caret exceptione, dum aliquando continuis aliquot annis plenus manet: licet e diverſo nunquam per integrum anni ſpacium ipſius alveus ſiccitatem ſervare compertus ſit. Magnitudinem quod attinet, longitudine unum milliare Germanicum attingit, latitudine dimidium; profunditate vero tempore plenitudinis quatuor orgyas, qua altiſſimus eſt, non excedit; niſi quod foveæ, quas plurimas habet, præterea ad duas, tres, quatuor aut quinque orgyas in terram deſcendant. *Foveæ* hæ ſeu lacunæ, ſingulæ peculiaribus inſignitæ nominibus optime perſpici poſſunt ex *mappa* iſta chorographica, quam *præcedenti menſe* dedimus, ubi univerſæ per circellos punctatos repræſentatæ comparent: id quod denuo monere voluimus, partim quia lacus earum fovearum ope potiſſimum ſuas exerit operationes, dum per eas aquæ cum piſcibus & prorumpunt & ſeſe recipiunt: partim quia in iis, quæ ſequentur, plerarumque mentio nominetenus facienda occurret. Cauſas jam naturales iſtarum operationum quod attinet, varii diverſimode de iis ſenſiſſe deprehenduntur: nemo tamen facile Autori noſtro hac in re comparari dubiamve ipſi palmam reddere poterit, dum ipſe non modo Lacum multoties, tam inundationis, quam ſiccitatis tempore viſitavit, ac circumſtantias ſingulas ſolicite exquiſivit: ſed & talem commentus eſt explanationem, quæ ſingulis phænomenis probabiliter ſatis demonſtrandis ſufficere poſſit; cum e diverſo via à Kirchero, Schœnlebio aliisque hoc in negotio inita, eorum pleraque intacta aut inexplicata relinquat. Rem vero totam exponit noſter ex principio hydraulico *ſiphonis reflexi*, cujus adminiculo, ut & aliorum canalium occultorum, diverſa ſtagna ſubterranea, lacum Cirkniceſem ſtipantia inter ſe communicent, & conſequenter tot diſtinctas edant operationes. Ne vero gratis aut abſque omni fundamento tale quid confingere arguatur, ex variis exemplis oſtendit, ſtagna talismodi ſubterranea in ſpeluncis Carniolenſibus non infrequentia eſſe; quin & in earum nonnullis ſiphones a natura perfecte & ex ſolido lapide fabrefactos conſpici; indeque vitio ſibi nequaquam verti

poſſe,

posse, si ex conjecturis adeo verosimilibus affine quid & circa hunc- Fig. XV. ce lacum occurrere statuat. Cæterum res omnis ex adjecta figura clarius apparebit. Nimirum concipit sibi circa Lacum Cirknicensem, qui hic per *AA* indigitatur, quinque diversa stagna occulta, unum quidem maximũ *CC*, subter Lacum latens; alterum pariter amplissimum *BB*, ad latus in monte adjacente occultatum, sed altitudine lacum nostrum & integris quidem 42. pedibus superans: porro tertium *D* & quartum *E* minora, inter *AA* & *BB* interposita, & quintum denique *F*, omnium & minimum & altissime collocatum. Quo vero stagno *BB* determinatã istam altitudinem adsignaret, effecit fons quidam nomine Storseck non procul inde dissitus, cujus nempe scaturiginẽ 42. pedibus a superficie lacus nostri differre, dimensio geometrica ad oculum comprobavit: at vero fontem istum ex communi cum illo, hydrophylacio derivari, colligit ex anaticulis, (colore nigricantibus & plerumque semicæcis, necdum plumis ad volandum satis instructis,) quas dictus fons tempore nimboso protrudit, ejusdem plane speciei cum illis, quæ ex diversis Lacus Cirknicensis antris cum aqua emergunt. Autumat itaq; ex dicto stagno *BB* prope *n. 20.* profluere fontẽ Storseck per canalem *a*, qui *n. 21.* recipiat alium ductum latiorem *L*, per quem *n. 23.* pars undarum, ex nimia pluvia per venas *TT* intra stagnum *BB* coacervatarum irruat, simulque anatum, in stagno hoc probabiliter magna in copia nidulantium, turbam expellat. His prælibatis Autor tredecim diversa Lacus Cirknicensis phænomena potiora percurrit, & de singulis ex fundamento ita substrato rationes certas ac evidentes reddere satagit. Nimirum quæritur.

I. *Cur ex duobus tantum foraminibus*, Urajnajamma & Sekadulze, (*quæ reliquis foveis, quin & ipso lacus nostri, cum plenus est, horizonte nonnihil altiora sunt & ad montem adjacentem sita;*) *non etiam ex aliis, suborto tonitru, aut post largiorem pluviam, aqua mox cum impetu prorumpat, pisces que & anates protrudat, has quidem numerosiores, illos vero minori copia, cum tamen antea ob situm reliquis sicciora fuissent?* Præsciendum hic est, secundum Autorem nostrum anaticulas illas, quæ partim e dictis modo foraminibus, partim, licet pauciores, e fovea *Velki Oberch* subinde propelluntur, immediate quidem e stagnis minoribus *D* & *E* derivari: sed in hæc ipsa prius intrare per canales *W* & *X* e stagno majori *BB*, ubi nempe primum habuerint

TAB.XV. ad A.1689.
pag. 636.

erint nativitatem; simile quid etiam de piscibus istis tenendum est. His suppositis primum hoc phænomenon sequenti modo contingere existimat Autor: Suborto tonitru, cum hoc ventum plerumque comitem habeat, fragor per antrum montis *G* ejusque tubum *I* impellitur ad stagnum *F* media tantum parte regulariter plenum; (quamvis enim vena *Y* illi continuo aquam advehat, hæc tamen rursus per canaliculum *n. 9. n. 8.* in majorem lacunam *BB* semet exonerat) hujus aqua sic vel minimum agitata extemplo per siphonem *d*, ejus nempe horizonti parallelum, influit prope *f*, in alium siphonem *e*; qui hoc pacto repletus aquam ex *BB* prope *n. 6.* elevat & per *n. 5.* transfundit in stagnum *E*; quod ipsum cum nimias excepit undas, easdem per amplos canales *Q* & *R* rursus effundit, unde ex *p* & *q*, seu prædictis foraminibus *Urajnajamma* & *Sekadulze* dein aqua erumpit, tanto quidem majori cum impetu, quo altius ex isto montis hydrophylacio delabitur. Quod vero post largiorem imbrem simile quid observatur, inde fieri dicitur, quia tum aqua pluvia collecta per *V* infundatur in tubum *I*, indeque aucto supra modum stagno *F*, sipho *d* non minus suum exerat officium, quam cum undæ, uti dictum, ex sono tonitrus in motum cientur. Cur denique hic pisces minori, anates vero majori copia cum aquis erumpant, inferius in Phænomeno Decimo plenius explicabitur.

II. *Cur duæ foveæ* Velkabobnarza & Malabobnarza, *quæ hic per s. s. indigitantur, cum cœlum tonat, sonum edant tympano pulsato æmulum? & cur eædem tunc modo, quando multum pluit, aquas fundant, non autem alias?* Accidere hoc inde fertur, quod canalis *H* per foramen *G* receptam mugientis tonitrus vocem deferat usque ad foveas illas *s. s.* quæ ibi dein tympani sono non absimilis audiatur, forte ob longitudinem & sinuositatem ductus, quem prius permeavit. Quia vero idem canalis *H* aquam quoque pluviam largius in *V* collectam suscipit, necessum est, eam pariter sic ad *s. s.* derivari.

III. *Cur levi etiam decidente pluvia, unda mox prorumpat ex quatuor scrobibus; quarum duæ quidem,* Koreu & Zefslenza, *sive hic* n & m, *alias siccæ visuntur, duæ reliquæ vero* Tressenz *nempe &* Velki Oberch *seu* k & n 16. *continuis aloqui rivulis fluunt, quæ ipsæ tamen tum magno cum impetu aquas eructant, cum quibus in* Velki Oberch *etiam pisces & anates una evomuntur.* Provenire hoc sequenti ratione

tione perhibetur: Pluvia per infundibula *T, T* collecta influit in stagnum *BB*, cujus aqua vel minimum sic adaucta exitum nanciscitur per siphonem *n. 11.* ejus puta horizonti parallelum, indeque effluit in *k* ad scrobem *Tressenz*: eundem porro siphonem *n. 11.* prope *i* subintrat alius *l*, in duas extremitates *m* & *n*, seu *Zesslenza* & *Koteu* desinens, e quibus proinde lympha e siphone *n 11.* prope *i* illata, simul emanat. Quartæ scrobis, nempe *Velki Oberch* seu *n. 16.* profluvium imputatur alii cuidam siphoni *n. 13.* (eundem cum *n. 11.* horizontem habenti:) hic scilicet eodem tempore aquam e stagno *BB* incipit effundere in stagnum *D*, quod solito magis oneratum per *n. 15.* exundat in canalem *N*, unde prope *n. 16.* postea undæ cum piscibus & anaticulis in lucem prorumpunt. Quod vero scrobes *k* & *n. 16.* etiam extra pluviam perenni latice manare deprehenduntur, adscribitur duobus aliis tubulis, *b* & *c*, tantundem aquarum intra siphonem *n. 11.* & stagnum *D* infundentibus, quantum continuo ex *k* & *n. 16.* effluit. Unde simul liquet, cur fovearum *Zesslenza* & *Koteu*, sive *m* & *n*, fluxus non æque perennis sit: nimirum cum lympha, quæ ope tubuli *b* jugiter per canalem *n. 11.* delabitur ad *k*, modica tantum sit, facile præterlabitur siphonis *l* ostiolum recurvum *i*; id quod tum saltem participat de aqua siphonis *n. 11*, quando is simul per orificium *n. 10.* undas attollens pleniori pollet gurgite. Cum vero videri cuidam posset ex iis, quæ de Velki Oberch modo dicta sunt, ac si ob rationis paritatem sic aqua fovearum Urajnajamma & Sekadulze, sive *p* & *q*, simili modo perennis esse deberet, cum ad earum promtuariũ, stagnum puta *E*, indesinenter per canalem *X* unda delabatur e stagno majori *BB*: occurritur huic dubio per alium canalem *M*, qui tantum aquæ ex stagno *E* per *n. 3.* continuo subducit & ad *n. 2. 2.* defert, quantum per canalem *X* suppeditatur.

IV. Cur post imbrem uberiorem ex aliquibus modo Lacus Cirknicensis scrobibus, nempe Reschetto, Vodonos, *aliisque pisces ubertim cum undis prosiliant, ex reliquis vero aqua solum absque piscibus?* Adscribitur hoc diversæ amplitudini canalium, quibus scrobes singulæ cum stagno inferius latente *CC* communicent. Nimirum exundatio lacus nostri hoc potissimum pacto fieri judicatur: impleto maxi m partem vi pluviarum stagno *BB*, sipho maximus *K* incipit aquas inde præcipitare in stagnum *C C*, quod ipsum vero dum iis capiendis

endis amplius non sufficit, id quod abundat, per canales largos *O, O, O, P*, sursum propellit in lacum Cirknicensem. Cum autem ingentes hi canales in plures semet diffundant ramulos, inter se valde discrepantes, alios puta majores *n.* 4. 4. 4, alios minores *o, o, o, o, &c.* evidens est, per illos quidem piscibus etiam transitum facile patere; non item per hos; quorum nempe angustiam isti intrare nequeunt. Cæterum pisces hos gigni putat Autor partim in stagno *CC*, postquam intra illud decrescentes aquæ lacus Cirknicenses semet cum hospitibus hisce suis rursus receperunt: partim in stagno *BB*, in quo uberiorem adhuc piscium proventum esse, colligit inde etiam, quod hi præcipuum pabulum anatum esse soleant, quæ ipsæ autem in superiori illo stagno *BB* primario hospitentur. Et sane docuit ocularis inspectio, anaticularum istarum stomachum mox post ipsarum expulsionem dissectum plerumque præter arenulas & herbas virentes etiam pisciculos continuisse.

V. Quomodo lacus Cirknicensis viginti quinque demum dierum spacio evacuetur; at vero ad sui repletionem non nisi viginti quatuor aut octodecim quandoque horis indigeat? Ratio hujus ex modo dictis jam pro parte patescit, ac in eo maxime sita est, quod pauciores viæ suppetant ad aquas e lacu subducendas, quã quidem ad ejus exundationẽ nimboso tempore promovendam. Nimirum quando pluviæ largiter cadunt, non modo torrentes circumquaque e collibus in hancce vallem coacervantur; sed potissimum per infundibula *TT*, aliosque canales *t t*, hydrophylacium *BB* maxima ex parte adimpletur, unde singuli supra indicati siphones, *d, e, n. 11, n. 13*, undas per inferiora transfundunt, maxima copia hinc ex *Urajnajamma*, *Sekadulze*, *Velki Oberch* ac *Tressenz* erumpentes: præterea vero, quod maximum est, postquam stagnum *BB* increvit usque ad altitudinem *n. 12*, ingens ille sipho *K* operari incipit & laticem uberrimum in stagnum *CC* per *y* propinat: hoc ergo, ceu supra dictum, tantam aquarum vim capere intra sinum suum non valens, eas per superiora 4, 4, 4, & *o. o, o, &c.* non transmittit solum, sed & ex nonnullis scrobibus, utut cisternæ vulgari quoad amplitudinem æqualibus, ejaculatur tanto cum impetu, ut alicubi ad altitudinem trium quatuorve orgyarum, modo perpendiculariter, modo oblique, jucundissimo spectaculo prosilire cernantur. Ita veloci satis augmento lacus excrescere

pergit, donec pedetentim siphones memoratos aqua destituat: inter quos tamen fluxum diutissime servat maximus ille *K*, utpote caput omnium profundissime subter aquas abscondens; quo ipso tandem, stagno usque ad *x* exhausto operari desinente, lacus Cirknicensis rursus paulatim incipit imminui. Hoc ipsum vero decrementum ex altera parte contingit, cum per duas scrobes *Mala Karlouza* & *Velka Karlouza* adsiti montis saxosi viscera penetrantes, quæ in schemate nostro per *n. 1. 1.* indicantur; tum potissimum ope canalis *Z* ad stagnum *CC*, licet non plane ad ejus fundum, sed paulo altius ad *n. 19.* pertingentis indeque undas aliorsum derivantis: quem quidem largiorem supponit Autor octo distinctis rivis una sumtis, qui quotidie intra lacus Cirknicensis alveum, etiam quando siccus est, influunt, nec vero aliunde & aperta via rursus effluere queunt, dum lacus circumquaque collibus cingitur. Eundem nihilominus canalem *Z* inseri postea autumat in aquæductum *S*, ex *n. 1. 1.* ortum trahentem, & ex altero dein collis latere sub nomine rivi *Jessero* prodeuntem; per quem adeo lacus nostri aquam (nisi & alii suppetant meatus subterranei, in Carniola alioqui non infrequentes) potissimũ effluere atq; subduci arguit: inde præsertim, quod rivus ille *Jessero* tum quidem cum plenus est lacus noster, utut jam decremento propior, & ipse largius fluat; isto vero exsiccato, pariter multum imminutus deprehendatur.

VI. Cur aqua eo tempore, quo inundatio Lacus contingit, ex iisdem foraminibus egrediatur, intra qua durante decremento semet recondere consuevit? Jam ex præcedentibus liquet, id pendere ex subterraneo stagno *CC*, ejusque per sursum vergentes largos canales *O, O, O, P*, communicatione cum Lacu Cirknicensi: per hos etenim necessum est & adscendere undas, quoties stagnum *CC*, iis capiendis non amplius par est; & descendere vicissim, dum hydrophylacium illud paulatim per ductum *Z* depleri cœpit. Cæterum decrementum hoc aquarum tam regulatos servat terminos, ut iis semel dilabi incipientibus accolæ mox norint, intra quantum spacii singularum scrobium evacuatio expectanda sit; id quod iis nosse multum interest, qui in singulis istis foveis jus piscandi per præscriptionem obtinent, ne tarde nimis venientes aqua cum piscibus intra terram jam regressa destituat inanes. Etenim non modo compertum est, in quin-

que

que his scrobibus, *Kamine*, *Vodonos*, *Reschetto*, *Koteu*, *Levische* aquæ decrementum ita statum esse, ut altera post alteram successive, interjecto inter singulas quinque dierum spacio, exsiccetur: sed accuratius adhuc potiorum istarum fovearum ordo ac tempus decrementi per experientiam ad regulam sequentem noscuntur. Nimirum depletur *1. Malioberch*, & quidem intra triduum, *2. Velki Oberch* proximo biduo, *3. Kamine*, sequens intra quadrihorium, *4. Suejnskajamma* post horæ spacium, *5. Vodonos* intra sequentes quinque dies, *6. Louretschka* tempore sesquidiei, *7. Kraloudouor* intra diem dimidium, *8. Reschetto* per triduum, *9. Ribeskajamma* simul cum Reschetto, *10. Rethie* intra bihorium, *11. Sitarza* una hora serius, *12. Lipanza* quinque vel sex horis, *13. Gebno* proximo triduo post scrobem Reschetto, *14. Koteu* sequenti biduo, *15. Ainz* post quatuor aut quinque horas, *16. Zesslenza* elapso ulterius trihorio, *17. Pounigk* duobus post Koteu diebus, ac denique *18. Levische* intra sequens triduum: ut ita lacus totius exsiccatio intra vigintiquinque dies absolvatur.

VII. Cur Lacus, tot nempe accessibus tempore plenitudinis adauctus, nec ob montes circumsitos exitum habens, pagos adjacentes undis suis non obruat? Pariter hoc decidi quodammodo ex iis potest, quæ ad phænomenon V. monita fuere: videlicet per scrobes *n. 1. 1*, ut & per canalem *Z* id omne quod abundat, mox aliorsum abducitur. Et quamvis nonnunquam accidat, ut lacus jamjam in plenitate sua stans, pluviis justo diutius durantibus, ultra solitum modum ad duos vel tres, imo sex quandoque pedes excrescat; ille tamen excessus remittente nimbo mox cessat, & id quod superfluum erat, satis celeriter per *n. 1. 1.* seu foramina *Mala Karlouza* & *Velka Karlouza* subducitur: quæ ipsa etiam idcirco multo ampliora esse feruntur, quam alias opus esset, si lacus intra consuetos limites constanter subsisteret; dum sicca tempestate per eadem nihil aquarum fluit, sed id omne, quod ex perennibus illis rivis intra lacus alveum continuo subintrat, per canalem *Z* exonerari valet.

VIII. Cum compertum sit, rivos indesinenti cursu intra lacus declivitatem quotidie ingredientes nuspiam manifesto effluere, nec tamen per se ejus cavitatem, cum semel exsiccata est, implere, quorsum tandem deveniant? Respondet Autor, aquam per minores illos ductus atque

canales (quorum alios brachium, alios digitum, alios filum modo crassiusculum quoad amplitudinem æquare ait,) nempe *o. o. o.o. &c,* sensim diffluere ac percolari intra stagnum *CC*, & inde ulterius prope *n. 19*, per canalem *Z* derivari ac exitum suum reperire.

IX. Unde fiat, quod duæ scrobes Narte & Pjauze *jugi liquore madeant, cum tamen non appareat, unde affluxum nanciscantur tempore siccitatis?* Deducitur hujus rei causa ab exiguo canali *n, 3,* qui ex stagno *E* modicam aquæ venam derivet ad duas hasce foveas, sive *n. 2. 2,* unde necessum sit eas continuo manere humidas, dum aliquo circa easdem spacio desint tubuli, qui laticem stagnantem ad hydrophylacium *CC* dimittere queant. Eidem vero canali *n. 3.* adscribitur etiam, quod ex *Urajnajamma* & *Sekadulze*, sive *p* & *q*, non omni tempore manare aqua deprehendatur, uti ex *Velki Oberch* seu *n. 16:* licet enim tam stagnum *E*, quam *D*, indesinenter affluxum patiatur ex hydrophylacio *BB*; attamen hic superfluus ille humor jugiter per canalem *n. 3.* ad *n. 2, 2.* deferri solitus, non opus habet per *Q* & *R* demum exitum quærere; id quod secus est in stagno *D*, quod cum non habeat alias, quorsum deponat id, quod ex *BB.* nimium accepit, non potest non per *n. 15.* & *16.* semet in *Velki Oberch* exonerare.

X. Cum non tantum prope Velki Oberch, *verum etiam per* Urajnajamma & Sekadulze *tam anaticulæ, quam pisces cum aqua expellantur, unde contingat, quod priori in loco pisces anaticulas numerositate vincere, posterioribus duobus vero vice versa hæ illos copia superare observentur.* Attribuitur hujus rei causa diversitati canalium, per quos stagna minora *D* & *E*, ac ex his porro prædictæ scrobes aquas suas, & cum his pisces, anatesque, nanciscantur ex majori illo hydrophylacio *BB*. Nimirum licet canales hi, nempe *W* & *X*, æque alti sint & ordinariæ stagni *BB* superficiei paralleli; tamen cum *X* multo amplior sit, quam *W*, facilius intra illius, quam hujus gurgitem anaticulæ ab aquis, quibus innatant, abripiuntur, atque sic dein copiosius per *Q. p.* & *R. q.* expelluntur, quam quidem per *n. 15.* & *16*, quorsum nempe, ob angustiam canalis *W*, pauciores deveniunt. At vice versa, cum pisces rarius in superficie aquæ summa natare soleant, evidens est, hos parciori numero devectum iri in stagnum *E*, cum ad hoc non alia ipsis via pateat, quam per dictum canalem *X*: sed e contrario ad stagnum *D* non modo aditum reperiunt per ductum *W*, verum

rum etiam per alium canalem *c*, prope fundum ſtagni *BB* inſertum, piſcibusque profundiora utplurimum loca petentibus facilius pervium; quapropter in *Velki Obereb* majorem, quam in *Urajnajamma* & *Sekadulze* piſcium abundantiam eructari neceſſum eſt.

XI. Cur poſt modicam quoque pluviam foramina Koteu & Zeſſlenza, *alioquin ſicca, multo diutius undas evomere pergant; quam lacuna* Velki Oberch; *utpote qua mox imbre deſinente & ipſa undas, ſobrio ſuo & perenni fluento abundantiores, prodigere ceſſat?* Rationē hujus phænomeni quærit Autor in diverſa diſpoſitione ſiphonum *n. 11.* & *n. 13.* eo quod nempe hunc citius aqua deſtituat, quam illum; dum is prope *n. 10.* orificium notabiliter profundius demittit, quam quidem hic *n. 17*, unde non poſſit non ibi profluvium eſſe diuturnius.

XII. Unde fiat, quod lacus Cirknicenſis quotannis regulariter ſemel & quandoque bis, imo ter nonnunquam evacuetur; & viciſſim aliquando bis vel ter, quin & quater in plenitudine ſua conſpiciatur, ac demum tertio, quarto, aut quinto etiam anno deficiat; at e diverſo nunquam per integrum anni ſpacium ſiccus maneat? Imputatur hoc varianti annorum temperiei, prout ea vel ad ſiccitatem vel ad humiditatē magis inclinet. Sic diutina lacus plenitas v. g. dependet ab imbribus multoties per annum repetitis, qui canalibus & infundibulis *T. T. t. t.* jugiter materiam ſuppeditant. Econtra hiems ſiccior lacum repetitis vicibus deficere cogit, dum inopia nivis aut pluviæ tubis iſtis *T. T. t. t.* parum nimis ſubminiſtrat. Quod vero nunquam per totum annum ſiccus perduret ejus alveus, inde fieri perhibetur, quod annus etiam aridior nihiloſecius tantum aquæ per dictos ductus inſtillet ſtagno *BB*, ut hoc usque ad altitudinem *n. 12.* adimpletum, ope magni illius ſiphonis *K* exonerare ſemet valeat per inferiora, atque ſic lacum ſufficienter ſaltem, ſi non abundanter inſtruere: quo in caſu tamen ejusdem inundatio non ita ſubito intra 18 vel 24 horas, ut alias, perficitur, ſed octo demum aut quatuordecim diebus alveus repleri ſolet.

XIII. Quare tum etia cum tempeſtas diu ſerena fuit & lacus vacuus ac ſiccus jacet, nihiloſecius poſt modicam pluviam ſcrobes Velki Oberch, Zeſslenza, Treſſenz & Koteu *mox undas ſat largas eructent?* Non adeo obſcura hujus rei ratio ei poterit videri, qui hactenus expoſita nonnihil expendit. Etenim licet magnus ille ſipho *K* aquis prope *x* defici-

entibus

entibus fluere desierit, eoque aliquamdiu cessante interim lacus Cirknicensis undæ pariter elapsæ sint siccumque reliquerint alveum: attamen ex rivulis, sicca etiam tempestate intra *BB* confluentibus hydrophylacium hoc paulatim rursus impletur ad ordinariam suam altitudinem: qua dein per exilis modo pluviæ superventum adaucta, absque mora siphones *n. 11.* & *n. 13.* aquam haurire incipiunt ac per dicta foramina, nempe prope *n. 16, m, k*, & *n.* educunt sat copiose. Quod ipsum quando contingit, accolæ inde augurium capiunt imminentis lacui suo propediem incrementi & exundationis; cujus rei causa, ipsis quidem ignota, pariter evidens est: nam stagnum *BB* quando jamjam attingit summitatem istorum siphonum *n. 11. & n. 13*, non ita procul amplius abest a *n. 12*, seu vertice siphonis maximi *K*, quo videlicet similiter aquis obtecto, Lacus oppletio, ceu *supra dictum*, statim sequitur. Tametsi vero idem quoque, quod de quatuor *hisce foraminibus* dictum est, applicari posse videatur ad scrobes *Urajnaj amma* & *Sekadulze* seu *p* & *q*, quæ tamen non nisi post tonitru aut fortiorem imbrem manare observantur: nihilominus diversitatis ratio & hic dari potest: utut enim sipho ipsis ministrans *e*, (non minus quam *n. 11.* & *13*,) aquis stagni *BB* stet immersus; attamen cum ad reflexam ejus cervicem *n. 14.* tanquam alte nimis super consuetum stagni *BB* horizontem positam, hujus undæ non facile pertingant, nequit ille per *n. 5.* quicquam effundere, nisi postquam stagno *F* per *V, I*, ac *Y.* aquis onerato, nec iis per *n. 9.* & *8.* satis effluere valentibus, sipho *d* easdem transfundat in siphonem *e*, quo hic tandem oppletus, simili modo undam per *n. 6.* attollere, ac in stagnum *E* transmittere modo superius explicato possit.

Hæc itaque sunt Perillustris nostri Autoris circa Lacum hunc famosissimum meletemata: quæ si cui fortean nimiis incedere ambagibus videantur, periculum is faciat, num minori apparatu tot tamque implicata & contrariantia inter se phænomena expedire atque demonstrare valeat: hactenus certe nemo extitit, qui hoc circa negotium aut indefessa in observandis circumstantiis *industria*, aut speculationum in iis exponendis evidentia, ipsi paria fecerit. Nos vero prolixius paulo hæc recensere in exterorum inprimis gratiam voluimus, idiomatis Germanici, quo Valvasorianum hoc opus conscriptum est, parum plerumque gnarorum.

JOH.

JOH. BRUNSMANNI GRATIA NATURÆ Interpres.

Francofurti, apud Joh. Just. Erythropilum, 1688, in 8.
Constat plagulis 32.

SCopus & meta hujus scripti, quod quinq; absolvitur libris, est ostendere, a veritate quam longissime aberrare Christophorū Wittichiū Professorem, dum viveret, Leidensem, aliosque contendentes, Scripturam Sacram magis physicis de rebus quam de cæteris ex opinione loqui: ideoque de natura rerum nihil certo colligi ex iis posse, quæ Codex Sacer super eadem dicit. Id quod falsum esse, perquam Reverendus Auctor scripti libro primo diversis monstrare studet argumentis: contraria quoque Wittichii & aliorum argumenta late confutat, libro secundo, tertio & quarto id unum agens. Tum & toto ultimo libro, qui cæteros quatuor mole æquat, dicta illa Scripturæ explanat, quæ vulgo ad opinionem meram accommodantur: demonstrareque laborat, eorum pleraque omnia satis bene pura de veritate explicari posse. De cætero, allata ad nos Lipsiam Auctoris est epistola, in qua gravissime conqueritur de erratis, quibus typographus hoc ejus scriptum fœdavit, dicens ita mendis esse ab eo inquinatum, ut cum primum viderit impressum, dubitarit an pro suo agnosceret: eosque errores potissimum in libro quinto sive ultimo a pagina 353 & deinceps reperiri ait. Simul autem spem facit novæ & correctæ editionis: Bibliopolam enim Hauniensem, qui suis impensis excudi curavit, in se recepisse dicit, proximis nundinis emendatiorem publicæ sistere luci.

George Adam Struvens / vornehmen *JCti, Juris-Prudenz*, oder Verfassung der Landüblichen Rechte.

sive

Georgii Adami Struvii, JCti celeberrimi, Jurisprudentia, seu Compendium Jurium his in terris vigentium.

Martisburgi, apud Christianum Forberger, 1689, in 8.
Constat plagulis 59.

NUm Germanis expediat, ad exemplum aliarum Europæ nationum, Gallorum puta, Hispanorum, Italorum, Jus civile lingua vernacula exponere, haud pauci dubitarunt, veriti, ne hac ratione plus tenebrarum, quam lucis legibus Justinianeis affundatur, ob distantem nimis a Latino Teutonici idiomatis genium, nimisque adeo difficilem terminorum juridicorum expressionem: cum e diverso gentium ante memoratarum sermo a prima sua origine voces plerasque Latinas per levem inflexionem sui juris faciat, & sic, uti aliarum disciplinarum, ita & Jurisprudentiæ vocabula technica nullo pene negotio adoptet. Quinimo celeberrimus *Zasius* ad l. 2. D. de O. I. §. 7. scribere non ambigit, pœna etiam corporali non indigmum esse, si quis auderet jus commune Cæsareum in linguam Germanicam transferre. His tamen haud obstantibus, non defuerunt ex altera parte, qui tantam vernaculi nostri sermonis ineptitudinē esse nequaquam existimarent, quin potius Justinianum Teutonice quoque loqui posse, reipsa ostenderent. Sic exempli loco, in præmissa huic libro Dedicatione ad Serenissimum Saxoniæ Ducem Johannem Wilhelmum, Academiæ Jenensis hoc tempore Rectorem Magnificentissimum, allegantur *Andreas Perneder*, qui Institutiones, *Martinus Pegius*, qui Codicem, *Georgius Schwartzkopff*, qui quatuor Digestorum libros Germanice vertere sint aggressi. Atque horum quidem classi semet adjungere visum fuit Magnifico ac Illustri *Struvio*, dum compendiosam hanc synopsin juris in foro nostro recepti lingua patria scribere suscepit. Nimirum admoverat jam ante aliquot annos & ad mandatum quidem Principale, huic operi manum; eandem tamen, elaboratione licet maximam partem absoluta, rursus remiserat, gravioribus dubio procul incidentibus negotiis distentus. Imperfectum istum laborem nunc ex schedis paternis iterum protraxit filius ipsius virtutum æmulus *Johannes Wilhelmus Struvius*, Secretarius Ducalis Saxonicus in dicasterio Jenensi, eumque annuente gravissimo Parente ad umbilicum perduxit, & sic in lucem emisit publicam. Methodum in libro adhibitam si requiras, eadem, quæ in Latino ejus opusculo, quod *Jurisprudentia Romano-Germanica Forensis* inscribitur, observata fuit, utpote cujus, facilitate nimirum sua dudum se commendantis, ductum adeo sequi placuit, ut non modo libri, sed & tituli & tantum non paragraphi utrinque utplurimum correspon-

respondeant; nisi quod alicubi majoris evidentiæ gratia duos titulos in unum contrahere, aliquando vicissim unum in plures dividere visum fuerit. *Allegata* vero in universum omnia sunt omissa, perinde ac alia, quæ lectorem Latini sermonis ignarum turbare potius, quam juvare potuissent. Plura de contentis dicere nil attinet, præsertim cum laudatus antea libellus jam longo abhinc tempore omnium teratur manibus.

D. LUDERI MENCKENII GYMNASIUM POlemicum Juris, complectens plures quam DCXX Selectas Controversias.

Lipsiæ, apud Joh. Herb. Klosium, A. 1689, in 4. Plag. 34.

CUm Selectarum Controversiarum Scriptores plerumque id agere soleant, ut plenissime, quicquid de qualibet controversia dici potest, exequantur; alia methodo clarissimo Auctori incedere visum est: quippe qui, ut non exiguum Controversiarum numerum parvo volumine complecteretur, singulis quidem præcipuas decidendi rationes subjecit; leges, ubi res id exegit, in subsidium vocavit; auctores consentientes ac dissentientes cuilibet controversiæ subjunxit: in singulis autem quam brevissime versatus est, & argumenta obstantia congruis in locis primo digito commonstrare, ac publicæ ventilationi relinquere, quam prolixe resolvere maluit. Tractatum vero hunc in XXXI Dissertationes divisit, & inter eas tres ex Jure Naturæ ac Gentium, tres ex Jure Publico, octodecim ex Jure Civili, tres ex Jure Feudali, duas vero ex Jure Canonico depromsit. Omnia sub examen vocata index adjectus exhibet, atque ex iis minimam partem mere theoreticæ, maximam vero usui moderno servientes quæstiones constituunt. Cæterum Auctor libero sed modesto usus judicio, Juris Civilis abrogationem ex sola usus infrequentia non admisit, atque hinc partim rationibus, partim exemplis e praxi petitis, iis, qui in abrogando æquo faciliores sunt, subinde contradixit. Juri Gentium & Publico vim non fecit per argumenta ex Jure Civili petita, sed fundamenta decisionis ex ratione naturali, legibus Imperii fundamentalibus, Reipublicæ moderno statu, & historiarum fide præcipue deduxit. In Controversiis Juris Civilis Digestorum ordinem

obſervavit, atque Juris Juſtinianei diſpoſitionem ab obſervantia, mores particulares ab univerſalibus, non paucis in locis diſcrevit. Feudalis & Canonici Juris theſes frequentiſſime dubitandi rationes reſolvunt, & nonnunquam modum ſuppeditant, quo diſſidentes Practicorum ſententiæ conciliari queant. Theoria & Praxis Arboris Conſanguinitatis & Affinitatis, præter computationē & prohibitionē graduū (cui Cognatorū & Affinium appellationes idiomate Latino & Germanico inſertæ ſunt) Succesſionis materiam diligenter recenſet, & utra computatio, Civilis an Canonica, pro cauſarum diverſitate recepta ſit, commemorat. Cum vero ob controverſiarum multitudinem ad ſpecialiora deſcendere inſtituti noſtri non ſit, eadem Lectoris in perluſtrando induſtriæ reſervamus.

ECLIPSIS SOLARIS

Anno 1689 d. 3 Septembris celebrata.

PErvenere ad manus noſtras diverſæ hujus phænomeni Obſervationes, ab Illuſtriſſimis pariter ac Clariſſimis Viris ſolerti ſtudio ſuſceptæ, quarum, ut & ipſius eclipſeos ſumma momenta, juxta tempora unoquoque loco adnotata, in Tabulam conjecta Aſtrophilis exhibemus.

Obſervatio	Initium Ecl.			Summa obſcuratio			Defectus		Finis Ecl.		
	H.	'	''	H.	'	''	Dig.	'	H.	'	''
Viennenſis, Illuſtriſſ. Bar. ab Ochſenſtein.				5.	7.		1.	44.	5.	45.	
Grenovicenſis Dn. Flamſteedii.	3.	29.	17.	4.	8.	18.	' 2.	'' 30.—	4.	33.	24.
VVratislavienſis Dni D. Schulzii.	4.	30.	20.	5.	9.	20.	D. 2.	' 10	5.	46.	50.
Ulmenſis Domini Honoldi.	4.	15.	20.	4.	45.	6.	2.	✠	5.	24.	48.
Noribergenſis Dni VVurzelbaueri				4.	55.	45.	1.	57.	5.	28.	15.

Præter has Lipſienſem Kirchii noſtri, ut & Noribergenſem Domini Eimmarti obſervationem, fuſius exponunt Ephemerides laudati

laudati Domini Kirchii: e quibus & calculus Lunaris Eclipseos, Solarem nostram proxime subsequutæ, & Observationes ejus a memoratis duobus Autoribus habitæ, peti possunt. Quibus hic in Synopsi jungimus

Joannis Flamsteedii

Observationem Eclipsis Lunaris Anno 1689, d. 18 Sept. Grenovici institutam.

	H.	/.	//.
Initium	12.	42.	41.
Immersio	13.	40.	20.
Emersio	15.	21.	9.
Finis	16.	18.	49.

JOH. HELFRICI JUNGKENS MEDICUS præsenti seculo accommodandus &c.

Francofurti ad Mænum, Sumtibus Alberti Ottonis Fabri, 1689, in 8.
Constat plagulis 61.

QUem Autoris in Actis A. 1683. p. 38. retulimus Medicum seculo præsenti accommodandum, ne quicquam quoad partes duas priores, si paginam primam & secundam excipias, hic immutatus, bene tamen tertia auctus prodit parte, curiosa non minus in secretis hactenus habita experimenta communicante, ac medicaminum facultates, unde proficiscantur, indagante. Secretum scilicet primo Sal volatile Philosophorum Sali armoniaco analogum ex urina humana, ad melleam consistentiam inspissata, conficiendum edocetur, e quo porro, vel sufficienti aceti destillati quantitati sociato, Aquila philosophorum fixis salibus alcalisatis volatilisandis inserviens, vel primo Veneris enti combinato, insignis Spiritus Antepilepticus, queant parari. Etenim in urina hominis vilissima magnum aliquod magnale delitescere, partim autoritate *Starckey* & *Thomsoni* illustratur, ceu quorum ille philosophorum Sal armoniacum, hic vero Essentiam suam Stomachicam, ex urinæ humanæ spiritu ac spiritu acido vinoso seu vini rectificatissimis invicem coagulatis, ad *Helmontii* ductum, elaborasse videantur; partim Phosphori exemplo comprobatur, urinæ oleo fœtido & sali fixo suum debentis ortum; sive intervenien-

te arena secundum *Boyle*, sive arena omissa secundum *Comierium*, modo terra propria capitis mortui vicem intermedii fluxum inhibentis subeat, idem præparetur. Deinde curiosus observatur processus ab amico aliquando Autori communicatus, utpote cui absolvendo Pharmacopœus quidam Lapidi philosophico inhians e terra virginea, Solis motu ab aqua stagnante separata magisq; addito roris majalis phlegmate præparata, nec non sale fixo, ac spiritu itidē subtilissimo ejusdē roris majalis, debita proportione inter se commixtis ac successu temporis igne fixatis, operā navasse fertur; colorum siquidē variationem ex nigro, albo, ad rubrum ex voto omnino successisse, num vero optato tandē lapide benedicto, post initū fixatæ hujus materiæ cum auro per antimonium optime depurato connubium, sit potitus, minus haberi perspectum. Hinc arcana Nitri traditur destillatio, *qua spiritus* hujus rubicundus, primigeneis particulis tam salinis, quam sulphureis *unitis* constans, plurimis in receptaculis colligi, & camphoræ adminiculo in liquorem rubicundum fugacissimum, non nisi vitris hermetice occlusis asservandum, concentrari possit, ipsa camphora olei instar innatante. Modus tum sequitur Vitriolum depurandi haud vulgaris, quo hoc omne fere in spiritum, Metallorum Salis inde parandi ergo, destillatione valeat resolvi, capite mortuo non rubro, sed albo relicto. Tandem Antimonii, Auro philosophorum materiam præbentis, sistitur Balsamus Autori hactenus arcanus, omni sulphuris vulgaris balsamo præstantior, oleis juniperi, anisi & succini, nec non spiritu therebinthinæ ac vini alcolisato e scoriis Antimonii post detonationem hujus, primum cum sale, e nitro purissimo & tartaro crudo pulcherrimo invicē detonatis elaborato, mox cum carbonibus pulverisatis sufficienter factam, Regulo supereminentibus extractus. Vires autem medicamentorum non e signatura, nec odore, calore aut sapore, sed experientia sola cognoscendas, quod concernit, a millies mille variata rerum ex tot diversis aquæ, terræ, salis, sulphuris, spiritus &c. particulis combinata textura, sub Lucis & idearum directorio, dependere easdem, fusius & curiosius deducitur.

JOHANNIS HELFRICI JUNGKEN M. L. PRAXIS MEdica, sive Corporis Medicina, morborum internorum corporea Machina fere omnium & fiendi & curandi methodum juxta Modernorum Practicorum saniora principia nudis exhibens terminis.

Franco-

Francofurti, Impensis Joh. Zigeri Bibliopol. Norimb. 1689, in 8.

Constat plagulis 65.

AUtor Clarissimus, qui solertem hactenus & ingeniosum se præstitit Chymicum, tum in modo lustrato *Medico*, tum in *Chymia Experimentali*, *A. 1682. p. 393.* tum in *Notis ad Agricolam*, *Supplement. II. p. 106.* a nobis pariter recensitis, in præsenti nunc Praxi Medica Rationalis promte deprehenditur Medicus Practicus. In morborum quippe fiendi ratione æq; enodanda, ac medendi methodo adaptanda, derelicta verbali magis Veterum theoria, hanc potius Modernorum realem amplectitur, Naturam morborum quondam decantatam curatricem, non nisi circulantium humorum interruptum esse motum in Præfatione statuminans, adeoque morborum causas in ipsis circulantium humorũ constitutivis & eorum variis mixturis præternaturalibus, sano corpori molestis & solidarum partium texturas vel invertentibus, vel vitiose contexentibus, detegens. Ordo autem, quo affectus præternaturales machinam nostram corpoream lædentes evolvit, Alphabeti literis advertitur respondere, ita quidem, ut in singulis fere primum Definitio, nisi divisionem quandoque præmittendam necessitas exigat, deinde Subjectum, signa hinc Diagnostica, tum causæ, porro Prognosis, tandem Curatio eorundem concise excutiantur. Quæ ubi placuerint, Prægnantium ac Puerperarum affectus, hic omissos, eadem quoq; methodo se imposterum editurum Autor pollicetur.

* * * *

D. ANTONII A MARA TRACTATUS DE CONCURSU

Creditorum jamjam in *Actis hujus anni Mens. Jul. pag. 354.* a nobis recensitus fuit. Cum vero ibidem plagularum libri numerum 42. esse dixerimus, monendum adhuc habemus, eidem posthac 10. plagulas de novo superadditas esse: ne quis fortean, cui idem nunc ad manus venit, nos in earum connumeratione lapsos esse autumet. Continent autem plagulæ istæ noviter adjectæ partim *Indices*, partim *Epilogum* cum subscriptione Autoris, utpote qui verum suum nomen amplius celare noluit, quo nempe, ceu jam tunc innuimus, *Elias Schnegas D.* vocitatur. Ac indices quidem, quorum certe accessione hujus scripti perfectio

lectio non parum facilitata & commodior reddita est, trium generum additi reperiuntur, unus nempe Titulorum, alter Creditorum, prout per classes ponendi sint, tertius denique *Rerum* & materiarum præcipuarum. *Epilogum* vero quod attinet, præfatur ibi nonnulla de libertate veterum JCtorum in perstringendis aliorum sui similium erroribus adhibita, eamque ex adductis hanc in rem compluribus exemplis ostendere desudat; plura nihilominus ejusmodi in peculiari Tractatu Lectorem expectare jubens; in quo ex legibus Veterum & ex principiis juris civilis & naturalis, quæ ipsimet veteres condiderint, *Errores Veterum* demonstrare spondet. Reliqua epilogi pars unice directa est contra Recensionem istam nostram, in Actis his loco citato de ipsius libro factam; quam ipsam videlicet, utut in ea tractatus sui contenta fideliter relata fuisse, diffiteri nequeat, multis tamen ex capitibus sibi displicuisse haud obscure indicat Autor. Quandoquidem autem ex iis, quæ hanc in rem affert, abunde perspicitur, ipsum aut non satis attente legisse istam nostram Relationem, aut certe eandem intelligere noluisse, idcirco quicquam hic ei reponere nequaquam opus esse judicamus; quin potius rem totam Lectoris benevoli calculo submittimus, qui cum & Recensionem nostram & Epilogum istum perlegerit, & invicem comparaverit, facile videbit, objectiones in hoc propositas nulla penitus responsione indigere. Unicum tamen est, quod nobis imputatum amoliri necessum habebimus, ne fortassis contra bonam fidem quidquam scripsisse cuipiam dicamur. Nimirum allegavimus in dicta Relatione, Dn. Schnegassium non semel inter errores autorum ea quoque numerare, quæ autores isti expressa sanctione provinciali, ad quam scripserunt, freti adseruerunt. Contra hæc sequentibus verbis in epilogo suo insurgit: hoc non ita esse, alii, qui vel oscitanter tractatum meum evolvendo percurrent, reperient; nam nunquam & nusquam ea, quæ Autores ex sanctione provinciali statuerunt, inter errores eorum connumeravi, &c. Hoc ipsum jam quod concernit, libenter largiri possumus, tales, qui oscitanter, (vel ita saltem, uti *Dn. Schnegas* nostram relationem) tractatum percurrunt, loca ista non mox adversuros; quæ tamen attentiorem lectorem haud ita facile fugient. Quo vero fidem nostram & hac ex parte liberemus, & paucis etiam (dum nobis bella ejusmodi chartacea gerere nec vacat, nec volupe est,) nosmet expediamus, non alio

alio opus esse credimus, quam ut loca aliquot istius farinæ adducamus, ac de cetero hanc quoq; rem totam aliis dijudicandam relinquamus. Si quis itaque de fundamento istius nostri asserti certior fieri discupit, evolvere poterit dicti *Tractatus Lib. 1. Tit. 1. §. 7.* & conferre cum *Ordin. Process. Sax. tit. 42. in princ.* porro conferet haud gravatim *L. 2. t. 1. §. 23. & 24.* cum *eod. tit. Ord. Proc*; item *L. 2. t. 7. §. 8.* cum *d. l. Ord. Pr. & Const. El. Sax. 28. P. 1*; ulterius *L. 2. t. 5. §. 24. & 25.* cum *T. 43. Ord. Pr.* ut & ejusdem *L. 2. tit. 5. §. 90.* cum *Tit. 45. dicta Ordin. Proc.* denique *L. 2. t. 11. §. 7.* cum *Constit. El. Sax. 28. P. 1. & tit 43. Ord. Pr. Sax.* quæ ipsa loca hactenus indicata si quis inter se comparare dignabitur, haud ægre fatebitur, nos neutiquam absque ratione nimii rigoris hoc nomine Autorem inculpasse.. Quod reliquum est, integram quoque paginam insumit enarrandis suis meritis, per Tractatus hujus elaborationem in rem literariam collatis, ob quæ etiam grates haud exiguas sibi a posteritate aut exposcit, aut saltim pollicetur; quas quidem ipsas si & alii eruditi Domino Schnegassio hoc nomine decernendas esse consentient, id ei nequaquam invidebimus.

INDEX
AUCTORUM AC RERUM.

I. Theologica & ad Historiam Ecclesiasticam spectantia.

 doctrinæ

II. Juridica.

III. Medica & Physica.

Petri

IV. Mathematica.

V. Historica & Geographica.

VI. Philosophica & Philologica Miscellanea.

Cebetis

ERRATA QUÆDAM.

Pag. 396. l. 25. pro *reii*, lege *rei*. P. 416. l. 18. pro משיחי lege משיחו Pag. 480. l. antepen. pro *foret*, lege *fore*. P. 493. l. 30. pro *illi* lege *illis*. P. 499. l. 1. lege *Illustrissimos*. p. 578. l. 6. lege *Anthropophagorum*. P. 588. l. 21. pro *diserto*, lege *deserto*.

